









MUSEI CAPITOLINI ANTIQUAE INSCRIPTIONES



A FRANCISCO EUGENIO GUASCO
Ejusdem Musei Curatore P.

NUNC PRIMUM CONJUNCTIM EDITAE
NOTISQUE ILLUSTRATAE

TOMUS PRIMUS



ROMAE ANN. JUB. MDCCLXXV
EXCUDEBAT JOHANNES GENEROSUS SALOMONIUS
Praesidum Facultate





Carolus Antonini fecit

PIO SEXTO
PONT. OPT. MAX.

FRANCISCUS EUGENIUS GUASCUS
PERPETUAM FELICITATEM



UAM perſcrutandæ Rei Antiquariæ ſtudio, atque voluptate illectus ſponte inieram, SANCTITATE TUA jubente, alacriter inde ſum proſequutus, abſolutam tandem, omnium, quibus Pontificium Capitolii Muſeum mirificè exornatur, vetuſtarum Inſcriptionum Collectionem, TUO auguſtiſſimo NOMINE decoratam, evulgo, publicique juris facio, BEATISSIME PATER. Qua vero ratione devincar, ut TIBI hocce, qualecumque Opus meum, offeram, id oſtendit, a me illud, TE Auctore, fuiſſe completum: quamvis & aliis, nec mi-

minus validis, nec minus jucundis impellar argumentis. Neminem quippe latet, SANCTITATEM TUAM ab immortali BENEDICTO XIV Pontifice ſanctiſſimo æque, ac doctiſſimo, ſeverioribus imbutam fuiſſe Diſciplinis, & Antiquitatis arcana, eo magiſtro, reſerare didiciſſe. Quippe norunt omnes, quantum curæ, eruditionique TUÆ debeat CLEMENTINUM Muſeum: illud ſcilicet unum, quod Capitolini noſtri celebritatem aliquando valeat æmulari. Mirum id ne ſit ulli, qui vel a limine ſtudiorum genus iſtud ſalutaverit. Quæ enim eſt adeo inculta Natio, quam clariſſimum BRASCHIORUM Nomen non pervaſerit? Neſcit nemo, noſtris hiſce temporibus, duos ex hoc nobiliſſimo genere floruiſſe Germanos Fratres omnigena eruditione refertos, Comitem PETRUM ANTONIUM unum *de Familia Cæſennia*, JOHANNEM BAPTISTAM alterum Sarſinatem primùm Epiſcopum, Niſibenum deinde Archiepiſcopum, *de Tribus Statuis* in Romano Capitolio erectis, auctores. Sed & alia ſunt, quibus & ego, & Alexandrina urbs, mihi natale ſolum, erga TE potiori ferimur animo. Ipſe quidem, quia mihi honorificentiſſima Pontificii Muſei Capitolini cuſtodiendi, ſervandique cura mandata eſt, quâ fruor, & fruar in ævum; quam Patrocinio, quam Clementiæ TUÆ libentiſsime acceptam refero: Alexandrina vero urbs (de qua ſcribere dedignatus non eſt Ven.Eccleſiaſticorum Annalium parens, *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei*) quia ſibi

ſibi plaudit, maximeque gratulatur, Familiam TUAM, ſuas inter auguſtiores, celebrioreſque cenſeri a ſeculo duodecimo, ex qua unus, communi conſenſione delectus eſt, ut cum aliis duobus Beneventum pergeret ad ALEXANDRUM III, qui ſimul & Romano Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ Urbem, mutato priori *Cæſareæ* nomine, & ab ALEXANDRO *Alexandriam* vocatam, ALEXANDRO ipſi dederet. Patet itaque, quam læti Alexandrini omen ſuſceperint, quum TE PONTIFICEM MAXIMUM ab Urbe æterna ſalutatum, SSmi PII V in eorum Agro nati, adſcito nomine, audiverunt, ut TIBI merito per me traditis Literis, obſequii, ſummæque obſervantiæ plenis, ineunte Martio exacto, ſibi, iſthac de cauſſa, vehementiſſime duxerint gratulandum. Patet etiam, quanto animi ardore, Opus hoc ſanctiſſimo Nomine TUO decoratum prodiret, ego ipſe exoptarem; utque TECUM, cujus Vita, & Res optime geſtæ perennabunt, ij quoque, qui hiſce in Lapidibus ſculpti ſunt, memoriâ numquam deſitura, perſeverent. Egregias hinc animi TUI dotes, & ornamenta, quibus Catholici Orbis gloriæ æque ac commodis editus videris, libens enarrare abſtineo. TU quidem ille es, Pontifex ſanctiſſime, electus ex millibus, quem inſcrutabilis D. O. M. providentia per ſemitas SIBI UNI notas, ad Eccleſiæ ſuæ regimen delegit, & quem omnes, qui TE noverunt, ad Imperium natum conſtantiſſime prædicavere. Quis non in TE

UNO, & maximam Paſtoris vigilantiam, & ſummam integerrimi Principis æquitatem, & mirum amantiſſimi Patris erga omnes non demiretur amorem? Nonne id patuit potiſſimum, quum Roma seceſſiſti, Sublacum iturus, Diœceſeos inviſendæ gratia? quot enim labores non exantlaſti? quot in pauperes non erogaſti pecunias? quot flagrantiſſimæ Caritatis TUÆ erga ſubditos TIBI populos argumenta non reliquiſti? O utinam tanta in me eſſet ingenii vis quanta in TE, meritorum copia! At

Nec mihi centenis reſonent ſi vocibus ora,
Multifiduſque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta TUI narrare queam.

Optimum ſiquidem Trajanum ſolus recte commendabit Plinius; nec alter æque pium decantabit Æneam, quam Maro. Eloquentioribus itaque Viris eximias illas, ad quarum faſtigium aſcendiſti, virtutes celebrare relinquo. Mea enim ſententia damnandi ſunt magis ii, qui illuſtrium Virorum laudes inculte prædicant, quam qui eas obſequenti prætereunt ſilentio. Ad Beatiſſimos proinde TUOS provolutus pedes, TE oro, obteſtorque, ut me clementia TUA foveas; Opus autem iſtud, TIBI nuncupatum, Muſei Capitolini antiquos comprehendens Lapides diligentiſſime exſcriptos, ordine digeſtos, atque Notis illuſtratos, Auctoritate, Imperio, Patrocinio tueare.

PRÆ-

PRAELOQUIUM



Onsideranti mihi, quantæ rerum Antiquarum ſtudioſis utilitatis foret Pontificii Musei Capitolini inſcriptos Lapides in unum redigere, conjunctimque edere, eos ex Autographis accuratiſſime tranſcribere conſtitui. Aſt admota vix operi manu, nonnulli evaſerunt blaterones, qui laborem hunc meum tamquam ſupervacaneum, & inanem huc illuc in aurem imperitiſſimis ex eodem præſepe Viris conſuſurravere; ita ut me facile in trivio poſuiſſent, niſi mihi jam ſponte currenti venerabunda Sanctiſſimi D. N. PII PP. VI juſſa ſtimulos addidiſſent. Itaque poſthabita coniflonum ſententia, hanc intermiſſam ad tempus Collectionem, rurſus tanto auſpicante Pontifice, alacriterque ſuſcepi: mihi enim

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum.

Hanc ergo nunc tibi, candide Lector, abſolutam, tribuſque voluminibus diſpartitam exhibeo.

Muſei noſtri vetuſta Marmora quamplurima vulgaſſe Gruterum, Manutium, Gudium, Muratorium, Donium, Maffejum alioſque non diffiteor. At I. nec omnia in lucem prolata ſunt, quæ jam antea in Muſeo exſtabant; nec ea certe, quæ partim ære meo acquiſita, partim mihi a benignis admodum Viris dono tradita, egomet tribus ab hinc annis in eodem Muſeo collocari curavi. II. Horum pleraque merum exhibent textum, nullis additis interpretationibus, nulliſque adnotationibus, quibus rei Antiquariæ tyrones indigent, illuſtrata. III. Ne unum quidem penes laudatos Collectores (cl.Muratorium præ cunctis) lapidem Capitolinum reperies mendis expertem: hic vero expurgatos omnes habebis. Ego enim ipſe eos non dumtaxat oculariter inſpexi, ſed meis quoque manibus ex ipſis autographis Muſei parietibus adfixis exſcripſi, atque ad illos exemplaria non ſemel contuli. IV. Qui noſtros ediderunt Lapides, loca perſæpe indicarunt, ubi eorum ætate viſebantur; nimirum modo *Domos* Angeli Colotii, Julii Porcarii, Gentilis Delphinii, Pomponii Læti, Alexandri Rondonii; modo *Vineas* Franciſci Liſcæ, Angeli Velarinii, Friderici de Planca, Dominici Angelii, Leandri Lanæ; modo *Hortos* ſeu *Villas* Card. Carpenſis, Ludovici Podocathari, Friderici Cæſii, Urſi de Valle, Jo. Coritii, Fulvii Urſinii, Ruſticorum, Manliorum, Ballajanorum, Maffejorum &c. &c. At quibus hodie (præſertim ex exteris) domorum, vinearum, hortorumque iſtorum ſitus innoteſcit? vel quæ ex relatis a laudatis Viris Inſcriptiones in his reperirentur, cum omnes in Muſeum Capitolinum illatæ fuerint? His adde, in ipſis noviſſimis ejuſdem Muſei deſcriptionibus Marmorum ſedes mendoſe non ſemel indicari: & ne videar fucum Lectoribus facere, advertendum eſt eruditiſſimum licet diligentiſſimumque Rodulphinum Venutum in ſua „ Roma moderna „ anno 1767, ſumptibus Caroli Barbiellinii edita Vol. I. P. I. Milliarium Lapidem ad Maxentium ſpectantem (qui in veſtibulo inferiori juxta Pyrrhi Statuam viſitur) in cubiculo po-

posuisse, quod vulgo nuncupatur „ DEL VASO „ Ita & alibi Basim *Navis Salviæ*, quæ in Musei atrio extat, in ædibus Vaticanis (ubi vere olim extabat) collocavit ; & Inscriptionem, quam Senatus Populusque Romanus in honorem Alexandri VII P. M. *ob Urbem a Pestilentia servatam* sculpi jussit, huic Pontifici decretam asserit veluti Capitolinarum ædium Extructori . Cum igitur immobilem certamque nunc in Museo sedem Lapidibus istis adsignaverint Romani PONTIFICES , haud inane mihi eas per Classes distributas publici juris iterum facere visum est. V. Cum Marmora pleraque , quæ ordinate erant quidem collocanda , promiscue parietibus adfixerint ii , quibus tunc Musei Capitolini cura demandata fuerat , hinc evenit ut Inscriptiones eas quærentibus non nisi fortuito occurrant . Ego vero Indicem adeo diligenter contextum in calce tertii Voluminis apposui , ut si quis cum Autographis exemplaria conferre voluerit, ea protinus reperiat : hoc enim tantum pacto vitiosam Autographorum distractionem emendare poteram . VI. Notandum est nostrorum Marmorum nonnulla sparsim reperiri in quibusdam Voluminibus, quæ Indicibus (in hujusmodi collectaneis sane necessariis) omnino carent, uti illæ quidem sunt, quas Jacobus Mazzochius, Aldus Manutius, Raphael Fabrettus, Marquardus Gudius, aliique recentiores in peculiaribus Opusculis, & Dissertationibus pervulgarunt. VII. Tria illa volumina, quibus titulus MUSEUM CAPITOLINUM, nemo non vidit. In his Deorum, Heroumque signa, Augustorum, & Augustarum statuæ, capita atque protomæ Philosophorum habentur, ceteraque ex marmore Museum exornantia Monumenta tum Ægypthiaca, tum Græca, tum Latina a doctissimo JOANNE BOTTARIO elucidata : brevi insuper novum in lucem , studio & cura eruditissimi Præsulis Petri Francisci FOGGINII, volumen quartum prodibit, Anaglypha Musei nostri complectens. Nonne ergo operæ pretium erat mutis illis, ut ita dicam, Monumentis loquentia sociare ? Inscriptiones scilicet omnes quatuor his Voluminibus addere, ut Opus penitus absolutum haberetur? Quæ cum ita sint, si mea hæc commentaria cum tantorum Virorum elucubrationibus contuleris, me jure meritoque auro Colophonio lutum fœde immiscuisse accusabis: ast nemo hercle , nisi ex iis unus, qui temere , atque futiliter quicquid in buccam venerit loquuntur, me non inanem laborem suscepisse contendet. Id profecto haud assereret clarissimus VENUTUS, qui de inscriptis Musei Capitolini saxis verba faciens „ qualunque „ *inquit* „ di queste Lapidi si consideri, somministra qualche erudizione „ Sic igitur comprobata hujusce Collectionis utilitate, quædam obiter superaddam, de quibus monendos Lectores autumo; me videlicet siglas omnes enucleasse, verbaque corrupta, licet intelligibilia , restituisse , non equidem ad eruditionis pompam, neque ad eos docendos, qui in veteri interpretando marmorum sermone pluris sunt, sed ad vitandam potius frequentiam molesti illius τὸ *sic*, quo ab omnibus fere Collectoribus inscriptiones deturpantur. Neque enim , ut plerique perperam solent , Quadratariorum menda corrigi debent in ipso textu , sed in notis : secus sane lapidum sententiæ adulterantur, Exscriptorisque fides in suspicionem adducitur. Insuper quædam in re Antiquaria occurrunt, quæ licet trita, & Eruditis communia, obscura tamen minus doctis videntur, quæque iis elucidare necesse est . *Nonnulli enim* , ait Augustinus serm. 44. *videntes literas in Codice optime scripto , si non noverunt legere , laudant quidem Antiquarii manum , admirantur apicum pulchritudinem ; sed quid sibi velint , quid indicent illi apices , nesciunt ; & sunt oculis laudatores , non cognitores mente .* Ea ergo quæ in Commentariis meis attuli, Antiquitatis studiosi perpendent; & quoties ab iis elucubrationes meæ benigne excipiantur, & collaudentur, summum mihi vigiliarum mearum tulisse præmium videbor ; sin autem, liberum cuique

erit,

erit, quæ de rebus antiquorum obſcuris tractavi, ad ſuam ipſorum ſententiam, dum meliora adferant, omnino revolvere, eaque illuſtriora reddere: quod enim potui id præſtiti, neque quicquam laboris, quò omnia clariſſima facerem, prætermiſi. Attamen lectores meminiſſe velim Macrobii in *ſomn. Scip.* lib. 1I. verba: *illa ſunt perſequenda*, inquit is, *quibus verba, quæ explananda receperis, poſſint liquere; quia in re naturaliter obſcura, qui in exponendo plura quam neceſſe eſt, ſuperfundit, addit tenebras, non adimit denſitatem*. Dicet fortaſſe aliquis hæc Volumina vernaculo fuiſſe conſcribenda ſermone, quo in ſuis exarandis uſus eſt clariſſimus Bottarius. At primo, Italicas adnotationes cum latinis inſcriptionibus conſociare monſtruoſum mihi videbatur: Secundo, quis non novit ejuſdem viri Tomos latinè redditos fuiſſe, potiſſimum quod Italicus ſermo extra Italiæ fines vix non ignoretur? Loca inſuper, ubi ſaxa reperta ſunt, jugiter indicare voluiſſem: porro id numquam omiſi, quoties monumentorum Collectores fide dignos ductores habui; verum cum hi non ſemel ea ſignare neglexerint, hinc plerumque antiqua ſedes prorſus ignoratur, aut fortuito pauciſſimis tantum innoteſcit. Innuendum itidem reor, inter vetuſtas Muſei noſtri Inſcriptiones, nonnullas recens fuiſſe poſitas Summis Pontificibus Gregorio XIII *Boncompagnio*, Innocentio X *Pamphilio*, Alexandro VII *Chiſio*, Innocentio XI *Odeſcalchio*, Clementi XII *Corſinio*, Benedicto XIV *Lambertinio*, Clementi XIII *Rezzonico*, quorum primus æneam tabulam, Legem Regiam exhibentem, è Palatio Lateranenſi in Capitolium invexit; reliqui (Innocentio XI excepto) pluribus nobiliſſimiſque Monumentis Muſeum exornarunt. Has igitur Inſcriptiones, non pro ut in illo cum antiquis promiſcue ſitas, ſed ab his ſegregatas, chronologica vero Pontificum ſerie ſervata, heic accipe

(I)

S . P . Q . R
SIGNVM . MINERVAE . DE . PARIETINIS
VRB S . ERVTVM . ET . IN . CAPITOLIVM
PAVLO . III . PONT . MAX . TRANSLATVM
IN . ILLVSTRIORE . AREAE . LOCO
GREGORIO . XIII . PONT . MAX
POSVIT . AC . RESTITVIT

(II)

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
MONVMENTVM REGIAE LEGIS EX LATERANO IN CAPITOLIVM
GREGORII XIII . PONT . MAX . AVCTORITATE REPORTATVM
IN ANTIQVO SVO LOCO REPOSVIT

(III)

INNOCENTIO . X . PONT . MAX
OB CAPITOLIVM ET AGONALE FORVM AEDIBVS OBELISCO ET SALIENTIBVS ORNATA
OB PRINCIPES BASILICAS MAGNIFICENTER INSTAVRATAS
OB INVECTAM DIFFICILI TEMPORE ANNONAM
ECCLESIASTICAM DIGNITATEM FELICITER VINDICATAM
DIVTVRNAE QVIETI BREVI BELLO CONSVLTVM
PVBLICAM VTILITATEM ABSQVE PVBLICO ONERE PROCVRATAM
FAS IVSQVE VBIQVE SERVATVM
PRINCIPI ROMANO OPTIMO AC MERITISSIMO
S . P . Q . R
POS

ad Baſis dexteram
HIERON. MVTO PAPAZ. EQ. S. STE
CAMILLO DE BVBALIS CONSS
GASPARE DE TORRES MARCH
STEPHANO ALLIO EQ. S. ST. CAP. R. P.

ad lævam
FRANCISCO GOTTIFREDO
HIACINTO CAPRANICA CONSS
IO . FRANCISCO ALBERINO
FRANCISCO CECCHINO . CAP. REG. PR.

(I) Extat in Muſei atrio
(II) In Cubiculo vulgo *dell' Ercole*.
(III) In ejuſdem Pontificis ſtatuæ baſi, in qua annus deſideratur.

(IV)

ALEXANDRO . VII . P . M
CVM . STATVAM . PVBLICE . SIBI . DECRETAM
OB . SERVATAM . VRBEM . A . PESTILENTIA
HONORIS . SIGNIFICATIONE . CONTENTVS . ERIGI . VETVISSET
S . P . Q . R
QVO . SVI . ERGA . PRINCIPEM . OPTIMVM . GRATI . ANIMI
REIQVE . TANTAE
MONVMENTVM . ALIQVOD . EXTARET
P
A . D . M . DC . LVIII . DIE . XXV . MARTII
LAELIO . ALLIO . CAESAREO . GORIO . MARCELLO . GHERARDO . COSSS
PETRO . VECHIARELLIO . CAP . REG . PRIORE

(V)

MARMOREAE . QVAS . VTRINQVE
SPECTAS . IMAGINES . ALTERA
MARCI . AVRELII . POPVLVM
ALLOQVENTIS . ALTERA . FAVSTINAE
VETERI . SVPERSTITIONE . INTER
DIVAS . AD COELVM . ELATAE
EX . RECENTIORI . ARCV . DIRVTO
VVLGO . PORTVGALLIAE
QVI . VIAM . FLAMINIAM . VRBIS
HIPPODROMVM . IMPEDIEBAT
NOVIS . CONSERVATORVM
AEDIBVS . EXORNANDIS
SVB . ALEXANDRO . VII . PONT . MAX
AD . CAPITOLIVM . TRANSLATAE
VETVSTATE . SQVALENTES . HIC
RECENTI . NITORE . PRAEFVLGENT
QVARVM . NE . MEMORIA
EXCIDERET . LAPIDEM . POSVERE
CAROLVS . ANTONIVS . A . PVTEO
EQVEST . MILIT
D . STEPHANI . PP . ET . MART
EQVES . COMEND
MARCVS . ANTONIVS . DE . GRASSIS
LAELIVS . FALCONERIVS
COSSS
ISIDORVS . CARDVCCIVS
C . R . PRIOR

(VI)

INNOCENTIO . VNDECIMO . PONT . OPT . MAX
QVOD VIENNA ROMANI IMPERII PRINCIPE VRBE
IRREQVIETA VIGILANTIA PRVDENTI CONSILIO INGENTI AVRO
PRECIBVS LACRYMISQVE DEI IMPLORATO AVXILIO
ANNO REPARATAE SALVTIS CIↃIↃCLXXXIII
AB IMMANISSIMA TVRCARVM OBSIDIONE VINDICATA
LABORANTI CATHOLICAE RELIGIONIS SECVRITATI PROVIDERIT
FOELICITER REGNANTE
LEOPOLDO PRIMO CAESARE AVGVSTO
CHRISTIANAS ACIES DVCENTE
IOANNE TERTIO POLONIAE REGE SEMPER INVICTO
FORTITERQVE PVGNANTE
CAROLO QVINTO DVCE LOTHÆRINGO
S . P . Q . R . AETERNVM MEMOR P
COMEND . CAROLVS ANTONIVS A PVTEO COS . MARCVS ANTONIVS DE GRASSIS COS
LAELIVS FALCONERIVS CONS . ISIDORVS CARDVCCIVS C . R . PRI

CLE-

(IV) in Cubic. quod vulgo dicitur *del Vaso*. Quare hæc, & altera sub Num. VI. in Museum Capitolinum, (cum quo nil illas commune habere liquet) reportatæ fuerint, haud assequor. Ceterum non clarissimus VENUTUS tantum, sed reliqui omnes, qui Museum descripsere, Tabulam hanc Alexandro VII positam tradunt, quod Ædes Capitol, ad exemplum immortalis BONAROTÆ iconographiæ, curante Carolo RAINALDO, prosequi jusserit. At si primas saltem lineas perlegissent, vidissent utique, non de ædibus Capitolinis in ea agi sed de Urbe a pestilentia servata.

(V) Locum ubi sita, Inscriptio ipsa indicat.

(VI) In Vestibulo superiori. De rebus in hac tabula comprehensis adi COYER *Hist. de Pologne*.

(VII)

CLEMENS . XII . PONT . MAX
ILLATIS . IN . HAS . AEDES . ANTIQVIS . STATVIS
MONVMENTISQVE
AD . BONARVM . ARTIVM . INCREMENTVM
FONTEQVE . EXORNATO
PRISTINAM . CAPITOLIO . MAGNIFICENTIAM
RESTITVENDAM . CVRAVIT
A . S . MDCCXXXIV . PONT . V

(VIII)

CLEMENTI . XII . PONT . MAX
OB . SENATVS . PRIVILEGIA . AMPLIFICATA
EXORNATAM . AEDIFICIIS . VRBEM
LAXATAS . AREAS
DIRECTAS . PROLATAS . STRATASQVE . VIAS
VETERA . SIGNA . MVLTO . AERE . COMPARATA
IN . CAPITOLIVM . INVECTA
MAGNIFICEQVE . DISPOSITA
S . P . Q . R
OPTIMO . ET . MVNIFICENTISSIMO . PRINCIPI
STATVAM . DECREVIT
A . S . MDCCXXXIII

Ad dexteram
MARCHIONE VIRGILIO CRESCENTIO
IVLIO RICCIO COSS
MARCHIONE IOANNE CHISIO MONTORO
MARCHIONE IO. BAPTISTA SACCHETTO
CAP. REG. PRIORE
MARCH. CAMILLVS MAXIMVS
MARCH. ANTONIVS GRASSI
EX S. C.
OPERIS CVRATORES

Ad lævam
CAMILLO CAPRANICA M. D. C. FERREO
MARCHIONE FRANCISCO BICHIO
MARCHIONE PETRO GALLO COSSS
MARCHIONE P . FRANCISCO DE RVBEIS C.R.P.

(IX)

MARMORA . OMNIA . ANTIQVI . PEDIS . MODVLO . INSCVLPTA
SCRIPTORVMQVE . TESTIMONIIS . COMMENDATA
BENEDICTUS XIV. P. O. M.
IN . MVSEVM . CAPITOL . TRANSTVLIT
ANNO PONTIF . III
STATILIANVM
IN . IANICVLO . ALIAS . EFFOSSVM
EX . HORTIS . VATICANIS
COSSVTIANVM . SEV . COLLOTIANVM
EX . MARII . DELPHINI . AEDIBVS
DONO HIERONYMI . PRINCIPIS . ALTERII
AEBVTIANVM
EX . MATTHÆIORVM . VILLA
DONO . HIERONYMI . DVCIS . MATTHÆI
CAPPONIANVM
NON . ITA . PRIDEM . VIA . AVRELIA . REPERTVM
EX AEDIBVS . CAPPONIANIS
DONO . ALEXANDRI . GREGORII . MARCHIO . CAPPONII
EIVSDEM . MVSEI . CVRATORIS . PERPETVI

(X)

FRAGMENTA . ICONOGRAPHIÆ . ANTIQVÆ . ROMÆ
PRIORIBVS . XX . TABVLIS . COMPREHENSA
EO . SVNT . ORDINE . QVO . A . BELLORIO . EDITA
SVPPLETIS . ATQVE . ASTERISCO * NOTATIS
QVAE . POSTEA . INTERCIDERE
RELIQVAE . TABVLAE . VI
ALIA . EXHIBENT . HACTENVS . INEDITA
TABVLAE . I . ADIECTA . EST . COMPENDIARIA
PEDVM . ANTIQ . ROM . LXXX . MENSVRA
EX . EORVMDEM . FRAGMENTORVM . COLLATIONE
CVM . VETERIBVS . ÆDIFICIIS . DEPROMTA

FRAG-

(VII) Fonti imminens, quem *Marforii* dicunt.

(VIII) In Bafi marmorea, cui impofita eft ænea Statua eidem Pontifici erecta.

(IX) Imminet hæc marmoreis Bafibus inftrumenta quædam fabrilia feu Architectonica exhibentibus, juxta januam Cubiculi *il Canopo* dicti.

(X) De his audiendus eft Author adnotationum ad Schedas, feu libellum Flaminii Vaccæ nuper editum. „ Quefta Pianta che fu già ftampata dal Bellorio in diverfe Tavole con Annotazioni, e riprodotta nel fine del Tomo 4. delle Antichità Romane del Grevio, „ originalmente ora fi vede diftribuita nei muri laterali della magnifica Scala del Mufeo Capitolino.

(XI)

FRAGMENTA . ICONOGRAPHIÆ . VETERIS . ROMÆ
IN . ROMVLI . TEMPLO
AD . VIAM . SACRAM . OLIM . EFFOSSA
ET . AD . FARNESIANAS . ÆDES . TRANSLATA
BENEDICTVS . XIV. P. M.
IN . CAPITOLIO
MVNIFICENTISSIME COLLOCAVIT
ANNO . CIↃ . IↃCCXXXXII

(XII)

MVNIFICENTIA
BENEDICTI . XIV. P. O. M.
ET . DONO
LACTANTII . SERGARDI
AB . INTIMO . EIVSD . PONT . CVBIC
A . D . MDCCLIII .

(XIII)

BENEDICTUS XIV. P. M.
SIGNO NVPER EFFOSSO
QVOD
CARDINALIS ALEXANDER ALBANVS
PRINCIPI OPTIMO
ET REI ANTIQVARIÆ SERVANDÆ STVDIOSISSIMO
OBTVLIT
MVSEVM CAPITOLINVM
MVNIFICE AVXIT
ANNO MDCCXLVII

(XIV)

ÆGYPTIACA . MARMOREA . SIGNA
IN . HADRIANI . TIBVRTINO
REPERTA
BENEDICTVS . XIV . PONT . MAX
CAPITOLINIS . ÆDIBVS . ADAVCTA
ORNATIORI . CVBICVLO . CONSTITVI
DECREVIT
ANNO . MDCCXXXXVIII. PONT. VIII

(XV)

LEBES . ÆNEVS . GYMNASII
EVPATORISTARVM . EX . PORTV . ANTIATI
EDVCTVS
BENEDICTI . XIV . PONT . M
MVNIFICENTIA
IN . MVSEVM . CAPITOLINVM . ILLATVS

(XVI)

VETEREM . LAPIDEM
IN . OSTIENSI . AGRO . IAMDIV . REPERTVM
MVROQVE . TEMPLI . PRINCIPIS . ILLIVS . VRBIS
ADPOSITVM
SIBI . A . THOMA . CARD . RVFO
SACRI . COLLEG. DECANO . OBLATVM
BENEDICTVS . XIV . PONT . MAX
MVSEO . CAPITOLINO . ADDI . IVSSIT
AN . MDCCXLVIII . PONT . SVI . IX

(XVII)

MVNIFICENTIA
BENEDICTI . XIV . P . O . M
ET . DONO
THEODORI . BVCCAPADVLII
EIVSDEM . SVM . PONT
A . SECRET . ELEEMOS
A . D . MDCCXLVIII

(XVIII)

MVNIFICENTIA
CLEMENTIS XIII
P. O. M
AN . MDCCLIX

(XIX)

MAGNIFICENTIA
SS . D . N
CLEMENTIS
PAPÆ XIII
A . D . MDCCLXV

(XX)

MAGNIFICENTIA
SS . D . N
CLEMENTIS PAPÆ XIII
A . D . MDCCLXV

Hæ

(XI) „ Mi ricordo aver veduto „ (inquit Flaminius Vacca „ cavare dietro la Chiesa de SS. Cosma e Da- „ miano, e vi fu trovata la Pianta di Roma profilata „ in marmo; e detta Pianta serviva per incrostatura „ del muro. Certa cosa è che detto Tempio fosse edi- „ ficato ad onore di Romolo, e Remo edificatori di „ Roma; ed al presente detta Pianta si trova nell'An- „ tiquario del Cardinale Farnese.

(XII) Sub Protome M. Agrippæ in Cæsarum cubiculo.

(XIII) In basi pulcherrimæ Statuæ forte Gallienum repræsentantis.

(XIV) In Cubic. *il Canopo* nuncupato.

(XV) In Cubic. vulgo *delle Miscellanee*.

(XVI) In Cubic. *dell' Ercole*.

(XVII) In Cubic. *del Vaso* sub Satyri larva. At Benedicti XIV munificentiam innumeri fere testantur ejus nomine inscripti Lapides, & Protomæ, aliaque Monumenta hic illic in Museo sita, quæ hic recensere supervacaneum puto, cum opusculum videri possit cui titulus „ Museo Capitolino, o sia Descrizione „ delle Statue, Busti, Bassirilievi, Urne &c. in Roma „ ap. Bernabò 1750. „ In fine ejusdem „ Nota de pre- „ ziosi, e rari Marmi che dalla munificenza del re- „ gnante Sommo Pontefice Benedetto XIV. sono stati „ al Museo donati.

(XVIII) In Cubic. Miscellanearum, ad Tabellam Iliadis, quam egregie explicavit Raph. Fabrettus in Opusc. *de Columna Trajani*.

(XIX) Geminata hæc extat in utrisque Basibus, quibus imposita visuntur Centaurorum signa.

(XX) Ibid. ad celebre illud vermiculatum Opus, *le Colombe di Furietti* nuncupatum; hoc est ab Eminentissimi Cardinalis FURIETTI Heredibus, CLEMENTIS XIII auro, una cum Centauris comparatum anno 1765.

Hæ ſunt Inſcriptiones, quarum ſane teſtimonio laudatorum in his Romanorum Pontificum nomina ab interitu vindicabuntur. Hinc ipſe mihi polliceor præclariſſimum quoque Sanctiſſimi D. N. PII PP. VI nomen iis quandoque ſociandum. Augent profecto hanc ſpem SUMMI iſtius noſtri PONTIFICIS O. M. & ſpectata omnibus munificentia atque liberalitas, & in Rem Antiquariam egregia voluntas pariter, & peritia. Interea illuſtrium Virorum, qui Urbis ornatui, magnificentiæque amplificandæ animum intendentes, Muſeum noſtrum donis ſuis locupletarunt, nomina, pro ut in pluribus Monumentorum baſibus inſculpta viſuntur, evulgare opere pretium erit: ea etenim Poſteris tradere par eſt, primo, ut aliqua ſaltem ex parte horum in idem Muſeum meritis ſatisfiat; ſecundo, ut ceterorum excitetur æmulatio, qua famæ adeo deſideratam nanciſcantur immortalitatem. Omnium primus occurrit Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis ALEXANDER ALBANUS, qui rariores inſigniореſque Muſei lapides, ſumma qua pollet benignitate, donavit. Hieronymi Principis ALTERII, Hieronymi Ducis MATTHÆI, & Marchionis Alex. Greg. CAPPONII mentio fit in Inſcriptione, quam ſuperius retuli ſub Num. IX. Reliquos (quorum plerique Monumenta obtulerunt conſulente SENATU, atque accedente POPULO ROMANO) hic habe

(XXI)

DONO
IO . PETRI MARCHIONIS
LVCATELLI
MVSEI . CAPIT . CVRAT . PERPETVI

(XXII)

EX DONO
REVERENDISSIMI . P . IOSEPHI MARIÆ
FONSECA AB EBORA
GENLIS . ORD . MIN .
S . FRANCISCI
REG . LVSITAN . APVD . S . S . MINISTRI

(XXIII)

EX . DONO . DVCIS . SFORTIÆ . SFORTIÆ

(XXIV)
MVNIFICENTIA
PETRI OTHOBONI
S. R. E. CARD. V. CANCEL

(XXV)
COM . QVATROCCHIO
ASC . BVBALO COSS
VIN . AMERICO

(XXVI)
HIER . PAPARONIO
MAR . MELCHIORIO
DOM . CECCHINO

(XXVII)
S . P . Q . R
SIGNVM AVENTINI HEROIS
QVEM SVPERSTITIOSA VETERVM ÆTAS
HERCVLIS FILIVM DIXIT
RVDERIBVS IN AVENTINO MONTE EGESTIS
REPERTVM IN CAPITOLIO POSVIT
CVRANTIBVS
BERNARDINO BISCIA A . C
CAROLO . GRIFFONIO COSS
ANTONIO MATTHÆI
IACOBO RVBEO PRIORE

(XXVIII)

MARCHIO FR. NVNES
IO . M . TAVRVSIVS
IO . PETRVS COMES DE APTIS
COSS
CÆSAR SINIBALDVS
CAP . REG . PRIOR

(XXIX)

S . P . Q . R
LEONARDO TASCA
I . V . D
FRAN . CAFARELLIO
PETRO BENZONIO
COSS
IO . PETRO CAFARELLIO
CAP . REG . PRIORE

(XXI) In Cubic. Cæſarum, ſub Capite Juliani Imp. & Philoſophi.

(XXII) Ibid. ſub Protome Juliæ Titi filiæ.

(XXIII) In veſtibulo ſuperiori, in corona Anaglyphi figuram Archigalli repræſentantis.

(XXIV) In Muſeo, ſive *la Galleria*, in baſi ſimulacri Dianæ Luciferæ: eadem epigraphe legitur ſub Statua, quam aliqui ad Plotinam, alii vero ad Marcianam pertinere contendunt.

(XXV) Sub Protomis Trajani, & Antonini Pii.

(XXVI) Sub altera ejuſdem Trajani protome.

(XXVII) In Cubic. Impp. in ejuſdem ſigni baſi.

(XXVIII) Sub Statuis cujuſdam Sacerdotis, & Palladis.

(XXIX) Sub Protomis Hadriani, & Scipionis Africani.

(XXX)

APOLLINIS LYRICI
SIMVLACRVM
S . P . Q . R
NOBILIVS EREXIT
ANNO DOMINI
MDCCXVII

Ad utriusque

Dexteram

PROSPER DE MOLARIA
CONS
PHILIPPVS MARVCELLVS
CONS

(XXXI)

BACCHI NYSÆI
SIMVLACRVM
S . P . Q . R
NOBILIVS EREXIT
ANNO DOMINI
MDCCXVII

Lævam

FABIVS AGVCHIVS
DE GLAVARINIS
CONS
EQ . IOANNES ANDREAS
OLIVERIVS
C . R . P

(XXXII)

PETRO VECCHIARELLIO
IVLIANO CAPRANICA MAGDALENO DE CAP. FERREO
PETRO MILLINO
CONSERVATORIBVS
PETRO PAVLO EVSTACHIO CAP. REG. PRIORE

(XXXIII)

S . P . Q . R
PAN
RVSTICVM OLIM NVMEN
AB INCVLTO SITV
AD CVLTIOREM
RESTITVITVR
ad dexteram
PETR . FRANC . DE RVBEIS
ADV. CONS. DEC
ALEXANDER PICHINVS
IOSEPH. DE HANNIBALIS DE NOBB. DOM. ZANCAT
CONSERVATORES
CAROLVS RICCARDVS PRIOR

(XXXIV)

S . P . Q . R
ASCANIO
BVBALO
IOANNE FRAN
CHINO
MAR . ANTONIO
CORONATO
COSS
CAM . MANCINO
CAP . REG . PRIORE

(XXXV)

IO . FRANCISCVS . MATTHÆIVS . CONS
IOANN . BVCCAPADVLIVS . CONS
GREGORIVS . PATRIARCHA . CONS
BERTOLDVS . ANT . CARDVCCIVS . C. R. P.
ANNO MDCLXXXI

(XXXVI)

FRANCISCVS FANVS COS
FRANCISCVS SODERINVS COS
RVBERTVS VRSINVS COS
MARCVS ANTONIVS DE GRASSIS PRIOR
M . D . C . L . XXXI

(XXXVII)

IO . BAPTISTA . DE . DRAGO : BISCIA
PHILIPPVS . FONSECA . CONSERVATORES
IOSEPH . MANFRONVS . CAP . REG . P

(XXXVIII)

MARCHIO IO . BAPTISTA . DE . DRAGO . BISCIA
PHILIPPVS FONSECA
IOSEPH . SERBOLONGVS COSS
IOSEPHVS . MANFRONVS . C.R.P.

(XXXIX)

GREGORIVS . PATRIARCHA . TERRÆ . PASTINÆ . BARO
ROBERTVS . BARO . SILVERIVS . PICCOLOMINEVS . ET
DOMINICVS . GINNASIVS . CONSERVATORES
D . HIERONYMVS . FRANCISCVS . COLVMNA C. R. P
AN. SAL . MDCLXXXI

Adver-

(XXX) In Museo, sive *Galleria*.
(XXXI) Ibid.
(XXXII) Sub statua Junonis Lanuvinæ: altera huic consimilis legitur sub Pudicitiæ simulacro.
(XXXIII) In Atrio, ac in Basi ejusdem statuæ quam Polyphemum repræsentare, inscite quidem, quis autumat.
(XXXIV) Sub protome cujusdam Musæ.
(XXXV) Sub Signis IMMORTALITATIS & ABUNDANTIÆ, in Atrio.
(XXXVI) In Atrio pariter, sub prima Amazonis statua.
(XXXVII) Sub secunda Amazonis statua ad dexteram ibid.
(XXXVIII) Sub eadem, ad lævam.
(XXXIX) Sub Hadriani Sacerdotis simulacro ibid.

Advertendum denique velim in ſex poſtremarum Inſcriptionum CAPITIS PRIMI enumeratione, mendum irrepſiſſe Amanuenſium pariter, & Typographi inconſiderantia (ut moderate loquar) & negligentia : duplicatos igitur Numeros 70. 71. 72. aſteriſco * ſignatos primo loco videbis, ut cum illos in Indicibus ſic diſtinctos repereris, normam ſumas non ex numero tribus his Inſcriptionibus adpoſito, ſed ex numeris paginarum; videlicet

Pro Inſcript. 70. *pag.* 120. L. CEIONIO COMMODO
Pro Inſcript. 71. *pag.* 126. VS. CC. MISIT. QVOS &c.
Pro Inſcript. 72. *pag.* 135. ANTONINO AVG. IIII. &c.

Ceterum me equidem alienis lucubrationibus in hos, veteri pro poſſe diſcuſſa caligine, explicando Lapides, plurimum adiutum non diffiteor; ſed ea certa lege, ne Cornicis inſtar Pavonis pennis exornatæ, ſpecioſiorem pompam ederem. Multa enim mea dictante Minerva literis mandavi. Tu, quæſo, benigne Lector, hæc omnia æqui bonique conſulito: *in rebus arduis* (eruditiſſimi Sertorii Urſati verba [a] proferam) *ipſius quoque bonæ voluntatis propoſitum, etiam ſine integro effectu, eſt commendatione dignum*. Unde Propertius ad Muſam

—— *Si tamen deſinant vires, audacia certe*
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

(a) Marm. Erud. Ep. 1.



IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. A. Marcucci Episc. Montis-Alti Vicesg.

SUmmis equidem laudibus celebranda est immortalis memoriæ Clementis XII. ceterorumque, qui subsecuti sunt, Summorum Pontificum providentia, qua effectum est ut in Ædibus Capitolinis tot tamque insignia venerandæ antiquitatis monumenta certa velut, stabilique in sede collocarentur ad perenne bonarum artium subsidium, atque Urbis æternæ ornamentum. Inter ea autem præcipue sane locum obtinere debent literati lapides, ex quibus nemo est qui nesciat quam uberes fructus percipi possint ad rectam absolutamque rerum Romanarum intelligentiam. Quapropter Cl. Virum March. ***Franciscum Eugenium Guascum*** Pontificii Musei Capitolini Curatorem perpetuum iis omnibus qui hoc studio tenentur, rem gratam utilemque fecisse existimo, dum ejusdem Musei Inscriptiones omnes, quamquam magna ex parte ab aliis jam editas, in unum corpus redigere & in proprias Classes discretas evulgare sibi proposuit. Quod enim cæteri minime præstiterunt, ejusque imprimis laudi vertendum est, eas ipse non modo quam emendatissimas edendas curavit, sed eruditis etiam notis adjectis perpetuo velut Commentario illustravit. Quod vero ad me attinet primum ejus operis volumen cui titulus = ***Musei Capitolini Antiquæ Inscriptiones &c.*** jussu Rmi P. Thom. Augustini Ricchinii S. P. A. Magistri attente evolvi, nihilque in eo deprehendi, quod cum orthodoxæ fidei legibus consentaneum non sit. Optandum ergo, ut quam primum tanto præsertim Auspice PIO nempe VI. P. O. M. optimarum artium omnium Cultore eximio, & Patrono beneficentissimo, in lucem exeat. Datum ex Monasterio S. Romualdi IV. Non. Februarii 1776.

H. Henricus Sanclementius Abbas Camald. & Sacr. Rituum Congr. Consult.

OPus quod inscribitur = ***Musei Capitolini antiquæ inscriptiones a Francisco Eugenio Guasco editæ notisque illustratæ*** = Jussu Revereudissimi P. F. Thomæ Augustioi Richini Ordin. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magistri attente, nec sine magna animi voluptate perlegi. In eo siquidem qua Reipublicæ litterariæ bono, qua Urbis florentissimæ decori optime consultum animadverti, dum amplissima Inscriptionum supellex per temporum intervalla in Pontificio Capitolino Museo, intuentium studio, absentium desiderio collecta, ita perpetuis doctissimisque Commentariis illustratur, ut primum acrius incitatum, leniri alterum quodammodo videatur. Opus igitur, quod vir doctrina atque optimarum artium scientia apprime excultus vulgare optat, nihil plane contra fidem ac bonos mores continere, quin & publica luce, si tamen ii ad quos spectat judicium meum probaverint, dignum vel maxime censeo.

Datum Romæ ex Academia Nobilium Ecclesiasticorum VIII. Kalend. Februarii 1776.

Paulus Antonius Paoli Congregationis Matris Dei Sacerdos & Accademiæ Ecclesiasticæ Præses

JUssu Reverendissimi Sacri Palatii Apostolici Magistri opus inscriptum = ***Musæi Capitolini Antiquæ Inscriptiones Auctore March. Francisco Eugenio Guasco &c.*** attente perlegi: in eoque non modo nihil reperi, quod catholicæ veritati, bonisque moribus adversetur, sed summa in Cl. Viri diligentiam in colligendis excribendisque Titulis atque Epigrammatibus, multiplici eruditione & quasi perpetuo Commentario illustratis. Unde Antiquitatum studiosi non mediocrem harum rerum fructum capere possint. Quare illud in lucem edi tuto atque utiliter posse censeo. In quorum fidem &c. Ex ædibus ad Pincium XVIII. Kal. Eebruarii 1776.

Horatius Orlandius

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Mag.

DIIS



I.

DIIS OMNIPOTENTIBVS

LVCVS RAGONIVS
(sic) UENVSTVS . V . C.
AVGVR PVBLICVS
P. R. Q. PONTIFEX
VESTALIS MAIOR
PERCEPTO TAVRoBoLIo
CRIOBOLIOQVE
X. KAL. IVN
D. N. VALENTINIANO
AVG. IIII. ET
NEOTERIO CONSS
ARAM CONSECRAVIT

CAPUT I.

Deorum Dearumque nomina, & attributa, Templa, Ædes, Aræ, Signa, Sacerdotes, Ministri Sacrorum, & Votiva.



A Lapide, totam Gentilium Deorum catervam congreganti, quemque idcirco *Pantheum* quodammodo appellari licet, initium.

OMNIPOTENTIBVS. Incongruens, atquē penitus absurda, in ipso Inscriptionis limine sententia, in ipso scilicet Deorum attributo: quod enim recte Virgilius de mortalibus cecinit, de Diis similiter dicendum

.... *non omnia possumus omnes*.

Revera, Omnipotentiam, pluribus Diis tribuere, adeo frivolum, ac ridiculum fuit nonnullis Ethnicis viris, ut plerique illorum senserint, omnes Deos, ad unum tantum, videlicet ad Solem, esse referendos. Grave hoc argu-

gumentum, fusè, ac egregiè pertractavit Macrobius *Saturn.* lib. I. cap. XVII. usque ad XXIV. quem adi si vacat. Interea pauca hæc Prætextati apud eumdem interloquentis verba accipe. *Cave mi Aviene*, inquit, *existimes Poetarum gregem, cum de Diis fabulantur, non ab aditis plerumque Philosophiæ semina mutuari: nam quod omnes penè Deos dumtaxat, qui sub cœlo sunt, ad Solem referunt, non vana superstitio, sed ratio divina commendat. Si enim Sol, ut veteribus placuit, dux & moderator est reliquorum luminum, & solus stellis errantibus præstat; ipsarum verò stellarum cursus, ordinem rerum humanarum pro potestate disponunt, vel* (ut Plotino constat placuisse) *significant; necesse est ut Solem qui moderatur moderantes, omnium, quæ circa nos geruntur, fateamur auctorem.* Epicurum ipsum, quem tamquam impium, scelestumque hominem nonnulli, capite, ut ait D. Hieronymus, è Cleanthis puteo elato, immeritò suggillant, multitudinis Deorum inconvenientiam agnovisse liquet ex Laertio lib. x. vide, quæso, Opusculum, quod sub arcadico Alcisti Solaidii nomine edidi Ven. 1756. cui titulus *Epicuro Difeso*.

LVCVS. Fortasse *Lucius*.

AVGVR PVBLICVS. P.R.Q. *Augur publicus Populi Romani Quiritium*, uti in saxo apud Muratorium. p. 728.

C. PASSIENO. C. F. SCAP
COSSONIO. SCIPIONI. ORFITO
C. V. AVGVRI
PVB. P. R. QVIR
&c.

& per extensum p. 702.

Q. FLAVIO MAESIO EGNATIO LOLLIANO
C. V. Q. K. PRAETORI URBANO AVGVRI PVBLICO
POPVLI ROMANI QVIRITVM
&c.

Hi quidem appellabantur *Augures publici populi Romani Quiritium*, ad distinctionem *privatorum* seu *Imperatoriorum*; nam & Augusti domesticos habebant Augures, qui pro sua salute excubarent, & auspicia captarent; hinc censendum eadem libidine, vivos Imperatores, Augures habuisse, qua mortuos, Flamines. Vetus inscriptio Gruteriana p. 304.

D. M.
CN. IVLI. CN. FILI. DONATI
PRISCI. EX. EQVO. PVBLICO.
ADIVTORIS. ARVSPICVM. IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

De Auguribus, inferius

PONTIFEX VESTALIS MAIOR. *Majores* aliquos, alios *minores* fuisse apud Ethnicos Pontifices, constat tum ex Auctoribus, tum ex Lapidibus. Vestæ vero Pontificem, perperam cum Pontifice Maximo confundit Lipsius, cui merito adversatur Gutherius *de jur. Pont.*

PERCEPTO TAVRoBoLIo. Quomodo, quibusque ritibus exciperetur Taurobolium, permulti explicarunt, ast fusius, ac singulari doctrina, & eruditione, Firmicus, Prudentius, Dalenus, Philippus a Turre, Fortunatus Scacchius, Baronius, Lucius Camarra, Bozæus, Odericus, Bonada &c. Ego, ad nimiam prolixitatem vitandam, imaginem a Bozæo congestam, atque ordinatam hic dabo, in qua qui Tauroboliatur, Sacerdotes, Ministri, atque Victimæ distincte conspiciuntur

Monu-



Monumenti autem illuſtrationem, ex Prudentii, de S. Romano Martire diſertiſſimis, notiſſimiſque carminibus, accipe.

Summus Sacerdos, nempe ſub terram Scrobe
Acta, in profundum conſecrandus mergitur,
Mire infulatus, ſecta vittis tempora
Nectens, corona tunc repexus aurea,
Cinctu Sabino, ſericam fultus togam,
Tabulis ſupernæ ſtrata texunt pulpita,
Rimoſa rari pegmatis compagibus.
Scindunt ſubinde, vel terebrant aream,
Crebrove lignum perforant acumine,
Pateat minutis, ut frequens hiatibus.
Huc Taurus ingens fronte torva, & hiſpida,
Sertis revinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur,
Nec non, & auro frons coruſcat hoſtiæ,
Setaſque fulgor bractealis inficit.
Hic, ut ſtatuta eſt immolanda Bellua,
Pectus ſacrato dividunt venabulo,
Eructat amplum vulnus undam ſanguinis
Ferventis, inque texta pontis ſubditi
Fundit vaporum flumen, & late æſtuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapſus imber, tabidum rorem pluit,
Defoſſus intus, quem Sacerdos excipit
Guttas ad omnes turpe ſubjectans caput
Et veſte, & omni putrefactus corpore.
Quin os ſupinat, obvias offert genas.
Supponit aures, labra, nares obiicit,
Oculos, & ipſos perluit liquoribus;
Nec jam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Poſtquam Cadaver ſanguine egeſto rigens
Compage ab illa Flamines retraxerint,
Procedit inde Pontifex viſu horridus,
Oſtentat udum verticem, barbam gravem
Vittas madentes, atque amictos ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis ſordidum piaculi,
Omnes ſalutant, atque adorant eminus;
Vilis quod illum ſanguis, ac bos mortuus
Fœdis latentem ſub cavernis laverint.

Qui

Qui hoc ritu, tantaque solemnitate Tauroboliabantur, hac turpi, per Taurinum sanguinem, expiatione, se mundos ad viginti annos, ab omni peccato censebant, uti his versibus, ex antiquo poemate, confirmat Salmasius in Lamprid.

Sub terra missus, pollutus sanguine Tauri
Sordidus, infectus, vestes servare cruentas
Vivere cum speras viginti mundus in annos.

post quod temporis spatium sacra Taurobolia iterabant; sic in Gruteriana: *Cejonius Rufus Volusianus* ITERATO VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEPTIS. TAVROPOLIIS. (*sic*) VI. ARAM. CONSTITVIT. ET CONSECRAVIT X. KAL. IVN. Immo vero *perpetuò* se aliquando a peccatis expurgatos existimabant, quod liquet ex Panviniano marmore, in quo legitur SEXTILIVS. AGESILAVS. AEDESIVS TAVROBOLIO. CRIOBOLIO. QVE. IN AETERNVM. RENATVS. Hinc celebris de Taurobolii origine quæstio. Sunt enim qui opinantur sacra hæc hausisse Gentiles è dogmate Christianorum, a quibus audiebant impuros homines REDEMPTORIS nostri SANGVINE emundari, & DEO reddi acceptos. Hæc sententia fuit Reinesii, Kipingii, aliorumque. Eruditissimus *De Vita*, Taurobolii institutionem sumpsit ab his D. Pauli verbis ad Hebræos. *Si enim sanguis hircorum, & Vitulorum, & cinis Vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat, ad emundationem Carnis, quanto magis* SANGVIS CHRISTI *emundabit conscientiam nostram ab operibus carnis.* Verum utramque sententiam funditus se constrasse putavit Laur. Moshemius, qui Christianam Religionem Taurobolio posteriorem facit, licet Taurobolii mentio nulla penes Scriptores reperiatur, ante Jul. Firmicum Maternum, qui Constantio, & Constante Impp. floruit. Novissimè cl. Gorius nodum solvi posse credidit, si Taurobolii mysterium unum fuisse cum Mythriaco diceretur. Sed hanc Gorii conjecturam, quam tacitè approbavit modestissimus in opinando Odericus, apertè repudiarunt præclarissimi Marmorum Taurinensium Collectores. Probabilior ergo mihi erit sententia Fortunati Scacchii, ac Danielis Huetii, qui causam sacris Tauroboliacis præbuisse ajunt, ritum consecrationis Sacerdotum Hebræorum, quo dextræ eorum aures mactati Arietis sanguine tingebantur, uti colligitur ex sacris literis, *Exod.* 29. *Tolles quoque Arietem alterum, super cujus caput Aaron, & filii ejus ponent manus, quos cum imolaveris sumes de sanguine ejus; ac pones super extremum auriculæ dextræ, ac filiorum ejus, & super pollices manus eorum, ac pedis dextri.* Nec attendendum, quod somniavit Spencerus, Judaicam scilicet consecrationem a Tauroboliacis mysteriis originem duxisse. Emendandi interim sunt Kippingius, laudatique marmorum Taurin. Collectores, qui locum ubi Romæ Taurobolia celebrabantur, in circo Flaminio constituerunt: extitisse enim in Vaticano, satis probant Blanchinius *in Præf.* ad *Tom.* 1. *Anastasii*, Lapides sub Paulo V. ibidem effossi, celebris denique Ara Lugduni reperta, atque a Bozæo dilucidata. V. *Mem. de l'Accad.* &c. T. 2. P. 2. *ed. de la Haye*, in qua L. ÆMILIVS CARPVS VIRES EXCEPIT. ET A VATICANO TRANSTVLIT. ARA ET BVCCARNIVM SVO IMPENDIO CONSACRAVIT. Corrigantur tertio, Baronius A.C. 361; & Bulengerus *de Imp. Rom. lib.* 1. qui Prudentii versibus decepti, orgia hæc fœdissima, cum Pontificis Max. consecratione confuderunt. Doctissimus Odericus, ad hanc inscriptionem

AEMILIA
SERAPIAS.
TAVROBOLIVM FECIT
PETRAM TAVROBOLIATAM
POSVIT
&c.

reprehendit Fortunatum Scacchium, qui scribit in *sacr. Elæochrism.* T. 1 1. p. 688. *Non solum homines sanguine Criobolii, & Taurobolii fœdabantur, sed etiam, ut puto, Altaria ipsa his sanguinibus fœdata consecrabantur.* Verum redarguendi fortassis ipsi *Odericus*, & *De Vita* (tantorum virorum pace dicam) qui PETRAM, infrascriptum *Titulum* hic significare sunt opinati. Cur non potius Petram illam, seu Tabulam lapideam, ex cujus foraminibus victimæ sanguis, ad abluendum Pontificem emanabat? vel cum Reinesio Cl. 1. p. 86. *Aram ipsam*

quæ

quæ Matri Deûm in his sacrificiis ponebatur? Victimarum sanguine Aras aspergere, immò & vestes, instrumentaque sacrificii consecrare in more fuisse, non apud Ethnicos dumtaxat, sed (salvo mysterii Sacramento) apud Hebræos, divino ipso holocaustorum Institutore jubente, nemo negabit: Verba tamen Exodi, laudati viri sub oculis habebant, Capitis scilicet XXIX. 19. 20. 21. *Tolles quoque Arietem alterum..... quem cum immolaveris sumes de sanguine ejus.... fundesque sanguinem super Altare* per circuitum. *Cumque tuleris de sanguine, qui est super Altare & de oleo unctionis asperges Aaron* & vestes ejus, *filios*, & vestimenta *eorum: consecratisque ipsis*, & vestibus, *tolles adipem* &c. Legerant procul dubio D. Pauli Epist. *ad Hæbr.* cap. 9. ubi hæc habentur. *Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem Vitulorum, & Hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque* librum *& omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam* Tabernaculum, *& omnia* Vasa *ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quis nostræ præterea Ecclesiæ Sanctæ ritus consecrandi Campanas, benedicendi vestes, ungendi Templorum parietes, ignorat? At cum Christiana Ethnicis miscenda non sint, plura omitto, quibus Scacchii sententiam (quam sequor) facile tueri possumus. Qui plura optat laudatos adeat Scriptores, qui mira diligentia, summaque eruditione, non de *Taurobolio* tantum, sed & de Criobolio, deque *Ægobolio*, sive *Æimobolio* differuerunt. Notandum obiter Taurobolia, & Criobolia, sacra fuisse Magnæ Matri Deûm: Matri Ideæ, hoc est Cybeli, & frequenter Cybeli ejusque Amasio Attidi, de quo inferius Num. 7. Nunquam verò Dianæ, licet aliquando *Tauropola*, sive *Taurobola* vocaretur, neque Minervæ, uti adversus Carolum Stephanum, Cambdenum, atque Seldenum probavit doctissimus Dalenus *de Sac. Taurob.* Diss. cap. 2.

CRIOBOLIOQVE. Idem utriusque ritus Taurobolii, & Criobolii; eadem causa: nominis autem diversitas, ex victimarum diversitate derivata fuit. Priore etenim Tauri, posteriore Arietes mactabantur. Criobolium tamen, sive Arietis, arbori alligati, immolatio Attidi potissimum fiebat, quem eumdem cum Sole credebant. Julius Firmicus tractum Criobolium censuit ab exemplo Patriarchæ Abrahami. *Vide*, inquit, *quid sibi ludibriosus hostis invenerit. Abrahæ immolaturo Filium, jussu Dei aries supponitur, & in vicinæ arboris radicibus immolatur.* Firmico suffragatur Vossius *Idololatr.* lib. 2., sed perperam, uti judicat Dalenus.

X. KAL. IVN. D. N. VALENTINIANO AVG. IIII. ET. NEOTERIO CONSS. *Die vigesima tertia Maii. Domino nostro Valentiniano Augusto, quartò, & Neoterio Consulibus.* Quartus iste Flavii Valentiniani junioris consulatus, cum Flavio Neoterio (quem ignoravit Panvinius in Fastis) incidit in A. C. 390. juxta Petavium, Almelovenium, & Pagium *in Diss. Hypat.* p. 265.

ARAM CONSECRAVIT. Quo in Templo, non indicat Marmor: Verum, cum nullum extaret Romæ templum *Omnipotentibus Diis* dicatum, censendum est, Aram hanc votivam, in Pantheone potius, quod omnium Deorum sedes credebatur, quam alibi, a Lucio Ragonio fuisse consecratam.

2.

CAELO ETERNO
TERRAE MATRI
MERCVRIO
MENESTRATORI
SACRVM . POSVIT
L . OCTAVIVS L . F.
VERVS . ET
OCTAVIA . EVHODIA
MATER

CAELO ETERNO. *Æterno*. Cœlum, quod & *Cælus*, & *Uranus* a veteribus dicebatur Acmonæ filium, Saturni Patrem fuisse fabulantur Ennius, Theocritus, Phornutus, aliique. Atlantides, Africæ populi, hunc primum Deum apud se regnasse prædicabant, testibus Diodoro, & Eusebio; quapropter cum humanis etiam victimis colebant. Persæ quoque, ait Strabo, Cælum Deum putabant, & Jovem appellabant. *Hic observandum*, inquit Stuchius, *Cæli, sive Cælorum nomen in sacris litteris, figura loquendi, quæ a Grammaticis metonymia dicitur, pro Deo, sive Domino, & possessore cœlorum accipi. Sic quidam* (immo omnes) *interpretantur illa filii perditi, & prodigi confessionis verba*, Peccavi in Cælum, *idest in* Deum: *ubi per id, quod continet, id quod continetur significatur*.

TERRAE MATRI. Mater, & quidem Mater *magna*, & *alma* ab Ethnicis dicta est Terra; quod cibum gignat, quod universa animalia fructibus suis alat. Item Mater Deorum, propterea quod Dii, qui ab iis colebantur aliquando mortales fuerunt, ac ut cœteri mortales terræ fructibus victitarunt. Hac sane appellatione Ethnici Deorum suorum nullitatem, suamque in illis colendis futilitatem, atque dementiam prodiderunt. Attamen Heraclides Ponticus, Plato, Cicero, innumerique Scriptores, Terræ, divinitatis naturam tribuerunt. Verum audiendus est Plinius, qui de *Terra Matre* verba eleganter facit in H. N. lib. 2. cap. 63. *Huic uni*, inquit, *naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus Maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei; quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper, novissimè complexa gremio, jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut Mater operiens; nullo magis Sacramento, quam quo nos quoque sacros facit, etiam monumenta, ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, & memoriam extendens contra brevitatem ævi*. Nec Terra tantum genericè sumpta, sed & Terræ partes colebantur, vel certis consecrabantur Diis; montes nempe, valles, colles, sylvæ, nemora, luci: hinc ridicula illa apud Varronem, Augustinum, Lactantium, turba Deorum, Carmelus, Amanus, Jugatinus, Oreades, Dryades, Amadryades, Vallonia, Collina, Sylvanus, Fauni, Satyri, Nemestrinus, Terminus, Rurina, Rubigus, Arungus &c. *Tellus* denique a *Tellumo*, sive *Tellumone* distinguenda est: nam uti ait D. Augustinus de C. D. cap. XXIII. *Tellus* nihil est aliud, quam vis, & quidem fœminina, quæ semina recipit, & nubit. *Tellumon* vero vis masculina, quæ semina producit. Terram stare crediderunt antiqui: unde Ovidius

Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur.

Ad recreandum verò Lectoris animum, meis facilè nugis defatigatum, pulcherrimum ex Gorii Inscript. T. 1. tab. XIV. Anaglyphum, in quo Terra, cum Aëre ad dextram, Aqua ad sinistram repræsentatur, exhibeo.

In-



Infantium unus visitur uberibus inhians, alter pomum ostentans; ad pedes Bos saturus, & ovis pascens: spicæ, flores, herbæ, papavera e scopulo erumpentes &c. at vide ipsum Gorium *loc. cit.* p.76.

MERCVRIO MENESTRATORI. *Ministratori*, ac merito, nam Mercurius, Explorator, Cursor, Nuncius, Leno, Excubitor, Medicus Deorum, atque a consiliis, potissimum Osiridis, extitit. Is præterea alatus, petasatus, caduceatus, mortuorum animas, ad inferos deducebat. Etrusca lingua, *Camillus* dictus est, quasi Deorum minister, ex quo Camillæ, & Camilli, ministræ, & ministri, in sacris inservientes. Hunc insuper mensurarum, & ponderum, cythararum fistularumque inventorem, literarum repertorem, auctorem lanificii, musicum, furum Patronum, eloquentiæ, mercaturæ, lucrique Deum nominarunt Ethnici, atque Peregrinantium tutelare Numen, unde dictus est *Vialis*, cuique lapidum cumulos juxta vias dedicabant. Hinc *Cumulus* in Anthologia, de se loquens

> *Sacram Mercurio me prætereuntes fuderunt*
> *Homines lapidum congeriem.*

& Hesychius: *Mercurialis acervus significat cumulos lapidum Mercurii in viis coacervatos in ejus Dei honorem; est enim* Ενόδιος, h. e. *Vialis*, quasi *Viarum præses*.

3.

I . O . M . SOLI SARAPIDI
SCIPIO ORFITVS V C
AVGR
VOTI COMPOS REDDITVS

I. O. M. Jovem Capitolinum, inquit Tullius de N. D. Populus Rom. propter beneficia OPTIMVM, propter vim MAXIMVM nominavit; & quidem ante *Optimum*, idest *beneficentissimum*, quam *Maximum*; quia *majus est certeque gravius prodesse omnibus, quam opes magnas*

gnas habere. Hinc Lactantius: *Quid omnium horum pater Jupiter, qui in solemni precatione* OPTIMVS MAXIMVS *nominatur*? De Jovis O. M. templo vid. Just. Rycquium *in Capitol. Roman.* cap.xx.


Cum nulla appareat in titulo conjunctio copulativa, perspicuum est ad Jovem tantum, Solis atque Serapidis nominibus decoratum, votivum istud Scipionis marmor pertinere. Praeterea notum est Serapidem apud Ægyptios, eumdem fuisse atque Jovem, & Ammonem, & Ditem, & Solem, & Nilum, & Æsculapium; quod praeter Tacitum, Athenæum, Macrobium, aliosque Auctores, confirmat hic nummus Panthæus Antonini Pii jam a Seguino vulgatus p. 3.





in cujus parte aversa, caput barbatum instar Jovis, modio supra caput, seu calatho instar Serapidis; radiis coronatum uti Apollo, sive Sol, cum cornu Ammonis, & Plutonis tridente, ac Cornucopia quæ Nili ubertatem designat. Sunt qui hæc esse Mosis symbola opinantur. Witsius in *lib. sing.* de x. *tribub.* Israel cap. 1. §. 13. sic scribit.

Cujus hæc sint symbola, nisi Mosis, qui radiatus de Horebo descendit, qui cornutus pingitur, cujus gestamen, virga, fuit in serpentem, non semel mutata? Firmicus vero, Svidas, Pierius, Baronius, Spondanus, aliique doctissimi viri, ea Josepho tribuenda esse autumant. *Serapidis statuam*, verba sunt Svidae, *Theophilus Archiepiscopus Alexandriæ evertit sub Theodosio magno. Hunc autem alii quidem* Jovem *esse dixerunt; alii vero* Nilum, *quod modium, & cubitum in capite gestaret, aquæ mensuram scilicet: alii vero* Josephum, *alii* Apidem, *quemdam hominem opulentum, & regem Memphitidis urbis Ægypti fuisse dicunt. Quum autem fames apud Alexandriam fuisset, illis de suis facultatibus victum iste præbuit. Illi vero mortuo Templum erexerunt, atque consecrarunt, in quo Bos alebatur, symbolum agricolæ, vel potius agriculturæ ferens, & quasdam in colore notas habens, idest* ἐπισάμα. Maculati hujusmodi Bovis imaginem, ad illustrationem Suidæ narrationis dabo ex Petro Zornio *Bibl.. Exeget.* P. 1.



Quis-

Quisnam autem fuerit iste Bos, apparet ex ipsius appellatione, nam & ipse vocabatur Apis. *Hujus autem Apidis loculum in quo jacebat ipsius corpus, Alexandriam transtulerunt, & ex nominibus* σορὸς, & ἄπις *compositum nomen fecerunt, &* SORAPIN *ipsum vocarunt. Qui vero postea sunt secuti; eum vocarunt Sarapin* (recte igitur in nostro saxo SARAPIDI) *hujus templum ab Alexandro conditum est maximum.* Cuncta hæc Suidæ dicta facile ad Josephum referri possunt; quia primum ex Genesi XLI. 45. jussu Pharaonis mutatum fuit Josepho nomen, nuncupatusque ægyptiaca lingua SALVATOR MVNDI: notatu enim Baronii ad An. 389. & Spondani Nu. XVI. vox SERAPIS apud Ægyptios idem sonat, quod *Mundi Salvator*. Apidis nomen quoque Josepho convenit. *Apis* enim *Adæquator* ἀπὸ τοῦ Ἀπισόω, nimirum *adæquo*: quomodo vero adæquaverit frumentum septem annorum sterilitatis, cum tritico septem annorum fertilium, innuit S. S. loco cit. Cornelius a Lapide aliam Serapidis, ac probabiliorem etymologiam affert: putat hic doctissimus divinarum scripturarum Interpres ex Hebraica voce SAR, quæ *Principem* indicat, & ex Ægypthiaca APIS, seu *Bos*, nomen componi SERAPIS, *Princeps Bovis*. Laudat & Firmici etymon SARAPIS, *Saræ nepos*, qualis fuit Joseph: accedit quod ab Ægyptiis JOSEPH, dicitur *Aseph*, & per metathesim *Apis*. Addit tandem Seraphis dici a voce *schorappahim*, scilicet *facies Bovis*: compertum est autem Josephum Pharaonis de Bobus somnium interpretasse, uti ex Genesi, eod. c. XLI. v. 26. 27. Itaque Josephum Bovi comparavit Moses in benedictione filiorum Israel, dicens Deut. XXXIII. v. 16. 17. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat super caput Joseph ... Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius.* Aliter legit D. Augustinus *tom.* 4. *quæst.* in *Deuter.*; at Sancti Doctoris lectionem, Vulgata non adoptavit. Omnes igitur etymologiæ, Josepho mire congruentes, demonstrant hunc ab Ægyptiis, sub Serapidis nomine, cultum, eique templum excitatum. Beneficum equidem Josephi nomen, atque memoriam, in summo honore fuisse apud eos, pro certo habeo; idcirco omnia fere, quæ de Serapide traduntur, Josepho, mea quidem sententia, referenda esse censeo. Quæ ergo de Serapide Ægyptio disseruimus, ad Jovem-Solem-Serapidem pertinere dicimus, tribusque his nominibus, unum tantum Numen, scilicet Jovem enunciari. Hinc in Jaspide Corvelli Angli, quam se vidisse Cpoli asserit Petrus Zornius T. 1. p. 216., hæc extabat epigraphe

ΕΙΣ ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ

Unus Jupiter Sarapis, & apud Gruterum inscriptiones habentur p. xx. num 9.

JOVI . SOLI
INVICTO . SARA
PIDI . T . AELIVS . AN
TIPATER . PROC
AVGG . CVM . VMBRICIA
BASSA . CONIVGE . GRATIAS
AGENTES . POSVERVNT

& num. 10.

ΔΙΙ . ΗΛΙΩ
ΜΕΓΑΛΩ
ϹΑΡΑΠΙΔΙ

Jovi Soli Magno Sarapidi.

VOTI COMPOS. *Compotes voti*, inquit Jacobus Rutgersius *Var. Lect.* lib. v. *tabellas solvebant, idest lacerabant, Diisque reddebant quæ promiserant.*

4.

GEMINIVS CORINTHES
I . O . M . VOTVM SOLVIT
ET ARAS OMNES DE SVO
REFECIT

I. O. M. Jovi optimo maximo. VOTVM SOLVIT. Votum susceptum *solvere, persolvere, vota exequi, liberari voto, votum sacrare*, apud Thomasinum *de Donar.* cap. 1. formulæ,

læ, quas ex Marmoribus deprompsit: item *votum ratum*, cum his qui voti damnatus, sese exsolvit; & *voti reus*, idest *debitor* apud Virgilium *Æn.* lib. v.

Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus.

Hinc Macrobius *Saturn.* lib. 3. *Hæc vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se Numinibus obligat; damnatus autem qui promissa vota non solvit*: Insuper ex voto *ponere*, pro *votum* solvere, uti in præsenti marmore

IVNO . R . ET . MINER . SAC
GENIO . COH . III . BRIT . ARAM
T . FL . FELIX . PRAEF . EX
VOTO . POSVIT . L . M
DEDICAVIT . KAL . DEC
GENTIANA . ET
BASSO . COS .

Vota ponere dixit Propertius lib. II. El. 19.

.... *jam nunc me sacra Dianæ*
Suscipere; & Veneri ponere vota juvat.

votum reddidit legimus in saxo Patavino

DEO . SANCTO . APOLLINI
(sic) PACI . FERO . EX . VOTO
CORTIS . PRAETORIAE . CENTVRIO
DASIELIVS
LIBENS . VOTVM . REDDIDIT

demum vota solventes, *absolutos* dicimus.

DE SVO. *Sua pecunia, de sua pecunia, ex stipe, ex stipe conlata, ex aere conlato, pecunia publica, sua impensa*, & similia in marmoribus passim.

REFECIT. *Renovavit*. Ita in Inscriptione Attini, quam ex Cupero in meum, de Ornatricibus, opusculum transtuli.

ATTINI ARAM
LVNAM ARGENT::
POSVIT . P . MARIVS
PHARETRA SACER::
ACCADE . PRIMA
MINISTRA MATRIS
MAGNAE MATREM
REFECIT . MAGNAM
ET . INAVRAVIT . ET
ATTINI . COMAM . IN
AVRAVIT ET BEL
LONAM REFECIT

Ita Cæsar de *Bello Gall.* lib. 4. *& quæ gravissime afflictæ erant naves, earum materia, atque ære, ad reliquas reficiendas utebatur*; & Cicero, *quin etiam memoria nostra templum Junonis sospitæ* L. *Julius, qui cum P. Rutilio Cos. fuit, de Senatus sententia refecit, ex Cæciliæ Baleatrici filiæ somnio*: de Divinat. lib. I. Sic Horatius Carm. lib. III. Od. 6.

Delicta majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labantes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.

uno verbo *Reficere*, est, *vitiatum* aliquid instaurare, uti apud eumdem Venusinum Carm. lib. I. Od. I.

. . . . . *mox reficit rates*
Quassas, indocilis pauperiem pati

GEMINIVS CORINTHES. Recte Muratorius CORINTHVS, uti apud Gorium *Geminius Jonicus*; in lapidis tamen nostri archetypo *Corinthes*.

I.O.D

5.

I . O . D
PRO SALVTE
IMP . L . SEPTIMI . SEVERI . PII . PERTINACIS . AVG
PII . FELICIS . ET EXERCITVM
ET . P . R . D . IVN . PACATVS CVM
ALEXANDRO FIL . SACRARVM
IVSSV . I . D . SVA . PEC . ADAMPLIAVIT . C . A . CAECILIO
RVFO . 7 . SACERDOTIB . SOPRANVS . ET . MARIN . ET CALVS

ITEM AVXIT
SALVO IMP E SEPSEVERO PER PIO . FEL . AVG . N
M . CAECILIVS . M . F . IVL . RVFVS . CONCORD
7 . LEG . III . CYRENAICAE . EX CORNICVLARIO
AELI . IVLIANI . PR . VIG . TETRASTILIVM . NIMPHAEVM
CRATERAM CVM COLVMELLA . ET . ALTARIVM . CVM COLVMELLA
MARMOREA . ET . ALIAM COLVMELLAM . ITEM ORBICVLVM CVM COLV
MELLA . ET . CETERA . ORNAVIT . I . D . D . D . DEDICAVIT PER
CLODIVM CAIVLIVM PR. VIG. ADSISTENTE ORBIO . LAETIANO SVB . PR. ET
CASTRICIO . HONORATO . TRIB. COH. II. VIG. PR. KAL. AVG.
APRONIANO . ET BRADVA CoS C. HAERCVLANIO . LIBERALE . VA

I. O . D. Notas iſtas ſingulares, nuſquam alibi ſe vidiſſe fatetur Muratorius: *erunt*, inquit, *qui interpretentur* IOVI OPTIMO DEO, *aut* IOVI OPTIMO DOLICHENO, ſive *Depulſori*. *Ægrè* tamen *crederet* agi hic de Jove; quare? quia *Stabilis mos fuit poſt* OPTIMO *adjungere* MAXIMO; quod mea quidem ſententia, nimis probat. *Stabilis mos* fuit Deorum nomina primo loco ponere; tamen in fine aliquando invenimus. *Stabilis mos* fuit Conſules ſignare duplicata SS. COSS., tamen ſcriptum COS. interdum reperitur, uti ſignanter in hac quam præ oculis habemus. *Stabilis mos* fuit in Lapidibus prænomen, deinde nomen, poſtremò cognomen indicare. In aliquibus tamen, licet rariſſimè, mos iſte neglectus videtur, uti obſervavit eruditiſſimus Zacharias. Nepos conſtanter præponitur Pronepoti; in lapide Gruteriano tamen, p. 369. Pronepos Nepotem antecedit: Nepos conſtanter poſt Filium legitur; in marmore tamen ipſius Muratorii, Filius ſuccedit Nepoti. *Tribus*, ſemper in Saxis, ſexto caſu ponitur; apud Fabrettum tamen, & in Capitolino, ſecundo; ſcilicet, ARNIENSIS. *Mos Stabilis fuit* Formulas *dederunt*, *poſuerunt*, *reſtituit*, *ſacravit*, *ſolverunt*, & ſimilia in tabulis votivis ultimo loco inſcribere, in Muſeo tamen Veronenſi formulam habemus immediatè poſt Mercurii nomen: MERCVRIO . V . L . S . M . M . Scævilius Corneolus. In Inſcriptionibus, quoties indicabantur Conſulatus, utriuſque Conſulis nomen ſignabatur; In Inſcriptione tamen ab Hagenbuchio relata, ſolus Servianus nominatur, omiſſo conlega C. Vibio Juventio Varo. At innumera, his ſimilia, in medium poſſem exempla proferre, ſaltem ad probandum *ſingularitatem* Siglarum I. O. D. tanti haud eſſe ponderis, ut ea attenta, Jupiter ab hoc Marmore expelli debeat. Præterea, quis Muratorii verbis, manifeſtè inter ſe repugnantibus, acquieſcet? Nam ſi *Mos Stabilis fuit* OPTIMO *adjungere* MAXIMO, quomodò ipſe hic, τὸ OPTIMO, omiſſo Maximo *adjungit* DEO, aut DOLICHENO? Verum, quid legi vetat IOVI OMNIPOTENTI DEO?

DEO? nonne in Capitolina, uti vidimus, DIIS OMNIPOTENTIBVS? Et in Gudiana p.57. OMNI. POT. h.e. OMNIPOTENTI Genio Fontis? Nonne in his verbis, IVPITER OMNIPOTENS SEV QVO ALIO NOMINE APPELLARI VOLVERIS, Pontifices Jovem precari consueverant? V. Brisson. *de Form.* lib.1. cap.89. Serv. *in Æn.* IV. His adde verba Ascanii vota facientis *Æn.* IX.

Jupiter omnipotens, audacibus annue cœptis.

& Georg. lib.II.

Tum Pater omnipotens *fœcundis imbribus æther*
Conjugis in gremium læte descendit.

Si *Maximus*, *Optimus*, *Augustus*, *Altissimus*, *Æternus*, quare non etiam *Omnipotens Jupiter*?

EXERCITVM. *Exercituum*. Pro salute nempe L. Septimii Severi, & *Exercituum*, & P. R. *Populi Romani* Decius Pacatus cum Filio Alexandro SACRARVM *Sacrarium*, jussu I. D. *Junonis Deæ*, sua pecunia adampliavit.

IVSSV. *Monitu*, vel *Jussu* Deorum, vel *ex viso*, aut *visu* formulæ assentatorum erant, ut crederetur, verè conscio Numine, vota fuisse suscepta, atque hinc de Salute, incolumitateque Cæsarum vehementer laborare Deos conijceretur.

SACRARIVM. Quædam publica, quædam privata Sacraria habuerunt Romani. Inter privata celebre est, illud Alexandri Severi, in quo Christum, & Abraham, indignissimè cum Apollonio, atque Orphæo consociatos, quotidiè venerabatur. Juxta Isidorum, *Sacrarium* non ipse locus Sacer, sed in quo res Sacræ deponebantur, quod teste Ulpiano (L. 9. de *Rer. divis.*) etiam in Ædificio privato esse potest, unde Cicero, *Aquila illa argentea, cui Catilina Sacrarium scelerum domi tuæ fecerat*. Hic sanè de publico Sacrario agitur, quemadmodum Augusto positum fuisse regione Palatina, ad Capita Bubula, ubi natus erat, docet Svetonius Cap.V., ubi pro Sacrario, *Sacellum* intelligit, ut non semel Cicero, & signanter pro Mil., *ante ipsum Sacrarium Bonæ Deæ*. Neque censendum Oratorem hic loqui de loco, quo utensilia huic Deæ sacra servabantur, sed de Æde, *ante ipsam inquam Bonam Deam*. Advertendum est, Sacrarium aliquando pro *Consistorio*, seu Concilio Principis usurpari; in quo Imperator gravioris rei negotia cognoscit. Exempla præbet C. Theod. *Quæcumque Civitas Legatos* ad Sacrarium *nostrum voluerit ordinare*, *& Neminem de Numinis Nostri* Sacrario *prodeuntem arena suscipiat*. Ego autem vocabulo *Sacrarium adampliatum*, omnibus diligenter expensis, hic magis consentaneam autumo Isidori interpretationem, intelligique debere locum illum, quem nos *Sagrestia* vocamus: Sacrarium videlicet templi Jovis, cui D. Pacatus pro Severi, & exercituum salute votum voverat. C. *Curante* A. Cæcilio Rufo *Centurione*; Sacerdotibus verò Sopatro, Marino, & Calo, sive *Calvio*, aut *Calvo*.

ITEM AVXIT. Quamquam hæc inscriptio duobus constet Lapidibus, ex his tamen verbis conijcitur secundam hanc partem, cum priori esse jungendam.

CONCORD. *Concordia*, Decimæ Regionis Italiæ oppidum, quod nominat Plinius lib.3. cap.18. *Oppidum Altinum*, *flumen Liquentia ex Montibus Opiterginis*, *colonia Concordia*; *flumina*, *& portus Romatinum*. Eodem nomine, cognomento vero *Jula*, alterum extat in Hispania *Concordiæ* oppidum; Item tertium, juxta Antonini itinerarium, in Alsatia, inter Argentoratum, & Tabernam, vulgo Kochersperg. Quæ, ex his tribus, fuerit M. Cæcilii Rufi Patria, ignoro; si quis divinabit.

. . . . . . *erit mihi magnus Apollo*.

LEG. III. CYRENAICAE. Hujus Legionis frequentissima in saxis mentio. Nomen habuit a Cyrene, quæ insignis olim Urbs Libyæ fuit a Batto Theræo condita, & a Cyrene Penei amnis filia, quam adamasse Apollinem, ac in eam Libyæ plagam transtulisse

liſse fabulantur Poetæ. Patria illius Simonis fuit, Alexandri, & Rufi patris, quem Judæi *apprehenderunt, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt Jeſum*. Luc. XXIV.

EX CORNICVLARIO. Cornicularii in antiqua Militia Romana genus erant Militum honeſtiorum, qui ab galeæ paraſemo ſic dicebantur, Beneficiarii, ut plurimum Tribunorum aut Centurionum: de his galeis vide *de Choul*, in lib. *de Caſtrament.* Ut enim in Exercitu, & acie dicitur *Cornu*, ita in Cohortibus Militum *Corniculum*, a quo *Cornicularius*, inquit Turnebus, qui *Corniculo* Tribuni præeſt. Sunt, qui credunt nomen ſumpſiſse ex quodam donatico ornamento. Nam Livius refert Papirium Conſulem equites omnes, ob inſignem in bellis operam donaſſe *Corniculis*, armilliſque argenteis. Svetonius item de Orbilio Pupillo Beneventano, *primo apparituram fecit Magiſtratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* Sigonius eos Cornicularios dicit, qui Tribunorum loco vigilias circumirent, atque eorumdem imperia corniculo ederent. Cornicularii quoque vocabantur, qui juſſa, Sententias, & Decreta Præfecti Prætorii, aut Præſidis ſcribebant, & publicabant. In Martyrologiis, & in Actis S. Symphoriani, quatuor occurrunt Martyres, Præfecti Urbis Cornicularii, quos *quatuor Coronatos* appellant, ſcilicet Severus, Severinus, Victorinus, & Carpophorus, qui imperante Diocletiano martyrii palmam ſunt conſecuti. De Cornicularis conſulantur Vegetius, Sigonius, Turnebus, Marcellus Donatus, Valturius, Gutherus, atque Th. Bartholinus *de Armillis vet.* At Cæcilium hunc noſtrum, Cornicularium fuiſſe PR. VIG. *Præfecti Vigilum*, enunciat inſcriptio, uti alia de Athenæo Firmo.

(*sic*)
ATENAEVS FIRMVS
CORNICVLARIVS SVP.
PRAEF . VIGIL

TETRASTILIVM *Tetraſtylum*: Ædificium aut potius Ædicula, quatuor innixa Columnis: Hujuſmodi Ædicularum formas, multifariè expreſſas, exhibent centies antiqua Numiſmata, ex quibus quædam ſelecta, ad operis ornatum, hic, ex CaroloPatino ſubijcio; primum videlicet *Trajano*, a Seleucidis; ſecundum *Hadriano* a Tiberienſibus; tertium *Criſpinæ* Commodi Uxori, a Magnetenſibus; quartum *Balbino*, a Mileſiis cuſum; quintum a Corinthiis, *Vero*; ſextum M. *Aur. Antonino*, a Smyrnenſibus apud Dalenum.

I



II



III



IV



VI



V



NYMPHAEVM. De forma, aut uſu Nymphæorum non ſatis conſtat. Zonaras, & Petrus Gillius, Nymphæum Coſtantinopolitanum, ſub Leone magno Imperatore incendio con-

consumptum, commemorantes, volunt Nymphæa, esse Palatia publica in quibus nuptias celebrarent, qui aut proprias non possiderent Domos, aut nimis angustas. Itaque a Sidonio, loca hæc, *Thalassia* vocantur, a *Thalassio*, qui in Nuptiis invocabatur. Alii, loca publica, in quæ non ut in Balneas, aut Thermas propter usum aqua deduceretur, sed amœnitatis causa, uti in hac Barberinarum ædium pictura, a doctissimo Holstenio breviter dilucidata



A Nympharum Statuis, quibus ornabantur, nomen traxisse, communis est opinio. Ab ipsis Imperatoribus, nymphæa magnificè constructa docent Historici, Victor, Capitolinus, Ammianus; Nymphæi Flavii Philippi Præfecti Urbis, mentionem facit vetustus Lapis apud eruditissimum Eduardum Corsinium *de Præf. Urb.*

FLAVIVS PHILIPPVS VIR CLA (*sic*)
RISSIMVS.PRAEFECTVS.VRBI.NYMPE
VM.SORDIVM.SQVALORE.FOEDA
TVM.ET.MARMORVM.NVDITATE
DEFORME.AD.CVLTVM PRISTINVM
REVOCAVIT

NYMFIVM, habet eadem inscriptio in antiquitatibus Georgii Fabricii, cujus diligentissimam Nymphæi Neapolitani descriptionem recitare operæ precium erit. *Recens nunc est* (inquit p. 208.) *Nymphæum inter Neapolim, & Montem Vesuvium, in Villa Leucopetra, cujus forma talis est. Ædificium è marmore quadrangulare, ad quod per unam solummodo portam est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dexteram introeunti in Nymphæi capite fons est aquæ limpidissimæ ad cujus quasi custodiam accubat Arethusa nuda, è candidissimo marmore: Solum, varium, & marmoratum, & canali circumdatum, in quem Aqua è fonte affluit. Parietes è conchis lapillisque albis, nigri, flavi, purpurei coloris, quasi Maltha illiti, in quibus è concharum compositione, tamquam ductibus in pictura, anni menses duodecim, & quatuor virtutes politicæ* ex-

expressæ. Item raptus Proserpinæ, Pan canens fistula, & mulcens gregem. Præterea imagines Nympharum nantium, navigantium, in piscibus ludentium; inter quas Helle insidens arieti, Siren delphino, Europa tauro. In eodem ad singula latera quatuor Statuæ marmoreæ, Herculis leoninam gestantis, Panis agnum bajulantis, Genii cani blandientis, Najadis nudæ.

CRATERAM. De Craterum donario vide Num. 17. Hic de vase intelligitur, in quod salientes aquæ è Nymphæi fontibus deciderent.

CVM COLVMELLA. Crateris fulcimentum; idem de Columella Altarii.

ALTARIVM. *Altariolum* apud Laurentium *in Amalth. Onom.* idest *Altare*, seu *Ara*; nam communiter sunt sinonyma, uti conjicitur, tum ex sacrisLitteris, tum ex profanis Scriptoribus. *Exod. cap.* XX. *Non ascendes per gradus ad Altare meum*, & *Num. cap.*XXIII. *Septem* inquit *Aras erexi*. Hinc Stuchius *in Sacr.Gent.* p.63. *Ea sunt Aræ, & Altare ab altitudine dicta, quasi Aræ altæ in quibus*, ait Festus, *ignis adoletur*. In hoc tamen differunt, quod videlicet Altaria Diis Superis tantum consecrabantur, Aræ superis, & inferis. Hinc illud Virgilii Ecl. V.


. . . . *en quatuor Aras*,
Ecce duas tibi Daphni, duoque Altaria Phœbo.

verum Altaria, & Aræ non Diis tantum, sed & Principibus erigebantur. Quoniam olim Reges, Imperatores, Augustæ, ac interdum Tyranni,a Subditis, pro Diis culti fuere, & ipsi pro insana sua ambitione, atque superbia, divinos sibi honores arrogarunt, idcircò passim legimus in historia, Templa, & altaria ipsis fuisse ædificata, & consecrata, ut Alexandro Magno ad Tanaim, Augusto in Palatino, Hadriano in æde Jovis Olympii, Elagabalo Romæ. De *Aris* vid. Berthaud, du Mesny, aliique.

ORBICVLVM. Globum, ni fallor, intelligit, qui Universi dominationis est Typus; quique nostris adhùc temporibus in Imperatorum signis, & imaginibus visitur, ac in nummis potissimum Constantini, & successorum. Altarium cum Orbiculo occurrit in nummis Crispi, atque Constantini junioris.



Ædicula verò, altarium, & Columellæ, in nummo M. Aurelii in Græcia cuso, apud eumdem pag. 239. in quo Tetrastylum, & Columella, cum Victoriolæ signo.





ET CETERA. Depravatè Muratorius ET CRATERAM.

I. D. D. D. Quatuor istas siglas numquam alias vidi; nemo explicat. Puto legendum *Jussu Dei Dono Donavit*: at nihil affirmo, eruditorumque judicio sententiam meam relinquo.

PR. VIG. *Præfectum Vigilum*.

SVB. PR. *Sub Prætore*.

TRIB. *Tribunus Cohortis Secundæ vigilum pridie kalendas Augusti*, sive die 31. Jul.

APRO-

APRONIANO . ET . BRADVA . COS. *Caſſius Apronianus*; Petavius *Braduam* appellat *M. Atilium Metilium*; Almelovenius M. *Atilium Metellum*; at ego M. *Atilium Braduam*, rejecto *Metilio*, ſuppreſsoque *Metello*, appellatum fuiſse opinor. I. quia Braduæ Cognomentum, ignotum Metellis, atque Atiliis fuiſse probat, ſilentium Auctorum, qui de Familiis Romanorum ſcripſere. II. quia nominum Analogia, me in ſuſpicionem inducit, verum M. Atilii nomen, geminatum fuiſse ab Amanuenſibus. III. quia laudati Faſtorum collectores, nullum afferunt Auctorem, qui eorum ſententiam tueatur.

HAERCVLANIO. *Herculanio*. Dele in Muratoriana, poſt COS. litteram illam A, quæ nunquam extitit in Saxo originali. Adverte etiam, litteras

| ESEPSEVEROPER |

nempe *Imperator*E SEP*timio* SEVERO PER*tinaci*, recens eſſe reſtitutas, atque ad Saxum ibi jampridem effractum, ab aliquo erudito Viro accomodatas; quod ableptium Muratorii amanuenſem fugerat. Sic, ubi poſuit *Tetraſtilum*, ſcribe Tetraſtilium: ubi *Herculanio*, Hærculanio. Notæ inſuper apud eumdem diviſæ V . A ., conjungantur VA. hoc eſt *Veterano Aſſignato*. Hoc pacto has Notas interpretati ſunt Valerius Probus, & Manutius. Ex iis fuiſse puto, quibus, cum per viginti annos militaſsent, Duces, agros Reipublicæ aſſignabant.

Quod attinet ad annum, votum iſtud ſuſceptum crediderim ante Parthicam Severi expeditionem, immo vix interfecto Didio Juliano, ac dum Severus cum exercitu Romam contenderet. Parthi enim in ditionem ab eo redacti ſunt anno C. 200. Tib. Claudio Severo. C. Aufidio Victorino Coſſ. (uti ex lapide a Rodulphino venuto V. C. illuſtrato) octo ſcilicet annos poſt Aproniani, & Braduæ Conſulatum. Votum, his conſulibus ſolutum, Severo jam ad Imperium evecto, manifeſtè Marmor iſtud noſtrum declarat, in quo Imperatoris, & Auguſti tituli, & Pii, Feliciſque cognomenta tribuuntur; ideſt PR. KAL. AVG. A.C. CXCI. quomodo igitur a ſingulis, quotquot extant de Sept. Severi geſtis Scriptoribus, tum Hiſtoricis, tum Chronologis affirmari potuerit, Severum Imperatorem a Senatu conſalutatum A. C. CXCIII., haud percipio. Item, ſi Severus regnare cœpit, anno ſaltem CXCI. (uti conſtat ex noſtro Lapide) obiit verò ut iidem afferunt Anno CCXI., non regnavit ergo Annos XVII. Menſes III. dies XXV., ſed annos circiter XXI. Quo pacto poſſit hic nodus expediri, neſcio. Nam, Severi ætatis annos ultra LXVI. protrahere, Dionis, Spartiani, atque Herodiani authoritati repugnat. Inſcriptionem fuiſſe, Severo nondum Imperatore, poſitam, credat Judæus Apella. Marmor denique tanquam mendoſum, immo ſpurium, eſſe reijciendum, gratis, nimiſque confidenter affirmaretur, cum nullum in eo fraudis, aut falſitatis inditium deprehendatur. Hoc unum ſcio; Lapidum teſtimonio, Hiſtoriæ Chronologiam interdum emendari.

I.O.M.

6.

I . O . M .
ET . SOLI . DIVINO
ET . GENIO
VENALICI
Q. IVLIVS . MAXIMI
LIB . FELIX .
CVM . IVLIA
Q. F . ROMANA
ENS
CONIVGE . LIB . ANIM
VOT . SOLVIT
IMP..... CAESAR . AVGGERXII
SER . CORNELIO . DOLABELLA . COS

ET . GENIO . VENALICI. Genio *Venalicii*, loci ſcilicet, ubi homines a Mangonibus vendebantur; ſeu Genio *Venaliciorum*, aut *Venaliciariorum* , *Venaliciariam* exercentium. Hoc mercaturæ genus memorat Ulpianus l. 73. §. ult. ff. de legat. 3. *Eum*, inquit, *qui Venaliciariam exerceat*, *puto ſuorum facilè continere velle ejuſmodi mancipia*. Mangonum ſervi erant *Venalicii*; ideſt eorum, qui homines in Cataſtis ſervabant vendibiles, quorum nota erant gypſati pedes. Tibullus lib. 2.

.... quem ſæpe coegit.
Barbara, gypſatos, ferre Cataſta pedes.

& Ovidius Amor. lib. 1.

Nec tu ſi quis erit capitis mercede redemptus
Deſpice gypſati crimen inane pedis.

De Cataſtis, eorumque diverſa ſignificatione confer Juvenalis, & Perſii Scholiaſt., Pamelium *ad Cyprian. ep.* 33., Baronium *in Not. ad Martyr.* 16. Mart., & Gallonium *de cruciat.* SS. MM. ad hæc Prudentii carmina *in Hymn. D. Vincentii*.

Audite cuncti, clamo longe, ac prædico.
Emitto vocem de Cataſta celſior.

Genio igitur *loci* ubi extabant puerorum, hominumque venalium Cataſtæ, votum ſolverunt Q. Julius Felix, & Julia Romana. In his locis h. e., *Venalitiis*, tituli aliquando pingebantur, uti Petronius innuit *in Satyr.* cap. 29. *Erat Venalitium titulis pictum, & ipſe Trimalchio capillatus, caduceum tenebat*; quos titulos, non ſolum in Venalitio pingebant Mangones, verum etiam collo aptabant vendundi Mancipii: hinc Propertius.

At quorum titulus per barbara colla pependit
Cælati medio cum ſaliere foro.

Lucii Valerii Zabdæ *Mercatoris Venalici* mentio eſt in duabus, diverſis tamen Inſcriptionibus, apud Jacobum Mazzochium p. 99., & apud Gruterum p. 411., *Genii* vero *Venalici* p. 8. num. 3. & 5.

I . O . M . ET
GENIO . P . R . ET . VENALIC
L . L . RVBRI . ANTIOCHVS
ET . HYMNVS . ET . CC
LAPPI . MVTILVS . ET
RVFVS
VOTVM . SOLVERVNT . L . M
L . VERGINIO . RVFO
C . MEMMIO . REGVLO COS

E I.O.M.

I.O.M.ET.GENIO
VENALIC
(*sic*) PACILIVS.CERDO
VOTVM SOLVIT
NERONE.CAESARE
AVG.IIII
COSSO.LENTVLO.COSSI.F.COS

LIB[ENS]. Tres superiores literas, ineptè a Quadratario sic collocatas, omisit Gruterus.

ANIM. *Libens animo*, esse legendum censeo: Hanc, hoc pacto expressam, votum solventis, formulam, habemus alibi. Item VOTIVITATE ap. Gorium

VOTIVITATE ET TOTA MENTE D
EVOTA GENIVM CVRIAE DEDI
CATVM IN ISTATVAM
CVRIA &c.

De *Genio* autem *locorum*, vide Not. ad Inscript. sub *num.* 28.

IMP..... CAESAR. &c. h. e. *Imperatore Flavio Domitiano Augusto Germanico*, XII. & *Ser. Corn. Dolabella* Coss. Anno C. 86.

Deletum in Saxo Domitiani nomen, Fastorum authoritate restituo. Nomen enim, omnesque hujusce Tyranni titulos, Senatus decreto erasos fuisse docet *in vit.* cap. 23. his verbis, Svetonius. *Senatus adeo lætatus est, ut repleta certatim Curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri, clypeosque, & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affigi juberet: novissimè eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Macrobius similiter *Saturn.* lib. I. cap. 12. *Octobrem*, inquit, *suo nomine Domitianus invaserat; sed ubi infaustum vocabulum, ex omni ære, vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt.*

7.

⁞ VGVST.VICI.IOVIS.FAGVTA ⁞
⁞ MP.NERVA.DIVI.NERVE.F.TRAIAN ⁞
⁞ ICO.PONT.MAX.TRIB.POT.XIII.IMP.VI ⁞
⁞ POLLIONIS.TRIB.PLEB.AED.REG.IIII.VETVSTA ⁞
⁞ CISTRI.ANNI.CXXI.SVA.INPENSA.RESTITV ⁞
⁞ PHOEBVS. A.NONIVS. A.L.ONESIMVS. ⁞
⁞ CALLISTVS. L.VALERIVS. I.EVTICHVS. ⁞

Characterum inconstantia, verborumque confusa, atque perturbata syntaxis, satis probant Inscriptionem hanc ab admodum rudi Quadratario fuisse exaratam. Quid enim sibi vult illud AVGVST.VICI? an vici unquam Augusti dicti sunt? An vicus aliquis, Augustus appellatus exstitit? Quid POLLIONIS? quare non *Pollione Tribuno*? aut *Pollionis tribunatu*; *cum* scilicet *Tribunus Plebis esset Pollio*?

ICO. *Germanico. Dacico. Parthico.*

IMP. VI::.: Combinatio IMP. VI (ajunt Ægidius Lacarry, & Sponius) cum Tribunitia Pot. XIII. convincit erroris nummum Occonis, qui Trajani Consulatum V. cum Imperatore, seu acclamatione VIII. conjungit, siquidem anno XIV. & XV. Tribunitiæ Potest., ejusque sexti Consulatus, Trajanus erat dumtaxat Imperator VI. At laudati Scriptores lineam tertiam in qua acclamationum numerus enunciatur ob Marmoris fracturam desperatæ adeo esse lectionis ignorabant, ut conjectari facile possit Marmor, nunc num. VI. exhibens, VIII. aut saltem VII. tunc exhibuisse. Inscriptio pertinet ad ann. ær. Chr. 109, atque XII. post susceptam a Trajano Imperii administrationem; duodecimum, inquam, non decimumtertium, uti nonnulli autumant Eruditi, qui minus recte annos Imperii ex annis Tribunitiæ Pot. constanter, atque indiscriminatim colligendos esse contendunt. Adi cl. de Vita Diss. x ubi annum Trib. Pot. ejusdem Trajani XVIII. in Arcus Beneventani inscriptione notatum, cum anno Imperii XVII scitè conjungit.

PONT.

PONT. MAX. Pontificem Maximum, judicem atque arbitrum rerum divinarum humanarumque esse docet Festus. De ejus creatione sic scribit Livius lib. 1. *Minoribus Pontificibus creatis, Numa Pontificem deinde Maximum Marcium* M. F. *ex Partibus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ Templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur: cætera quoque omnia publica, privataque sacra Pontificis scitis subjecit, ut esset, quo consultum Plebs veniret, ne quid Divini juris negligendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo, turbaretur.* Mortuo Lepido, qui per vim Pontificatum Max. invaserat, Augustus hanc dignitatem, teste Svetonio, suscepit. Decens autem ei visum est (quod indecens mihi, & turpe) eum, qui totius Imperii possessionem adeptus esset, ipsam quoque supremam Divinarum rerum auctoritatem, quæ hoc Sacerdotio comprehendebatur, habere. Quare post Augustum, omnes Romani Imperatores Pontificatum Max. vel susceperunt, vel se Pontifices Maximos appellari passi sunt, quamvis nonnulli a Pontificis Max. munere abhorrerent. Primus Gratianus Imp. edicto proposito, uti narrat Zosimus, se Pontificem Max. appellari vetuit. Sententiæ huic adversatur Dalenus in Diss. 2. *de Pontif. Max.*, Ausonii authoritate fretus, qui in gratiarum actione pro Consulatu, hæc profert: *unus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater, ætate filius, pietate utrumque superat*: item *sic potius vocentur quæ Tu Pontifex Max. Deo participatus habuisti.* Verum hæc sane parum, forteque nihil probant: nam Ausonius Orationem suam habuit A. C. 379. nempè tribus saltem annis ante Gratiani necem, qui Lugduni vitam amisit A. C. 382., aut 383. Quare igitur, hoc vertente triennio Pontificale munus repudiatum a Gratiano fuisse non credatur? Ut ut res sit, certe his temporibus, Maximum hoc Sacerdotium in Imperatoribus *defecit*.

HAC, NVMQVAM DEFECTVRA, ILLIS AB HINC DIEBVS, SOLVS IN ECCLESIA DEI FVLGET DIGNITATE ROMANVS PONTIFEX, AD QVAM, DIVINO AFFLANTE SPIRITV, TOTAQVE PLAVDENTE VRBE AETERNA, HORA IPSA, QVA HAEC EXARABAM, DIE SCILICET XV. FEBRVARII A. D. I. MDCCLXXV. HORA XVI. PROVECTVS EST AMPLISSIMVS S. R. E. CARDINALIS IOANNES ANGELVS BRASCHIVS CAESENAS NOMINE SIBI IMPOSITO PII VI. QVEM DEVS O. M DIV, BONO PVBLICO, SERVET INCOLVMEM.

AED. REG. III. Ædes Regionis tertiæ (quæ *Isidis*, & *Monetæ* a Sex. Rufo; *Isidis*, & *Serapidis* dicitur a P. Victore) vetustate collapsas. At si AEDES legi debet, quot Ædes? num omnes? haud credam. Si AEDEM, aut *Ædificium*, aut *Ædiculam*, quæ ædes, quod ædificium, quæ ædicula a Magistris restituta? Sponius, brevissimis verbis, *Inscriptio*, inquit, *pertinet ad aliquod Ædificium restauratum*; quod & infans biennis intellexisset. Ædiculas sanè a Magistris vicorum restitutas reperimus in Lapidibus frequenter, V. inf. Num. 3 n.

II CISTRI. *Magistri*. C. pro G. ut in columna rostrata Duillii, ubi LECIONES, MACESTRATOS, PVCNANDO: notum est, ait Gorius, Romanos τὸ G serò agnovisse. Hinc Ausonius

Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C.

Intelligi poterat de Vicomagistris (hoc est de Magistris Vici Jovis Fagutalis) quorum quatuor per singulos Vicos creabantur: sed cum hic sermo sit de Ædibus Regionis III., Vicus verò Fagutalis fuerit in Regione X., necessario censendum est ad alios Magistros inscriptionem hanc pertinere; nimirum ad Regionum Curatores, seu Magistros, ab Augusto institutos, quorum munus erat procurare apud Principem Regionum commoda, decorem, & elegantiam Viarum, & Vicorum urbis, atque labentes Ædes restaurare, collapsas restituere, & alia ejusmodi facere.

IOVIS FAGVTAL. *Fagutalis*. Jovis Fagutalis *sacellum*, a *Fagu* arbore ipsi sacra, memorat Festus: *Lucum*, Plinius *lib.* 16. *cap.* 10. De *Sacello* Gudiana p. 6.

SACEL.

SACEL . IOVIS . OPTIM
MAX . FAGVTAL . DD
XV . KAL . IVN . TI . DRVSO . CAESARE
ET . C . NORBANO . FLACCO . COS
MAGIST . VIC . XVI . REG . ESQ
OPVS . COL . PECVN . MVLT . REST

Cognomentum huic fere consimile datum Bonæ Deæ reperio in lapide Fabrettiano cap.x.

BONAE . FAGANAI .
RVFRIA . C . F . FESTA
CAESILIA . Q . I . CINNAMIS
MAGISTRAE
D . P . S .

male Muratorius PAGANAE.

8.

SACRVM . IOVIS
HERCVLI I . VOTO
M . VLPIVS . AVG . LIB
FORTVNATVS
D. D

Puto legendum *Sacrum Jovi*, sive *Jovi Sanctissimo*, *& Herculi invicto*.

M . VLPIO . plusquam sexdecim hujusce præ nominis, & nominis, Augusti libertos invenimus in antiquorum lapidum Collectaneis. Hic extabat quondam in ædibus Marii Delphinii. D. D. *Dono dat*, vel *Dedit*: aliquando legimus D. D. D. *Dono Dedit Donum*. Muratorius, in nomine *Jovis*, supprimit immerito littera S.

9.



SOLI · LVNAE · SILVANO
ET · GENIO · CELLAE
GROESIANAE
M · SCANIANVS
ZOSA · EX VISO
POSVIT

Primus in tympano extat Sol, primus nominatur in titulo; Sol enim apud Macrobium Dux, & Princeps, & Moderator luminum reliquorum, mens Mundi, & temperatio, terrenæ fœcunditatis auctor, mundi caput rerumque sator, omnium vitæ auctor, Jovis oculus, appellatur; unde argutè Menander *in Fragm.*

Ἥλι.

Ἥλιε, σὲ γὰρ δεῖ προσκυνεῖν πρῶτον Θεῶν,
Δι' ὃν θεωρεῖν ἔστι τοὺς ἄλλους Θεούς

O Sol, te enim oportet adorare primum Deorum
Per quem videre licet alios Deos.

Itaque Romani Solem *Imperii Dominum* dixere; uti constat ex antiqua sculptura, in qua hæc extat Inscriptio SOL DOMINVS IMPERI ROMANI. Adi A. F. Gorium in *Gemm. Medic. cl.* IV. p. 141. At de Sole, deque ejus radiato nimbo plura inferius.

LVNAE. *Luna* quæ & *Lunus*; vide Inscriptionem sub numero 12. Hæc Solis veluti discipula obsequitur cursibus, & prout accedit ad Solem, vel a Sole recedit, crescens, aut senescens, dispensat lucem ideoque semper est instabilis. Cum *Crescenti*, peculiari, immo characteristico Lunæ Symbolo, ac duplici cornu simili, hic, ut sæpe alio visitur: facies tamen bicornis, non ad splendorem semper est referenda; nam aliquando hieroglyphicum est, quo Isis, seu Luna repræsentabatur ab Ægyptiis, apud quos Lunæ statua muliebris duo cornua, vaccæ instar in capite gestabat, cum in vaccam mutata dicatur a Jove postquam cum ea concubuisset, ne Juno, re cognita, de ea pœnas caperet: quare ut narrat Herodotus Ægyptiis nefas erat vaccas immolare. Atqui Crescentis figuram, *cornu* vocabulo indicare mos stabilis fuit præsertim Poetarum. *Virgilius Georg. lib.* I.

Luna revertentes, quamprimum colligit ignes
Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu.

Sic Phœdræ nutrix apud Senecam in Hippolyto

. . . . . . te lucidi vultus ferant
Et nube rupta, cornibus puris eas

Endymionis, Lunæ amasii fabula nota est, quam elucidat, atque ad rem physicam refert Fulgentius his verbis. *Pastorem Endymionem amasse fertur, quod nocturni roris humor, quem aporrhia siderum, atque ipsius Lunæ animandis herbarum succis insudat, Pastoralibus prosit successibus.* Si verò Plinium audimus lib. II. Endymion primus hominum Lunæ cursum invenit, quod coufirmat Alex. Aphrodiseus *in problem.* ubi docet Endymionem rerum cœlestium apprime studiosum fuisse, maximamque diligentiam in eo adhibuisse, ut Lunæ cursum, caussamque cur subindè aspectum mutet, investigaret; quia vero interdiù dormiret, noctu autem vigilaret, Lunæ amoribus indulgere esse dictum. Hanc Dianam, Latonam, Cinthyam, Proserpinam, Isidem, Hecatem, Asthartem appellavere Gentiles. Minervam quoque ad Lunam pertinere testatur D. Augustinus de C. D. lib. VII. *Minervam*, inquit, *quia eam humanis artibus præposuerunt, nec invenerunt stellam, ubi eam ponerent, eamdem vel summum æthera, vel Lunam esse dixerunt*: cui adde Arnobii lib. III. testimonium. *Aristoteles vir ingenio præpotens, atque in doctrina præcipuus, Minervam esse Lunam, probabilibus argumentis explicat.* Diogenianus tandem in Proverbiis, *Minerva, Diana, & Hecate, seu Proserpina unum, atque idem esse censentur.* Multiformem hanc Deam coluerunt etiam prævaricatores, insanique Israelitæ, eamque *cœli Reginam* vocarunt, cui placentas offerebant; constant hæc ex Altissimi, per Jeremiam Prophetam, questibus VII. 17. 18. *Nonnè vides, quid isti faciunt in civitatibus Juda & in plateis Jerusalem? Filii colligunt ligna, & Patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cæli, & libent Diis alienis.* Ex his Judæos moris hujusce studio pertinaci ductos fuisse discimus, quod palam professi sunt, rituque jam dicto Cœli Reginam, Lunam nempe, vel invito Jeremia colere statuisse. *Responderunt autem Jeremiæ ... Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, reges nostri, & principes nostri in urbibus Juda, & in plateis Jerusalem; & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore* (execrandum Judæorum, in Deum, perpende convitium) *quo cessavimus sacrificare Reginæ Cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. Quod si nos sacrificamus Reginæ Cæli, & libamus ei libamina: numquid sine viris no-*

nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, & libandum ei libamina? cap.XLIV. 15. 16. 17. 18. 19. Placentas has, effigiem stellæ cujusdam magnæ, quam nomine Reginæ cœlorum honorarint, retulisse, Salomon Jarchi scribit. Lyranus panes fuisse asserit rotundos, in quibus expressa fuerat imago Lunæ, aut Stellæ. Hujusce Reginæ cultum illustrarunt Jo. Frischmuthus, Conradus Dietericus, Ursinus, Spencerus: at confer Danielem Huetium in Dissert. de *Gad*, & *Meni*, ad illustrationem *Esaiæ* LXV. 11.

SILVANO. De Silvano, præcipuo inter Deos rusticos verba faciam Num. 29. Hic barbatus, ac senili facie apparet, quemadmodum in ejusdem conspicuæ magnitudinis Statua, quæ extabat olim in ædibus Cardinalis a Balneo, de qua adi Thomasinum *de Donariis cap.*XXVI.

CELLAE GROESIANAE. Ex nomine forte, sive cognomine Cellæ Domini, qui tunc non ipse esset dedicator Scanianus. Groesiani nominis tamen, aut cognominis nulla in lapidibus mentio, neque penes Scriptores; nisi *Gresianæ* legatur, absque prima diphtongo: tunc pertinuisse dicam ad Gresiorum familiam, quam commemorant lapides Gruteri, ac Muratorii, apud quos Gresius Aper, Gresius Apolaustus, Gresia Auxesis. Certè nomen est agri, aut fundi, aut domus rusticæ in qua sita Cella Groesiana; quo vocabulo omnis intelligitur locus in quo quid reponitur. Veteres, cellas vinarias, olearias, pomarias, farinarias, lignarias, casearias habuisse perspicuum est ex Scriptoribus de Re rustica. Hinc *Cellarii*, qui & *Promi* aqud Horatium: hi, in Cellis reposita, custodiebant Plautus in *Captivis*.

Cume, posce, prome quod vis, te facio Cellarium.

lege T. Popmam *de Oper. serv.*

GENIO. Cum omnia in tutela Geniorum essent, cellæ quoque Genium custodem habebant, uti ex hoc nostro Lapide, unico (quod sciam) in quo de *Genio cellario* sit sermo.

SCANIANVS. Nunquam, hactenus Scaniani nomen legi. *Scanianiam* fœminam nominat Gruterus p. 932.

L. ANTONIUS. P. F. CELER. SIBI. ET
SCANIANIAE. STACTINIS. L. GEMELLAE
ET. AMETIAE
RESTITUTAE

Nostrum hunc lapidem retulit etiam Reinesius, sed GELLAE scribit pro CELLAE; & quod ridiculum est 2O2O pro ZOSA. vid. Cl. 1. num. 278.

10.

CL. IVLIANO. P. V
PRAEF. ANNON.
TI. IVL. BALBILLVS
S. SOLIS. DED. XIII KAL
FEB. L. ANNIO FABIANO
M. NONIO. MVCINO COS

Inscriptio huic omnino similis extat apud Gruterum pag. 313. 6.; altera vero, ad eumdem Cl. Julianum spectans, pag. 32. 6.; at hujuscemodi

SOLI

SOLI . SACR . PRO . SAL
CL . IVLIANI . P . V
PRAEF . ANNONAE
TI . IVLIVS . BALBILLVS
S . SOL . DED . XIII . KAL
FEB . L . ANNO . FABIANO
M . NONIO . MVCIANO . CoS

Ex hac igitur, & ex Capitolina constat Balbillum Solis sacerdotem, eo anno, eoque die, quo votivam Soli pro Juliani salute inscriptionem dedicaverat, titulum quoque in honorem ejusdem Juliani posuisse, nimirum A.C. 201. die xx. Januarii, imperante Severo. Sed & tertiam, iisdem Fabiano, & Muciano Coss. die vero xiii. Januarii, marmoream excitasse basim Numisiæ Maximillæ Virgini Vestali Maximæ, liquet itidem ex Grutero p. 310. *6*.

NVMISIAE . MA
XIMILLAE . V . V .
MAX . TI . IVL . BAL
BILLVS . S . SOLIS
DED . IDIB . IAN .
L . ANNIO . FABIANO
M . NONIO . MVCIANO . CoS

Cum autem Balbillus, tot Lapides aliis dedicasset, ab Amicis tandem, ut sibi ipsi Bases dedicarentur, meruit, quas retulit Mazzochius in *Epigr. Ant. Urbis*. Prima, in *Reg.* Parionis

TI . IVL . BALBILLO . SAC . SOLIS
EVTYCHES . AVGG . LIB . OFICI
NATOR . ASTATVIS . AMICO
OPTIMO ... DEDIC . KAL . IAN
P . CORNELIO . ANVLLINO . II
ET . M . AVFIDIO FRONTONE . CoS

secunda in *Reg.* Transtiberina

TI . IVLIO . BAL
BILLO . S . SOL
ALAGABALI
EVDAEMON . LIB
PATRONO
OPTIMO

Patet ex hoc saxo Julium Balbillum Sacerdotem fuisse Solis Elagabali: at, cum Inscriptio Capitolina ad A. C. pertineat 201., Templum vero Solis sub Elagabali nomine culti, ab infami illo Antonino Heliogabalo consecratum fuisset in Palatino A. C. 219. censendum est Balbillum, jam antea Solis Sacerdotem, deinceps Solis Elagabali Palatini Ministrum evasisse sub ipso, Solis Elagabali, summo Sacerdote, Antonino, qui se talem fieri decreto Senatus jussit, itaque veste barbara, Syrorum Sacerdotum more utebatur. Capitolinus, & Lampridius, de hoc Syrorum Idolo dubitavere Sol ne esset, an Jupiter; verum omnem dubitationem tollunt Lapides in quibus conjunctim SOL ALAGABALVS nominatur. Dio deinde & Herodianus Ἥλιον, Solem sine ulla hæsitatione interpretantur. Qua vero mentis insania, impius Imperator, Dei sui nuptias excogitaverit, Numenque ipsum coegerit, ut repudiata Minerva, Uraniam uxorem duceret, tradit his verbis Herodianus: *Negans autem cordi esse suo Deo belligeram uxorem, atque armatam, simulacrum Uraniæ jussit afferri, quod scilicet Carthaginensibus, omnique Africæ incredibilem in modum venerabile positum fuisse a Phœnissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem, dissecto corio, ædificavit. Hanc Afri,* Uraniam *vocant, Phœnices* Astroarchen, *Lunam esse affirmantes: congruere igitur ajebat Elagabalus matrimonium Solis & Lunæ. Itaque, & simulacrum afferri jussit, & auri quicquid in templo erat pecuniamque Deo suo dotis nomine dari præcepit. Quod ubi allatum est, ac prope Heleagabalum constitutum, jussit urbe tota, Italiaque festos dies celebresque, & lætitiæ plenos, publicè privatimque quasi Dis nubentibus agitari.*

P . V . *Perfectissimo*, aut *Primario viro*. De Perfectissimis, alibi.

PRAEF. *Præfectus Annonæ*. Annona in urbe penes Ædiles erat, quorum curæ commissum, ne populus fame premeretur. *Illata in urbem*, ait Tiraquellus in Alex.Neap.G.D. lib.iv. cap.4. *per Præfectos dividebatur.* Unde conveheretur, *controversum* inquit Dempster. in Rosin. A.R. l.vii. At controversiæ fundamentum non video; nam notum est perdiu Siciliam, atque Sar-

Sardiniam Romanorum Horrea fuisse denominatas, quamvis Martialis Sardiniam pestilentem faciat lib. IV.

—— cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est

De utrâque insula audiatur Lucanus Pharſ. lib. III. ubi *annum*, pro *annona*.

Utraque frugiferis est insula nobilis armis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ,
Nec Romana magis complerent horrea terræ,
Ubere vix glebæ superat, cessantibus austris
Cum medium nubes Borea cogente sub axem
Effusis magnum Lybiæ tulit imbribus annum.

Devicta postea Carthagine, ex Africa, & Ægypto frumenta in urbem illata constat ex Historicis. Lampridius in Commodo: *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si fortè Alexandrina frumenta cessassent.* Plinius in *Paneg.* Discat *Ægyptus, credatque experimento non alimenta se nobis, sed tributa præstare.* Spartianus denique de Severo in Pescennio Nigro. *Tantum sanè illud fecit proficiscens, ut Legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet, & fame populum Romanum perurgeret.*

MUCINO. Sic in lapide: *Muciano*. Cæterum, Inscriptionem hanc vulgavit Mazzochius, sed pluribus referta mendis.

II.



FIL.

FIL. EORVM. *Filius eorum*, quod perraro in vetuſtis Lapidibus legitur.

CALBIENSES. Quinam fuerint in Militia Romana *Calbienſes*, bis inveſtigavit Sponius; nempè *in Quæſt. ſeleƈt.* Diſſ. 3. & *in Miſcell. ſeƈt. 1. art. 1.*, ſed fruſtra: dicit enim, *Calbienſes, hi ſunt incolæ Promontorii Calbii, quod ſitum eſt in extremis Hiſpaniæ partibus*. At ego legendum puto *Calpii*, ſeu *Calpe*, incolæ ſcilicet urbis *Calpe* (ſic a Plinio lib. III. cap. I. nuncupatæ, non equidem *Calbe*) quæ in radicibus Montis ejuſdem nominis, in ultimis utique Hiſpaniæ finibus eſt ſita, alteraque ex Herculis columnis, *Abylæ*, Mauritaniæ pariter montis, oppoſita. Pro Calbenſibus igitur Cohortis III. milites Calpetanos intelligi haudquaquam poteſt. Quid, ſi dicamus (leviſſimè variata vocis leƈtione) *Calbienſes* a *Calbeis* denominatos? Calbei ſanè, authoribus Feſto, Bartholino *de Armill. vet.* §. VII. aliiſque, dicebantur Armillæ, quibus triumphantes utebantur, & Milites ob virtutem donabantur. Nonnè milites *Torquati*, a *Torquibus*, ii, quibus Torquis aureus, teſte Vegetio *de* R. M. *lib. 2. cap. 7.* virtutis præmium fuit? *Calbejenſes*, inquis, aut *Calbenſes* tunc in ſaxo ſcriptum reperiretur: verum hæc mihi objeƈturos fore eos non vereor, qui vetuſtis Inſcriptionibus exerciti, norunt in eis menda, iſto centies craſſiora, nedum ſimilia, quotidie inveniri. Inſuper vocabuli hujus varietatem, non meum eſſe inventum, ſatis probat quod ubi Feſtus ſcripſerat *Calbeos*, Svetonius ſcripſerit *Galbeos*: *alii* inquit *in Galba* cap. 3. *quod in diuturna valetudine*, Galbeo, *ideſt* &c. Salmaſii, ad hunc locum Nota, meam tuebitur ſententiam. Armillas etiam vel Galbea geſtarunt veteres quibus remedia quædam erant incluſa adverſus varios morbos facientia. *Galbeum*, vel *Calbeum*, quod pro ornamento, vel armilla accipiebatur apud veteres, qua virtutis ergo donabantur milites, ita dicebatur a voce Græca *καρπιον*: unde *carpeum*, & *calpeum*, poſtea *galbeum*. Haƈtenus vir doƈtiſſimus; quibus adde Calbeos, *Calbares* etiam diƈtos fuiſſe apud Ducangium. Si ergo *Calbei*, *&* *Galbei*, *Calpei* & *Calbares*, cur non etiam *Calbienſes* ii qui Calbeos eſſent conſecuti? Inſcriptio, quam Palmyrenam dicunt, quamque nemo haƈtenus elucidavit, mihi ſane obſcura nimis; eo magis, quod inenodabilis fuerit ipſi Sponio, cui comparatus, me lentum eſſe viburnum juxta altiſſimam cupreſſum ingenuè fateor. Attamen tantum a me Virum in exſcribendis ſaxis, hoc præſertim Soli dicato, diligentia ſuperatum, pari confidentia aſſero. Solis vero imaginis, aliorumque anaglyphorum, quæ ad latera Archetypi Capitolini inſculpta viſuntur, diſertiſſimam, quam mox Leƈtori præbebit explicationem Auƈtor doƈtiſſimus Volum. IV. *Muſ. Capitolin.*

Advertendum denique falsè Gruterum Inſcriptioni huic, ſequentem in uno Aræ latere addidiſſe.

L. VMBRICIVS
PRISCVS
LIBENS . ANIMO
D. D

Hæc enim neque in lateribus extat, nec ſurſum, neque deorſum, neque retrò, ſed in alio Marmore. Errat itidem egregius Vir, dum duplicis hujus Inſcriptionis teſtem laudat Jac. Mazzochium, in *Epigramm. antiq. Urb.*, apud quem, de iſto L. Umbricio, ne verbum quidem.

12.



ΑΓΛΙ-

ΑΓΛΙΒΩΛΩΝΑΙΤΙΛΑΛΑΧΒΗΛΩΠΑΤΡΩΟΙCΘCΟ
ΚΑΙΤΟCΙΓ·ΝΟΝΑΡΓΥΡΟΥΝ·CΥΝΠΑΝΤΙΚΟΖΜΩΑΝΩΙΤΑ

L·ΑΤΡ·ΠΑΙΟΔΩΡΟC·ΑΝΤΙΟΧΟΥΜΑΡΙΑΝΟCΠΑΛΜΗΡΗΝΟCΕΡΩΝΙΛΙΩΝΥΠΕΡ
CΩΤΗΡΙΑCΑΥΤΟΥΚΑΙΤΗCCΥΜΒΙΟΥΚΑΙΤΕΚΝΩΝCΤΟΥCΖ·Μ·ΦΜΝΟCΠΕΡΙΤΙΟΥ

ΑΓλΙΒωλω &c. Sponii versionem, quam vulgavit *in quæst.* R. A. Diss.III. & iterum in Miscell. E. A. Sectio I. art. I. accipe.

Aglibolo, & Melach-Belo Diis Patriis
hunc lapidem, & signum argenteum
cum omni ornatu
:::: *Lucius Aurelius Heliodorus, filius*
Antiochi Hadrianus Palmyrenus
dedicavit pro sua, Uxoris, & liberorum
salute anno 547. mense Peritio.

Solem, & Lunam, sub Agliboli, & Malacbeli nomine, Syros, præ cunctis coluisse, non est dubitandum. Salmasius, in *Hist. Aug.* commentariis, Solem appellat, *Melachbelum*; Lunam, *Aglibolum*. Verum quia Salmasius (inquit Sponius) nullam certam rationem affert, neque ipsum Lapidem vidit, videntur mihi ad rem magis accedere, qui Aglibolum Solem esse pronuntiant; tum quia, primo loco ille nominatus est, tum quia effigies quæ est in parte dextera nihil habet quod ad Lunam referatur: Melachbelum autem esse Lunam, quia nominatus est secundo loco, & cum crescenti ab humeris Lunæ forma; quod omnem prorsus dubitationem tollit. Nec obstat, quod Imago indumentum virile præseferat, nam audi Spartianum in Caracalla: *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque a Carrhenis præcipue haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine, ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus Mulieribus semper inserviat: at verò qui Deum marem esse crediderit, is dominetur Uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias. Unde quamvis Græci, vel Ægyptii eo genere, quo Fœminam hominem, etiam Lunam* Deam *dicant, mystice tamen* Deum *dicunt.*

Numinis hujus, utroque sexu præditi, bis effigiem exhibet doctissimus Gorius in Gemmis Mediceis; Tabula scilicet XL. num. I. ubi eum vide pileo Phrygio ornatum, & chlamyde, ac sub ejus Protome, Lunam enascentem. Perlege, si vacat, quæ de hac singulari, egregieque elaborata Imagine (olim Musei Victorii) differit, celeberimus ille Rerum antiquarum Ædipus.



Et Tabula XIII. num. 2. ancipiti specie, maris, & fœminæ sculptum



ΠΑΤΡωΙϹ ΘΕΟΙϹ. *Patriis Diis.* Quælibet gens, & regio suum sibi vindicabat Numen, & quidem Tutelares Deos habebat, qui locorum quorundam tutelam, & curam in se recipere credebantur, posthabitis aliis gentibus, & regionibus: quod Diabolus Dei simius ex sacra Scriptura hausit. Nam cum ibi verus Deus vocetur *Deus Judæorum*, Deus qui cum solis Judæis fœdus pepigisse dicebatur, Deus qui posthabitis aliis populis, Jacobo statuta sua tradiderat, illique curam suam adligaverat, Deus qui in medio Hebræorum habitabat, qui ibi tabernaculum suum fixerat, Deus qui Sionem, & Hierosolymam elegerat, qui scilicet Hierosolymis domicilium suum, & sedem collocaverat: hinc factum quod Ethnicorum Dii unam gentem elegisse cre-

crederentur, & neglectis aliis, illi unice favere, illam semper fovere præsentia sua. Sic *Astarte* fuit Dea Syriæ, *Dusares* Arabiæ, *Tibilenus* Noricorum, *Uranus* Africanorum, *Delventinus* Crustuminentium, *Viridianus* Narniensium, *Ancaria* Asculanorum, *Nursia* Vulsiniensium, *Valentia* Utriculanorum, *Nortia* Sutrinorum, *Curis* Faliscorum, *Faunus* Latinorum, *Sancus* Sabinorum, *Quirinus* Romanorum, *Marica* Minturnensium, *Belenus* Aquilejensium, *Laphystius* Orchomeniorum, *Molpadia* Cheronensium, *Tenes* Tenediorum, *Alabandus* Alabandiensium, *Minerva* Atheniensium, *Juno* Argivorum, *Venus* Cypriorum, *Vulcanus* Lemniorum, *Dionysius* Naxiorum, *Apollo* Delphorum, *Laginia* Carum, *Tanfana*, *Velleda*, *Aurinia*, *Tuisco*, *Mannus*, Germanorum, & sic de cæteris. Hinc Virgilius.

Dii Patrii quorum semper sub numine Troja est.

ΣΙΓΝΟΝ ΑΡΓΥΡΤΟΝ *Signum* h.e. *Statuam argenteam*, neque ex argento, credo, sed deargentatam. *Signum*, vox est Romana, hic græcis literis inscripta, quod probat, Marmor, non Emesæ positum, uti aliqui credunt, sed Romæ.

ΕΚϢΝΙΙΙϢΝΤΠϹ &c. *pro sua*, *Uxoris*, *& liberorum salute*. Hæc, Heliodorum, cum suis, ex gravi aliquo periculo, incolumem evasisse indicant.

ΕΤΟΥϹΖΜϘ. Anno DXLVII. Quem cum Anno Christi 236. cumq. C. Julii Maximini Aug., & C. Julii Africani consulatu secundum Aeram Syriacam congruere, Scaliger author est.

ΜΗΝΟϹ ΠΕΡΙΤΙΟΤ. *Mense Peritio*: mensis iste Macedonicus, nostro respondet Februario, cujus Eusebius, & Suidas meminere. ΜΝΟΕΠΡ. ΙΤΙοΤ. (quæ nihil significant) scribunt Lipsius, nimisque Smetii verbis addictus Jac. Gruterus. Hi sane, aut lapidem non viderunt, aut incuriosè.

[Palmyrene characters] &c. Hanc (quam Palmyrenam dicunt) inscriptionem, ita enucleavit Samuel Petitus, in Epist. ad Peirescbium, anno 1632.

„ Senectus mea titubat, pedes labant; servum tuum tristitia pressum, in potestatem suam Dæmon lucis pertraxit: Servus tuus vinculis obstrictus est, & male habitus; ejus domum in magnum discrimen incidit: tua miseratio se se effudit, saxosa, ac deserta loca, cujusmodi est ad Memphim iter (*quod indicat qualis fuerit Zenobiæ tempore Palmyræ situs, atque vastatio*) irrigavit: quid quid in summis calamitatibus constitutus concupivi, id mihi copiosissime contigit: umbra tua potens est, ac misericors, quare perpetuus tibi stabit honos, cujus in sacris mensuram (*scilicet vini vel alius cujuspiam liquoris*) quotannis fundam „

Ejusdem Petiti interpretationem alteram edidit Sponius *loc. cit.* nempe

„ Fremuit senectus vacillavit planta „ *pedis* „: sub vola itaque Dæmonis lucis indigena tuus mœstus fuit, splendere squallor ejus, ligatus est ipse, age, projice; Domus in summo periculo constituta est, abundavit asser mansuetudinum irrigans petras, sivè solitudines, quemadmodum quod Memphim ducit iter. Datum abunde est quidquid in universum desiderabat angustia. Summè misericors est umbra tua, portio æterna Hemina, ad libationem. „

At Petiti interpretatio, licet ab eruditissimo, atque linguarum Orientalium peritissimo Viro exarata, non placuit doctissimo Antonio Gallandio. *Quæ enim amabo te* (hæc Sponio scribit) *indè erui sententia potest? Quid sibi vult hic Dæmon lucis? Quid Memphi cum Palmyra?* Advertit insuper Phænicum literas esse tantum duas, & viginti, inscriptionem verò ex viginti & octo, & amplius constare. Incredibile etiam Gallandio videtur omnia prorsus Interpretis verba, duabus dumtaxat lineis contineri; quam tamen obiectionem non magni faciendam censeo, cum sit doctis exploratissimum, ex Orientalium linguis, quasdam esse, in quibus unica aliquando litera, integrum continet sensum. Libentissime demum audiret quibus libris, quo vocabulorum indice Petitus usus fuerit, ut has literas cognosceret, *quæ*, inquit, *neque Hebreæ sunt*,

ne

neque Syriacæ. Suam ideo Epiſtolam Gallandius hoc pacto concludit. *Equidem putarim harum ignotarum vocum eam ſententiam eſſe, quæ Græcorum. Occurrunt enim aliæ quoque multæ Inſcriptiones ſimul conjunctæ Græcæ, latinæque, idem prorſus ſignificantes.* Hactenus vir ſummus in cujus ſententiam, an pedibus eundum, adhuc, quod ſciam, ſub judice lis eſt. Gallandius quidem linguarum exoticarum ſcientia reliquos præſtabat: ſi Inſcriptionis literas inextricabiles non crediđiſſet, ipſe, eas explanare manibus, pedibus conatus eſſet. Quod aliæ occurrant, uti affirmat, Inſcriptiones latinæ, Græcis conjunctæ, in quibus eadem ſententia, duplici ſermone, proferatur, exempla in promptu ſunt, tum in noſtra Anniæ Regillæ, de qua inferius, tum penes lapidum Collectores, ut apud Gruterum pag. 49. inſcriptio *Herculis*, apud Mazzochium, & Ignarram, *T. Veſpaſiani*, apud Muratorium *Dianæ Epheſinæ*, ac *Deæ Nemeſis*, apud amicum Martorellium in *Theca Calam.* p. 438. Verum, & Samuelem Petitum, earumdem linguarum Orientalium peritiſſimum fuiſſe teſtantur nonnulli. *An doctis imponere* voluit? inquit Gallandius; an ipſe deceptus fuit? *Hac de re* ut Sponii verbis utar, *literatorum hominum judicium eſto*. Interea notandum (ſi mihi tamen meas, cum tantorum Virorum obſervationibus ſociare fas eſt) quod in Petiti interpretatione, Heliodorus ſingulari loquatur numero, *Tua miſeratio. Umbra tua. Perpetuus tibi honos. Cujus in ſacris.* At cum votum Soli pariter, & Lunæ feciſſet, nonnè utriſque ſermonem convertere debuerat? Peccat haud dubio iterum Petitus in Chronologia, dum Marmor ad Zenobiæ tempora refert, quod Alex. Severi temporibus erat referendum, ſicut ex Anno ab ipſo Marmore enunciato colligitur, nempe 547. Æræ Syriacæ. Cæterum Lapis iſte, qui vineam ornabat olim Rodulphi Pii Card. Carpenſis (perperam Sponius *Carpineæ*) nunc in ædib. Capitol. adſervatur. Advertendum denique Marmor a Sponio deſcriptum differre ab eo, quod Lipſius, ac ex Smetio, Gruterus, ediderunt; apud quos etiam, Inſcriptionem, mendis redundantem invenies. Veram igitur Inſcriptionis lectionem, (ut de Anaglypho, ab eodem Sponio incurioſe nimis efficto, taceam) hanc meam eſſe affirmare non dubito; nam lapidem ipſum egomet, ad verbum, ſumma, incredibili fere cum diligentia delineavi, literaſque a me diſcriminatim exſcriptas, cum literis Autographi non ſemel comparavi.

Inſcriptio extat in ipſius Anaglyphi baſi; ſed ut eam Lector commodius conſpiceret, grandiuſculis characteribus cælari, ideoque ſeorſim imprimi curavi.

13.

M . DM . ET ATTIDI
L CORNELIVS SCIPIO
ORFITVS . V . C .
AVGVR . EX VOTO
TAVOBOLIO SIVE
CHRIOBOLIO FACTO
(*sic*)

M. DM. *Magnæ Deûm Matri*. Cybeles, Dea Peſſinuntiæ, Berecynthia, Mater Idæa, Metragyrtes &c. vocabatur hæc magna Deorum mater.

ET ATTIDI; Qui modo *Attis*, aut *Attin*, modo *Atys*, aut *Attys* nominatur. Interdum vero *Minotyrannus*, & *Menotyrannus*, nempe *Dominus menſium*. Hunc ſacris ſuis præfeciſſe Cybelem, ea lege ut perpetuo caſtitatem ſervaret, fabulantur Poetæ: at cum poſtea Sangaritidem formoſam Peſſinuntis nympham compreſſiſset, ab irata Dea eſt in furorem actus, cumque manus ſibi afferre co-

conaretur, in Pinum arborem conversus est: hinc Ovidius *Met. lib.x.*

Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus
Grata Deum matri; siquidem Cybelejus Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Pausanias tamen, Eusebius, Diodorus, Arnobius, longe ab hac diversam amorum Cybelis Atysque peripetiarum ordiuntur Historiam, ipsamque Deam insaniisse tradunt, domoque paterna egressam, solam cum fistula, & tympano, sparsis crinibus totam regionem peragrasse dementatam. Anagliphum celebris Aræ in atrio Cæsiæ domus olim extantis subjicio, in quo Cybeles turrita, a leonibus vecta, dextra spicas, sinistra tympanum tenens repræsentatur; cui contra Atys pinui innixus, bracchatus, Phrygioque more pileatus, tympanum pariter gestiens.



Ad hujusmodi figurarum intelligentiam verba Macrobii afferam Sat. lib.1. cap.21. *Quis enim*, inquit, *ambigat Matrem Deûm terram haberi? Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu ac fervore animalibus, quæ natura cœli est, cujus ambitu aer continetur, qui vehit terram. Solem vero sub nomine Attinis ornant fistula & virga. Fistula ordinem spiritus inæqualis ostendit: quia venti in quibus nulla æqualitas est, propriam sumunt de Sole substantiam. Virga potestatem Solis asserit, qui cuncta moderatur.*

L. CORNELIVS. Bis hunc L. Cornelium Scipionem Orfitum se Tauroboliasse liquet ex Lapidibus, quorum alter, præter Capitolinum, ad eumdem Scipionem Orfitum pertinens, variæ tamen lectionis, extat apud Antonium Dalenum *de Origine ac ritibus* Sacri Taurobolii cap. III. & apud Thomam Dempsterum *in Paralipom.* ad Rosin. Antiq. Roman. lib. II. cap. IV.


M.D.M.I. ETATTINIS
L.CORNELIVS.SCIPIO.ORFITVS.
V.C.AVGVR. TAVROBOLIVM
SIVE.CRIOBOLIVM.FECIT.
DIE.IIII.KAL.MART
TVSCO.ET.ANNVLINO.COSS

eumdem esse puto, qui postea A. C. 172. Consulatum gessit cum Claudio Maximo, imperantibus M. Aurelio, & Ælio Vero; alter enim Orfitus, quem Consulem faciunt A. C. 165. Panvinius, & Almelovenius, M. Gavium Orfitum fuisse appellatum affirmant Petavius, diligentissimique Scriptores operis, cui titulus *Hist. univ. par une Societè de Gens de Lettres.*

SIVE. *Sive* pro ET. positum rectè admonet Dalenus: cum hic, inquit, nullum ipsi dedicanti Orfito dubium hærere potuerit, an *Tauro*, an vero *Ariete* fecisset hoc sacrum.

14.

14.



In Tympano, Solis imago radiata, uti in nummo Antonini Pij a Rhodiis cuso, quem videre eſt apud Carolum Patinum in *Rom. Impp. numiſm.* p.177.



Ra-

Radiatum pariter Solem, duasque faces gestientem exhibet doctissimus Hieronymus Aleander in *ant. Tab. explicat.* pag. 74. hoc pacto expressum.



in quo, ait Aleander, *puer hirco insidens, quasi tener orbis, ac fœcundus a Sole temporum moderatore ad Mercurium veris Præsidem ablegatus innovationem anni significare videtur*. Dionysius septifidos radios Solis fuisse docet, duodecim Virgilius, qui lib. XII. de Latino Rege, a Sole originem ducente, sic canit.

——— ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur Curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt.
Solis avi specimen ———

& apertius Martianus Capella

Solem te Latium vocitat, quod solus honore
Post Patrem sis lucis apex; radiisque sacratum
Bissenis perhibent Caput aurea lumina ferre

eo numero duodecim menses designabantur, quibus annuus cursus perficitur, ut patet ex Artemidoro, referente, quemdam qui somniarat, Solem se factum esse, ac undecim insignitum radiis per Forum progredi, consecutum quidem esse dignitatem, ac undecimo Mense obiisse, propterea quod perfectum radiorum numerum non haberet: Solem revera, ad aliorum discrimen Deorum, magnis circumdatum radiis intuemur, cum nullum sit luciferum Corpus, quod projectis a se radiis tantum spatii transmittat, quantum fieri a Sole videmus. Itaque Solem Heraclitus *fontem cœlestis lucis* appellabat, teste Macrobio *in Somn. Scip.* lib. I. cap. 20. Soli igitur, libertatis cupidus, disciplinamque militarem ægrè ferens votum voverat Ælius Amandus. Ad dexteram flagellum, ut puto, quod Soli, sive Phœbo equorum domitori, Antiqui tribuerunt. Macrobius enim *Sat.* lib. I. refert, in quadam Assyriæ parte, ubi Sol, atque Jupiter pro eodem colebatur, quoddam fuisse Simulacrum, idemque imberbe, quod protensa dextra Aurigarum more flagrum gestaret, uti eum recte effinxit Vinc. Chartarius. At quoniam monumentis, magis quam verbis fidem habemus, Gemmam hic ex Mediceis subjicio, in qua Solem, in medio cœlestium Signorum flagrum agitantem, conspicimus.



AC-

ACCEPTA . HONESTA . MISSIONE. Honesta missione dimittebantur Veterani, quibus emeritis stipendiis debitæque militiæ impleto tempore indulgebatur, iis scilicet, qui per annos xx. in legione, vel qui quinquagesimum ætatis annum excessissent. Hæc perpetua erat, & cum privilegiis, atque a Duce exercitus, vel Principe, vel Senatu dabatur. Attamen debitum tempus deinceps variavit sæpè, uti constat ex lapide Gruteriano, in quo mentio fit cujusdam L. Ælii Fabii, qui MILITAVIT LEGIONE . XVI . IN . GERMANIA . ANN. XXII. Totidem militaverat annos Spurius ille Ligustinus, qui apud Livium lib.42., jure, his verbis, de Duce sibi missionem deneganti, conqueritur: *vigintiduo Stipendia annua in Exercitu emerita habeo, & major sum annis quinquaginta; quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, nec dum ætas vacationem daret, tamen, quum quattuor milites pro me uno dare possem, æquum erat me dimitti*. Alia extat inscriptio, quam refert Salmasius ad hunc Svetonii locum in Ner.: *detecta facie agnitus est a quodam missicio Prætoriano, & salutatus*; alia, inquam, extat inscriptio, ex qua colligitur, milites istos, honesta missione misos, *Missicios* fuisse aliquando vocatos.


TRIB. LEG. XI. AVG.
ET MISSICIVS
LEG. VI. AVG

EQ. SING. AVG. *Eques Singularis Augusti*, sive Augustalis, ac rectius *Augustanus*, uti ex Tacito. Equites isti Augustis familiares erant, illisque assistebant. In Taciti Ann. lib. xiv., hæc: *tuncque primum conscripti sunt* (a Nerone) *Equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate, ac labore conspicui, & pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ: hi dies, ac noctes plausibus personare, formam Principis, vocemque Deum vocabulis appellantes, quasi per virtutem clari, honoratique agere*. Equites *Singulares*, & Milites *Singularios* fuisse, constat ex Cassiodoro, & Pancirolo, aliisque.

M . VLPIVS VIATOR
T . AVR . SCRIBONIVS
P . AELIVS DECIMINVS
AELIVS . VERNVS .

Equites singulares Augusti nominantur in vetustis Lapidibus. Ælium igitur Amandum Antonini Pii equitem *Singularem* fuisse liquet ex anno consulatus Tertulli, & Sacerdotis, id est Q. Flavii Tertulli, & Licinii Sacerdotis qui eum gesserunt A.C. 158. Ab hoc Tertullo nomen traxisse SCVM Tertullianum, quo Matres ad legitimam Filiorum hæreditatem admittuntur, autumat Almelovenius in Fastis. Sed rectius Nicolaus Tortorellius *Degli antichi Giureconsulti Romani* lib.2. cap. 15. hoc S.C. tribuit Cornuto Tertillo, qui A.C. 101. Imp. Vlpio Trajano subrogatus, cum C. Plinio Secundo Consul fuit. Vide Brissonium, & Calvinum, apud quos hoc S. C. non *Tertullianum*, sed *Tertillianum* vocatur. Tertullus noster, iterum cum Q. Junio rustico Consul creatus, ex adulteris fuit Faustinæ M. Antonini Philosophi uxoris, quod tradit Capitolinus. *Crimini ei datum est, quod Adulteros uxoris promoverit, Tertullum, & Utilium, & Orphitum, & Moderatum, ad varios honores; quum Tertullum etiam prandentem cum Uxore deprehenderit, de quo Mimus in Scœna, præsente Antonino dixit, quum Stupidus nomen Adulteri Uxoris a Servo quæreret, & ille diceret ter* TVLLVS, *& adhuc Stupidus quæreret, respondit ille*: Jam dixi TER; *Tullus dicitur*. Hoc anno, hoc est Tertullo, & Sacerdote Coss Decennalia secunda Imp. Antonini Augusti Pii more majorum facta sunt, atque Agones Capitolini celebrati: alterum Licinium Sacerdotem, nostri fortasse nepotem, ac cum Heliogabalo Consulem A. C. 219. commemorant Fasti, aliumque laudabimus in Inscriptione inferius.

15.



Pulcherrimus hic Lapis extabat olim in Vaticano: hunc primus evulgavit Marchio Scipio Maffejus: extat modo in Atrio Musei Capitolini, humi, ad introeuntium lævam. Romam, anno V.C. 549. M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano Coss. *Deorum Matrem*, ex Pessinunte advectam, a Claudia Quinta Vestali in urbem, ex sicco littore ductam, atque a solo Scipione Nasica manibus tactam docent Historici, & Poetæ.

SALVIAE. SALVIAE. Quare bis *Salviæ*, ignoro cum omnibus iis, qui hanc vulgarunt inscriptionem, dicamque cum Cl. Muratorio *divinet qui potest*. Solus Ficoronius *Vestig. di R. A.* p.149. incredibili confidentia, *Salvia* nomen fuisse asserit, non tantum Navis in lapide invocatæ; sed & Fœminæ quæ votum susceperat, quod mihi absurdum videtur; nam votum, a Claudia Syntyche susceptum, perspicuum est ex consimili Musei Veronensis lapide (ab ipso Ficoronio reperto in hortis Cæsarinorum, vulgò *Marmorata*) in quo hoc *Salviæ* nomen, semel tantum legimus.

NA-

NAVISALVIAE ET
MATRI DEV DD
CLAVDIA SINTI

Sic ; omissa litera M. in DEV. & litera I. in SINTI loco Y.

Lapis iste, quem doctissimo Præsuli Francisco Blanchinio tradidit ipse Ficoronius, extat adhuc in Museo Veronensi. Idem animadvertendum est in Thes. Murator. Cl. I. p. 98. ubi Voti susceptor est Q. Nunnius Telephus.

MATRI DEVM
ET NAVISALVIAE
Q. NVNNIVS
TELEPHVS MAG
COL. CVLTO. EIVS

Ex his colligitur Navem ipsam, tanquam Deam Romanis fuisse; propterea laudatus Muratorius, geminas illas voces NAVISALVIAE conjungendas existimavit.

16.

ISIDI. SACR.
CRESCENS
CAESARIS
VESPASIANI
EX. VISO POSVIT

ISIDI. De Iside plerique rerum antiquarum, potissimum mytologicarum Scriptores, mira sane eruditione differuere; unde nihil post illos mihi suppetit, nisi ut breviter quædam afferam, ex quibus continuo percipiatur qualis, ac quam potens fuerit apud Gentiles, hæc, tot templis, tot sacris, totque mysteriis celeberrima Dea. Isidem ipsam, Apulej verbis, de se loquentem, audiamus. *Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant, Deûm Matrem, hinc Auctochtones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii, Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi, Dyctinnam Dianam; sicut trilingues Siculi, Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam Deam Cererem; Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusiam alii; & qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me prorsus propriis percolentes, appellant vero nomine* REGINAM ISIDEM. Consona sunt ista celebri illæ columnæ, cujus meminit Diodorus *lib.* I. in qua ætate sua hæc temere insculpta legebantur.

EGO. ISIS. SVM. AEGYPTI. REGINA
A MERCVRIO. ERVDITA
QVAE. EGO. LEGIBVS. STATVO. NVLLVS. SOLVET
EGO. SVM. PRIMA. FRVGVM. INVENTRIX
EGO. SVM. ORI. REGIS. MATER
EGO. SVM. IN. ASTRO. CANIS. REFVLGENS
MIHI. BVBASTIA. VRBS. CONDITA
EST
GAVDE. GAVDE. AEGYPTE
QVAE. ME. NVTRISTI

Addas velim ad hæc, ipsius pariter Isidis verba quæ in ejus templo, teste Plutarco, *de Isid. & Osirid.*, inscripta conspiciebantur: ἐγώ εἰμὶ πᾶν τὸ γέγονος, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον: *Ego sum id omne quod fuit, quod est, & quod futurum est*. Quare ignoscendum puto Arrio Balbino, quod Isidem *omnia esse* dixerit in tristissimo quidem, præclaro tamen Capuano lapide, sic a Claudio Nicasio in Differt. *de Numm. Panth.* edito.

TE.

TE . TIBI
VNA . QVAE
ES . OMNIA
DEA . ISIS
ARRIVS . BAL
BINVS V . C

At humanum, quæso, non pigeat Lectorem, hic, laudati Madaurensis Scriptoris gravem, sanctam, piissimam, luculentissimamque orationem, omnia fere, quæ ad Isidem pertinent complectentem, perlegere. *Pervolutus denique*, ait, *ante conspectum Deæ, & facie mea diu detersis vestigiis ejus, lachrymis obortis, singultu cerebro sermonem interficiens, & verba devorans, aio*. TV *quidem sancta, & humani generis sospitatrix perpetua, semper fovendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuis; nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue, tuis transcurrit beneficiis ociosum, quin mari terraque protegas homines, & depulsis vitæ procellis, salutarem porrigas dextram, qua fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia, & fortunæ tempestates mitigas, & stellarum noxios meatus cohibes. Te Superi colunt, observant Inferi: tu rotas orbem, luminas Solem, regis Mundum, calcas Tartarum. Tibi respondent sidera, redeunt tempora, gaudent numina, serviunt elementa: tuo nutu spirant flamina, nutriuntur nubila, germinant semina, crescunt germina: tuam majestatem perhorrescunt aves cælo meantes, ferè montibus errantes, serpentes solo latentes, beluæ ponto natantes. At ego referendis laudibus tuis exiguus ingenio, & adhibendis sacrificiis tenuis patrimonio; nec mihi vocis ubertas, ad dicenda quæ de tua majestate sentio sufficit: nec ora mille, linguæque totidem vel indefessi sermonis æterna series. Ergo, quod solum potest religiosus quidem, sed pauper alioquin efficere curabo: divinos tuos vultus, numenque sanctissimum, intra pectoris mei secreta conditum, perpetuò custodiens imaginabor. Ad istum modum deprecato summo Numine, complexus Mithram sacerdotem, & meum jam parentem, colloque ejus multis osculis inhærens, veniam postulabam, quod eum condignè tantis beneficiis remunerari nequirem*. Non itaque mirandum, quod Divam, tot decoratam titulis, tantaque potestate præditam coluerint Romani, apud quos Ædes, Ædiculas, ac Templum habuit insigne in Campo Martio, unde *Campensis* juxta Beroaldum dicta est. Ibi, non in hortis tantum, uti Juvenalis ejusque Scholiastes ad Sat. *6*.

——— *jamque expectatur in hortis,*
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ

verum in ipsis ædibus sacris adulteria commissa testantur Auctores. *In Isidis templo*, inquit Tertullianus, *adulteria componi, inter Aras lenocinia tractari*. At nil magis Isidis templi profanationes probat, quam vulgatissimum illud anecdotum Paulinæ fœminæ castissimæ, a Decio Mundo, Anubis nomine, Isiacis lenocinantibus Sacerdotibus, in ædibus ipsis, constupratæ. Tanto reverà permotus facinore, ipse, licet arcanarum libidinum inventor, Tiberius, Isiacum templum funditus evertit, Deæ statuam in Tiberim projecit, omnesque Isiacos sacerdotes in cruces egit, testibus Josepho A. I. *lib*. XVIII, atque Tertulliano *Apologet*. cap. XV.

CRESCENS. Vespasiani *servus*, ut puto, aut *libertus*, quod Quadratarius omisit.

17.

MERQVRIO
NV . RVSTIVS . M . F . NV . N
DVVM . VIR . DAT

MERQVRIO. *Mercurio*. Q. pro C.; sic *Quotidie*, & *Cotidie*; *Quotidianus*, & *Cotidianus*; *Quum*, & *Cum*; *Quirites*, *Quirinus*, *Quirinali*, & *Curites*, *Cyrinus*, *Cyrinali*, uti in Virgilio Carpensi. v. Manutium, in *Ortograph*. & Joannem de Vita A. B. *Dissert*. II.

Ne-

Nemo certiſſim Marmor iſtud Etruſcum cenſebit; Etruſcos enim littera Q. caruiſſe compertum eſt

ꟿ. *Manius Ruſtius*. ꟿ. N. *Manii nepos.* Hanc, *Manii* nominis ſiglam dicunt unanimiter Antiquarii: notatum tamen ſic M'. video in *Selectis* Jo. Vignolii p. 221.

M'. FVLVIO DIOMEDI

Ruſtiæ gentis mentio eſt in lapidibus frequentiſſime, & in nummis, ſeu denariis a Carolo Patino vulgatis.



DVVM. VIR. Varii fuere Romæ Duumviri; ſcilicet Quinquennales, Capitales, ſeu Perduelliones; ſacrisfaciundis; ædium ſacrarum, locandarum, dedicandarum, & conſecrandarum, navales &c. Ex quibus, Manius hic Ruſtius, mihi, ac ut puto omnibus, incompertum. Notatu dignæ mihi videntur Inſcriptiones quædam a Volf. Latio editæ in *Comm. Reip. Rom.* lib.3. ex quibus colligitur Duumvirorum, & nomenclaturam, & dignitatem ſexui fœmineo extitiſſe. Prima Albæ Juliæ reperta

PVBLIAE AELIAE IVLIANAE
MARCELLAE FIL. P. AEL. IVLIAN. ET
Q. R. FLAM. ET. IIVIRAE CL. APVL
ET ADOPTIVAE P. AEL. MARCELL.

Secunda in ruinis Varhel, videlicet Ulpiæ Trajani in Transylvania

AVRELIAE APOLLONIAE TR. PONTIF
ET IIVIR. COLONIAE APVLENSIS
MATRI CARISSIMAE

Cæterum pluribus præfuiſſe Mercurium vidimus *Num.* 2. At, cum Marmor hoc noſtrum nullam Aræ, aut Ædiculæ ſpeciem præbeat, arbitror, purum, ſimplicemque Lapidem hic, Deo, Manium Ruſtium conſecraviſſe. Lapides enim ipſos, immo informium Lapidum acervos, in honorem Mercurii cumulatos, notavimus *loc. cit.* ad quam inanem Ethnicorum ſuperſtitionem alludit Scriptura ſacra *Prov.* xxv. 8., ubi hæc: *Sicut qui mittit Lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem.*

18.

DIANAE SANCTAE
T. FLAVIVS. ARISTION
EX MONITV. ARAM
FECIT

DIANAE SANCTAE. Pluribus in locis Romæ ædes, ac Templa Dianæ fuere dicata; ut in Foro Boario, atque percelebre in Aventino, a Servio Tullio Rege conditum. Horatius

Quæque Aventinum tenet Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet

Hoc templum Gracchus profanavit, qui idcirco ab Opimio oppreſſus eſt. Ipſe Aventinus collis, aliquando *collis Dianæ* eſt vocatus; hinc Martialis qui *lib.* VI. jam dixerat

Laudat Aventinus vicinus Sura Dianæ

lib. XII. cecinit

Cum tu forſitan inquietus erras
Clamoſa Juvenalis in Suburra
Ante collem Dominæ teris Dianæ.

K Aliud

Aliud in regione Transtiberina, ex quo Dianæ *Suburbanæ* nomen traxit, uti eam nominat Sulmonensis in Fastis

Ecce suburbanæ templum nemorale Dianæ.

Signum quoque habuit in templo Apollinis Palatini.

EX MONITV. Quasi Diana in somnis T. Flavio Aristioni apparuisset, eique Aram extruere precepisset; id sibi, Nemesi devoto, Ælius Pacatus obtigisse asserit in sequenti lapide apud Thomasin. *de Donariis*.

NEMESI SANCTAE
CAMPESTRI
PRO. SALVTE. DOMINORVM
N. N. AVGG. P. AEL. P. F. AELIA
PACATVS SCVPIS.QVOD.COH.DOC
TOR. VOVERAT. NVNC
CAMPI. DOCTOR. COH. I
P.R.P.V. SOMNIO. ADMO
NITVS. POSVIT * I. I.

Sic IVSSV aliquando *Deorum*, & EX IVSSV; legimus enim IVSSV IVNONIS in nostro lapide superius, & EX IVSSV I.O.M. HELIOPOLITANI apud laudatum Thomasin. p. 154. Rarissimè EX ORACVLO. Apud Rein. cl. 1.

ΘΕΑι ΔΙΝΔΥΜΕΝΑι
DEAE DINDYMENAE
EX ORAC

rarius EX PRAECEPTO; Thomasin. p. 164.

EX PRAE
CEPTO
I.O.M.D
PER
ACACI
VM
ET
OLYMPI
VM
PATREM

frequentissimè EX VISO. EX VISV. nunquam EX VISIONE: uti legebant apud Thomasin. Viri tamen antiquitatum notitia clari. demum VISV MONITVS

ASCLEPIO
P. AELIVS. POLLIO
VISV. MONITVS
POSVIT

per quietem mortales, potissimum infirmos a Diis monitos, tradunt Antiqui. Plutarchus in Lucullo: *Troadem delatus divertit in Veneris delubro; nocte sopitus Deam videre visus est sibi assistentem, quæ diceret*

Quid dormis animose leo, cum proximus adsit
Hinnulus?

surgens, advocatis Amicis somnium exposuit &c. sic Æneas, furentem amore Didonem placare sperabat; quod scilicet a Mercurio, Jovis imperio, per quietem admonitus, Italiam petere cogeretur: item

Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago.

Galenus ipse de cur. per Sang. miss. cap. 23. *Monitus per quædam insomnia, quorum duo perspicuè mihi visa sunt, accessit ad dextræ manus arteriam.* Idem de quodam Pergami Dei Ministro; *diutino*, inquit, *lateris cruciatu laborans, liberatus est arteria in summa manu incisa, aggressus & ipse illud insomnii monitu.* Itaque ægroti in Templo Æsculapii, aut Isidis dormiebant, ut vel ab Oraculo curarentur, aut per insomnia acciperent monita de morborum curatione. Hinc Plautus in Curcul. *Act.* 1.

Ideò, fit quia hic leno ægrotus incubat
In Æsculapii fano.

At de his luculenter Dalenus *de Orac. Æthnic.* Differt. II., & Beroaldus *in Comm. ad* Apul. *Met.* lib. IV.

DIA-

19.

DIANAE ❧
NEMORESI . VESTAE
SACRVM . DICIT
IMP . NERVA . TRAIANO . AVG
GERMANICO . III . COS . PRAEF
EIVS . T. VOLTEDIO . MAMILIANO
QVAESTORIB
L. CAECILIO . VRSO . II . M. LVCRETIO
SABINO . II . AEDILIB . QVIBENNA . QVIETO
TI . CLAVDIO . MAGNO
P. CORNELIVS . TROPHIMVS . PISTOR
ROMANIENSIS . EX . REG . XIIII . IDEM . CVR
VICI . QVADRATI . ET . LANIA . C . F. THIONOE . CONIV[x]
EIVS . VOTVM . LIBENS . SOLVERVNT

Reperta eſt hæc Baſis (teſte Jo.Argolo in *Epiſtola* clariſſ. Thomaſino data) an. 1637. ad pedes ſtatuæ, inter rudera ejuſdem Deæ templi ad Lacum, quem vocant *ſpeculum Dianæ*. Hanc videre olim erat in ampliſſimi Card. Alexandri Albani Muſeo, cui Marius Frangipane urbis Senator dono dederat anno 1712., nunc in Capitolino. Dianæ vero ſimulacrum, venatorio habitu ſuccinctum, Baſi quondam impoſitum dono accepit a Mario Frangipane Seniori (nondum forte Romæ Pontificum lege de non extrahendis vetuſtis marmoribus lata, aut poſthabita, aut benignè abrogata) Ludovicus XIII. Galliarum rex, *pro qua*, inquit Vulpius, *muneratori aulea octodecim Phrygia textura Villarum, Hortorumque imagines ſcitè repræſentantia, viciſſim munus rependit*.

DIANAE VESTAE. Veſtæ aliquando nomine appellatam *Dianiam*, præter monumenta, affirmant Mytologi.

NEMORESI. *Nemorenſi*. Nemus Aricinum, hodie *Nemi*, nobiliſſimum Frangipanorum oppidum, de quo Strabo. *Poſt Albanum montem in via Appia eſt oppidum* Aricia; *ultra hoc* Lanuvium, *Romanorum colonia, in dextro viæ Appiæ latere, unde & Mare, & Antium conſpici poſſunt. Dianæ autem quod vocant* Nemus *ab ſiniſtra viæ parte eſt, qua ab Aricia Lanuvium verſus adſcenditur: Templum in eo ad Aricinos pertinet*. Templi hujus rudera vidit Jo. Argolus ad Lacum, *Speculum Dianæ*, ut dixi nuncupatum; Fanum vocatur ab eodem Strabone: *Fanum*, inquit, *in Nemore eſt; ante id lacus Mari æmulus* (proh enormem Hiſtorici exaggerationem!) *ſupercilium montanum continens, atque excelſum circumcirca in loco cavo, ac profundo includit lacum, & Fanum*. Ad Artemiſium (videlicet *Nemus*) capite corollis redimito, atque accenſis facibus, Virgines principiò, deinceps & Nuptæ, immo verò meretrices ipſæ, & Lupæ, Deæ pompam celebraturæ ab Aricia procedebant: Hinc Ovidius *Faſt.* lib.III.

Sæpè potens votis, frontem redimita corollis
Fœmina, lucentes portat ab urbe faces.

Hinc Statius in *Herc. Surrent.*

Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus.

Tabellas votivas in hoc templo permultas viderat olim ſuſpenſas laudatus Sulmonenſis *ibid.*

Licia dependent longas velantia ſepes,
Et poſita eſt meritæ multa tabella Deæ.

Quod

quod, vota quædam figlina, manus, fasciculi, capita juxta templum effossa, confirmant: ea ita delineavit Argolus, atque in opusculo *de Donariis* inseruit Thomasinus.



Fascem quem vides, positum autumant eruditi in memoriam signi Dianæ Aricinæ, intra lignorum fascem ab Oreste absconditi, atque ex Taurica in Latium, immo in Aricinum nemus translati, unde *fascellis* dicta Diana. Sunt qui Dianam, *Facelinam*, a *facibus* in ejus sacris accensis, non *fascellinam* a *fascibus* nuncupatam malunt: sed, & a *facibus* Facellinam, & Fascellinam a *fasce* dictam opinor cum Jo. Argolo, qui Hyginum, & Servium est secutus. Servii ex Hygino verba, hæc sunt. *Simulacrum sustulit* (Orestes), *absconditumque fasce lignorum* (*unde & Fascellis dicitur non tantum a face, cum qua pingitur*) *in Ariciam detulit*.

DICT. Eruditissimus Vulpius in *Lat.prof. lib.* XIII. explicavit DICTATOR. At quis Dictator? An ipse, Basis dedicator, Trophimus Pictor? absit: quomodo enim poterat Pistorius vir supremam Dictatoris dignitatem assequi? Illud igitur DICT interpretor DICTAE, aut *Dictynnæ*: nonne ipse Vulpius inscriptiones ex Aricini templi ruderibus effosas retulit, in qua Diana, DICTA cognominatur?

DIANAE · SACRVM
M. NVMISIVS. M. F. OVF
PHILIPPVS FLAMEN VIRBIALIS
ET ARICINAE DIANAE VESTAE DICTAE CVSTOS
XII. KAL. IVNII. EPVLVM. VIRBIAL. PVB. DEDIT
N. SIGNVM. DEAE. CONLOCAVIT
IMPP. M. ANTONINO. COMMODO
AVG. V
ET VALERIO. AVRELIO GLABRIONE. COSS

VE-

VESTAE DIANAE DICTAE
P. TVRPILIVS POLILAVS
SACERDOS DIVAE DIAE ET
FLAMEN . VIRBIALIS . PATR . COLL . CORP
LVCTOR . ARIC .....
QVINQVEN . ITERVM . D.D.

En aliam apud Gudium p. XXVI.

DIANAE . VESTAE . DICTAE
ARBACIANE (sic)
C . ARBACIVS . C . F . OPITER
PRAETORIANVS . SACR . K . MAR
M . COCCEIO . NERVA . III
ET P . VIRGINIO . RVFO . COS

Verum, cum *Dictæ* cognomentum datum ſit etiam Opi, & Cereri, uti apud Gudium OPI . DICTAE., & CERERI . DICTAE; immo & Jovi, qui *Dictæus* vocabatur a *Dictæ*, ſeu *Dicto* Cretæ monte, idcirco DICT, in noſtro lapide potius DICTYNNAE, quam DICTAE legi debere opinor. *Dictynna*, cognomen fuiſſe Dianæ liquet ex omnibus fere Mytologis, ejuſdemque, ſic cognominatæ, crebra tum Græcis, tum Latinis ſcriptoribus mentio, Diodoro, Pauſania, Plutarcho, Phornuto, Hygino, Lactantio &c.

Perque suas impune ſinit Dictynna ſagittas.
inquit Propertius, & Statius
Per te maternos mittis Dictynna labores

Notandum inſuper Dyctinnam fuiſſe vocatam a retibus venatoriis, quæ græcè δικτοα nominantur. Diana autem retia ad venandum inveniſſe teſtatur Diodorus. Quapropter, eo magis hic legendum puto DICTYNNAE, quod Statua, uti notavimus, noſtræ impoſita baſi, Dianam venatricem, veſtibus, atque ornamentis repræſentabat. Sic Ovidius Met. *lib.* III., ubi Dianam feris inſidiantem celebrat, eam *Dictynnam* appellat.

Ecce ſuo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, & cæde ſuperba ferarum.

Supereſt tamen (fateor) difficultas, non parvi facienda: Quod ſcilicet præter conſuetudinem Inſcriptionum quæ Diis dedicabantur, τὸ SACRVM, Deæ cognomentum præcedit. Sed primo cum Quadratarii indiligentia pateat in voce QVIBENNA, quam ſcribere debuerat Q. VIBENNA, atque in voce CONIV (X) ſic inepte exarata, mihi præſumere licet erraſſe quoque in verborum diſtributione poſuiſſeque SACRVM DICT. pro DICT. SACRVM. Memini me apud Reineſium legiſſe AVT*robolium*, pro TAV*robolium*: in Muratoriana SMV, pro SVM: inter Fabrettianas MAPHITHEATRI, pro AMPHI*theatri*: in noſtris *inf.* CAΠAPIΔI pro CAPAΠIΔI, & CHO, loco COH. h. e. *Cohorte*. Si ergo Marmorarii literarum ordinem quandoque negligebant, ac perturbabant, (quod innumeris probari poſſet exemplis) quid vetat, quin verborum etiam partitionem interdum neglexiſſe credatur? exemplum afferam, quo, hanc meam aſſertionem puto evidentiſſimè confirmari: extat in *Muſ. Veron.* p. 241. ubi Inſcriptionem

PROVIDENTISSIMI . AVG.
FECERVNT S . C . LXIIII . S.

ſic barbare confuſam, inverſamque legimus

PROVIDE S C . LXIIII . S.
NTISSIMI AVG . FECERVNT

Ita, conſuetudo fuit Deorum cognomenta, nec non attributa, poſt nomina ponere; nomina tamen ſignanter Dearum, ſecundo loco poſita exhibet Gudiana collectio.

ARIMINAE DIANAE	=	PACIFERAE MINERVAE	=	TENITAE FORTVNAE
=		sic		=
NOCTILVCE DEANAE	=	PHOBBETORIAE LUNAE	=	FORTI FORTVNAE

PISTOR. De Pistoribus vide, si placet, inferius, ubi de Pistore candidario.

ROMÀNIENSIS. Et *Romanensis*: qui alibi natus, Romæ versabatur.

EX REG. XIV. *Transtiberina*, quæ omnium ultima, ubi Pistrina XXXIII. Horrea XXII. Ibi Taberna meritoria; Ibi sedes Ravennatium, & (uti his diebus) Judæorum. *Nec dissimulans*, inquit Philo *de legat. ad* Cajum, *probari sibi Judæos: alioquin non passus fuisset Transtyberim bonam ipsam partem teneri a Judæis, quorum plerique erant Libertini*. Ibi denique habitasse tenuiores, & plebeos innuit Martialis *lib.* 1.

Urbanus tibi Cæcili videris.
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es,
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis: quod otiosæ
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod custos, dominusque viperarum:
Quod viles pueri Salariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis.

VICI. QVADRATI. Nomen a *Quadrato*, qui ædes ibi possidebat; *Cajum Sejum Calphurnium Quadratum*, Provinciæ Narbonensis Proconsulem nominat Fabrettus: Quattuor ejusdem cognominis Martyres recenset Baronius. In eadem Regione vicus *Raciliani* vicus *Pauli*, vicus *Ploti*, vicus *Sex.Lucei*, vicus *Patratilli*. Q. Cæcilius Trophimus fuit ergo vici Quadrati *Curator*; de ejusdem Vici Procuratore inscriptio extat apud Gudium pag. 43.

TI. CLAVDIVS MELANTHRIVS
PROCVRATOR VICI QVADRATI

Unicam hanc Dianæ Nemorensis inscriptionem censebam; sed aliam ex eodem Gudio depromptam accipe

VIRGINI . DIANAE . NEMOREN
HORTORVM PLAVTIANORVM CONSERVA
TRICI . A . PLAVTIVS PROCLVS

20.

MINERVAE · AVG
SACRVM
NERONE . CLAVDIO . I...
L . CAESIO . MARTIALECO...
L . SELLIVS . GORGIA . MAG . III
Q. NONIVS . AMANVS . MAG . III
C . ⁝ OLL ⁝ S . FAVSTVS . MAG . II..
M . ANTISTIVS . LAETVS . MAG . II
Q. HORTESIVS . CARPVS . MAG . I
C . IVLIVS . AGATHOPVS . MAG . I
MAG . FONTANI . D . S . P.
DEDIC . ⅋ . DEO

Ex Jovis capite a Volcano adamantina securi scisso, emersit Minerva armata atque galeata. Jovis parturientis ejusque puerperæ cervicis signum commemorat Pausanias in At-

Atticis, extatque pulcherrimum apud Gorium (*Observ. in Aras Deor.*) monumentum, graphicè delineatum. Minervæ vero templa, fana, ædes, delubra nonnulla Romæ visebantur; videlicet in Aventino, in Capitolio, post Pantheum, in valle Cœlii, in Quirinali, in IX. Regione ubi *Chalcidica*, & in V. ubi *Medica* vocabatur.

NERONE. &c. Nerone Claudio II. & L. Cæsio Martiale Coss. *Neronis* secundum Consulatum, semestrem fuisse cum C. Calpurnio Pisone, quibus Consules suffectos Ducennium Geminum, & Pompejum Paullinum, docet Panvinius; at, saltem circa suffectos, errasse, in eumdemque errorem traxisse Petavium, ex hoc Lapide perspicuè constat. Rectius igitur Almelovenius, a quo Nero cos. II., cum Cæsio Martiale notatur in Fastis. Istius L. Cæsii Martialis consulis non meminisse miror Fonteium, qui de Prisca Cæsiorum gente multa scripsit, & Jacobonium (in *Append.*) ejusdem existentiam penitus ignorasse, ægre fero.

C. I OLL II S. C. aut Q. *Zollius*.

MAG. *Magister*; Minervæ scilicet Aram hanc dedicarunt L. Sellius Gorgia, Q. Nonius Amanus &c. (quorum nomina in aversa Lapidis parte iterantur) *Magistri*; h. e. ædis Minervæ *Curatores*, qui & *Magistri* vocabantur: ita *Magister* Fani Dianæ Tifatensis, *Magister* Feroniæ, *Magister* Larum, *Magister* Egeriæ, *Magistra* Fortunæ muliebris apud Reinesium Cl. I. 31. 101. *in Not.*, ubi Boldonium increpat, quod hoc Magisterium, *in Epigraphic.* p. 5., ad curam cædendorum Marmorum transtulerit. At cum hi omnes *Magistri Fontani* in Saxo dicantur, quos hic primum (de Lapidibus loquor) sic nominatos invenio, eos Curatores potius Fontium dicere fas est. De his Fontanis Magistris inscriptionem habebis inferius M. Aurelium Priscillianum *lymphæi Curatorem* laudat Marmor Fabretti de Aquæduct. Diss. 1. Gorius quoque Fontanorum mentionem facit in *Gemm. Medic.* Cl. I. p. 40., ubi Fontibus, præter Herculem, *Fontinalem* preæsse Minervam, istomet lapide testante asserit.

D. S. P. *De sua pecunia*. Male Fabrettus P. S. P. Malè etiam AGATOPVS pro AGATHOPVS, & DEC. pro DEO; uti (mendose) in archetypo. DEDIC. K. DEO. *Dedicata* K. *Dec.* nempe die 1. Decembris.

21.

CN. OCTAVIVS. TITINIVS. CAPITO
PRAEF. COHORTIS. TRIBMILITDONAT
HASTA. PVRA. CORONA. VALLARI PROC. AB
EPISTVLIS. ET A PATRIMONIO. ITERVM. AB
EPISTVLIS. DIVI NERVAE. EODEM AVCTORE
EX. S. C. PREAETORIIS. ORNAMENTIS. AB. EPISTVL
TERTIO. IMP. NERVAE. CAESAR. TRAIANI. AVGGERM
PRAEF. VIGILVM. VOLCANO. D. D.

TITINIVS CAPITO. De Titinia gente quæ familias habuit Patricias, & Plebejas conf. Patinum, & Morellium. Ex Etruria originem duxisse argumentor, ex vetustissimo Clusii reperto lapide, a Cl. Passerio in Paralip. in Dempst. *Etr. Reg.* producto

ATH TETINIA ARNTNI
TETIN ALISA.

idest *Larthi Tetinio Aruntis Tetiniæ Romæ memoriæ*; ad Titinium hunc nostrum Capitonem Epistolam misit Plinius Cæcilius, quæ octa-

octava est lib.v. ejusdem morum præconium accipe a laudato Auctore lib.VIII. Ep. 12. *Recitaturus est Titinius Capito, quem ego audire nescio magis debeam, an cupiam. Vir est optimus, & inter præcipua Seculi ornamenta numerandus: Colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium, omnium exemplum; ipsarum denique literarum jam senescentium reductor, ac reformator. Domum suam recitantibus præbet, auditoria non apud se tantum, benignitate mera frequentat: mihi certe si modo in urbe est, defuit numquam.* Doctrinæ vero testimonium præbet his verbis. *Quod si illi nulla quasi mutua officia deberem, solicitarer tamen, vel ingenio hominis pulcherrimo, & maximo, & in summa severitate dulcissimo, vel honestate materiæ. Scribit exitus illustrium virorum, in iis quorundam mihi charissimorum.* Lactantius, Titinium Capitonem authorem facit cujusdam Libri *de Spectaculis*, uti refert Cataneus *in Not.* ad Plinianam libri primi *epist.* 17., in qua Plinius, Titinium Capitonem, Cornelio Titiano commendat.

PRAEF COHORTIS. Dignitas militaris satis nota. Vide, si vacat, Polybium, Vegetium, Valturium, vetustosque Lapides Gruteri, Reinesii, Muratorii &c. Eam nobilitavit invictissimus CHRISTI Martyr SEBASTIANVS, qui primæ cohortis præfectus appellatur *in Martyrol. Rom.*


TRIB MILIT. *Tribunus Militum* sive *Militaris*. Tribnni Militum quidam *angusticlavii* erant, quidam *laticlavii*; hique majoris dignitatis, illi minoris, quorum numero, in bello Vitelliano Svetonius Lenis, Svetonii Tranquilli pater fuit. Iisdem insignibus, quibus Consules, utebantur. At in horum electione perindè, ac in numero variatum est: primum omnes a Regibus, & Consulibus creabantur; tum ann. V. C. 393. sex, populi suffragiis legi cœpti sunt: anno 444. sexdecim, & aliquanto, post bellum Persicum Senatus decreto sancitum est, ut a populo duodecim, totidemque a Consulibus eligerentur. Illi, a populi comitiis *Comitati*, hi a Rutilio Rufo, qui de eorum Juribus legem tulerat, *Rutuli*, & *Rufuli* dicti sunt.

DONAT. HASTA PVRA. *Donatus Hasta pura*; idest *sine ferro* pacis Signum; hoc enim fuit præmium apud Romanos, ejus, qui primum vicisset in prælio. Hinc Virgilius Æn. lib. VI.

Ille vides pura juvenis qui nititur hasta.

Libertinorum præcipuè inquit Svetonius in Claudio, *suspexit Posidem Spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter Militares viros Hasta pura donavit.* Purum idem est, ac mundum, integrum, inviolatum, ut aurum purum, & putum: *Toga pura*, quam novæ Nuptæ, & Tirones induebant: *pura oratio* apud Terentium: *pura vasa*, sine incrustatione.

CORONA VALLARI. Seu *Castrensi*. Militarium coronarum inventorem plerique Janum bifrontem faciunt. Ut ut res sit, Vallari ex auro confecta, a summo militiæ Præfecto, ille donabatur, qui primus inter oppugnandum hostile Vallum occupaverat: Formam, hic, licet notissimam, exhibeo.



PROC. AB EPISTVLIS. *Ab Epistulis* Servi, frequentes in Lapidibus antiquis; at *Procuratorum ab Epistulis* inscriptiones adeò raræ, ut præter hanc Capitolinam jamdiù in Domo Matthejorum effossam, ne unam quidem alibi invenerim. Præpositum fuisse puto eorum, qui *ab Epistulis* vocabantur D. *Nervæ Trajani*, ipsarumque Epistolarum Curatorem, sicuti Procurator e. g. *Prægustatorum*, hoc est *Præpositus Servorum*, qui cibum potumque Principis prægustabant, cujus Inscriptio apud Gruterum p. 581.

A PATRIMONIO. Procurator nempè Patrimonii ejusdem Augusti. *Ea prædia Cæsaris* ait Ulpianus lib. 9. & 20. C.T. de bonis proscript. *patrimonii Procurator administrat, quæ*

in

in formam Patrimonii redacta sunt, idest quæ patrimonio Principis adgregantur, vel quæ ærario sacro accedunt: & l. cum Servus §. fin. D. de legat. 1. *Nec æstimatio eorum prædiorum debet præstari, quoniam commercium eorum, nisi jussu Principis non fit, cum distrahi non soleant*. Fuere & *Proximi*, seu Adjutores tabularum rationis Patrimonii, & Tabularii rationis Patrimonii Cæsaris. At de his omnibus officiis ubertim Gutherus, Latius, Calvinus, Brissonius.

PRAETORIIS ORNAMENTIS. i.e. *Insignibus* Præfecti Prætorii, facile *Vrbani*. Datum est igitur Titinio Capitoni jus utendi insignibus Præfecti Prætorii inter Honorarios, inter eos scilicet, qui Magistratum non gerebant, sed quibus honores deferebantur, codicillis ab Imperatore impetratis. Quæ fuerint Præfecti Prætorii ornamenta recitat Pancirolus in *Notitia* p. 116. *Auratum Carpentum quatuor albis equis tractum*, ut in sequenti tabula



Abacum albo tapeto instratum, qui librum erectum, purpuraque tectum, binis hinc indè Cereis accensis sustinet, in cujus medio aureum Principis caput spectabatur hujusmodi.



Præſeferebat quoque effigies trium mulierum, vaſa aureis plena geſtantium; fortaſſe Provinciarum tributa, videlicet Italiæ, Illyrici, & Affricæ, uti legimus in tertia tabula.



Senatum merito vituperat Plinius lib. 7. Epiſt. 29. quod furcifero illi, Neronis liberto, Pallanti, ornamenta Prætoria decreviſſet. *Eſt via Tiburtina*, inquit, *intra primum lapidem (proximè annotavi) Monimentum Pallantis ita inſcriptum*.

HVIC SENATVS OB FIDEM
PIETATEMQVE . ERGA . PATRONOS
ORNAMENTA.PRAETORIA.DECREVIT
ET . SESTERTIVM . CENTIES
QVINQVAGIES . CVIVS
HONORE . CONTENTVS . FVIT

AVGGERM. *Auguſti Germanici*.

PRAEF. VIGILVM. Præfectus Vigilum, nempe *Cohortium vigilum*, quæ ſeptem pri. mum fuere, uti ex duobus Fragmentis ad Vigiles ſpectantibus, apud Gorium in Inſcript. Etruriæ, colligitur. Deinceps numero auctæ, & in plerìſque Urbis partibus, immò in aliis etiam Urbibus conſtitutæ. Vigiles, Auguſtus, teſtibus Dione, atque Svetonio inſtituit, ſubrogavitque Triumviris nocturnis, qui reſtinguendis incendiis, agendiſque nocturnis vigiliis erant; iis præpoſuit Tribunos, & ſuper omnes Spectabilem Virum, qui Præfectus Vigilum appellaretur. Is cognoſcebat de Incendiariis, de effractoribus, furibus, raptoribus, receptoribus, & quia plerumque incendia, culpa obveniebant inhabitantium, eos identidem fuſtibus caſtigabat. Idem per totam noctem vigilare debebat, omneſque inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendii caſus oriretur.

VOLCANO. Ultimum in tabellis votivis locum Diis aſſignare, quibus ſuſpendebantur, non infrequens eſt, quod potiſſimum de *Volcano*, & *Silvano* animadverti; quapropter hoc non fortuito eveniſſe ferè cenſebam: at meam vicit opinionem Cajetana quædam Inſcriptio apud Reineſium Cl. 1. 265., in qua *Volcanus* omnium primus nominatur.

VOL-

VOLCANO
MVLCIBERO . SACR . L . VETTIVS . L. F.
STELLAT . PROSPER . IVNIOR
&c.

Volcano igitur (cui aliquando præſente Duce, ut ait Livius D. III. lib. III. arma incendebantur) votum hac tabula ſolvit Cn. Oct. Titinius Capito.

AVCTORE. i. e. *ex Imp. auctoritate*.

22.

HERCVLI VICTORI
POLLENTI POTENTI
INVICTO DDIM
C ..... SFRONTO
...... VIATOR . Q
DEDIC . III . I . IVL
L . VETTIO . PAVLLO
T . IVNIO . MONTANO CoS

Hercules, licet in claſſem minorum Deorum collocatus, apud plurimas gentes tamen, ſummos honores, ſummumque cultum obtinuit, ita ut, ei comparatus, Jupiter ipſe quandoque pro minimo haberetur: hinc Plutarchus *in Rom. Quæſt.* tradit eos, qui Herculi ſacra faciebant, alium Deum invocaſſe nullum. Quot autem Fana, Lucos, Ædes, Templa, Aras, invictiſſimo huic Deo excitaverint Ethnici, dinumerare quis poteſt? Adi L.G. Gyraldum in Herculis vita p. 545. *Hiſt. Deorum* ed. *Baſil.* Is jampridem in virtutis nomen, & in juramentum inductum eſt, idque multis modis, tantaque veneratione, ut ab eo Mulieres abſtinuerint. *Quin pueri*, inquit Gyraldus, *cum Herculem jurabant, id ſub tecto facere prohibebatur, quod ſub dio feciſſe non fuit Religio*.

VICTORI &c. Ara hæc, eadem fortaſſe eſt, quam teſte, apud Macrobium, Maſſurio Albino *Memorabilium* lib. 1., in ſomnis admonitus HERCVLI VICTORI excitavit M. Octavius Herennius, qui ſtrenuè pugnando, Herculis ope, Piratarum manus evaſit. Quidam vero Herculis Victoris aram ab Evandro in foro Boario erectam tradunt. P. Victor tamen ejuſdem Numinis, *Victoris* denominati, ædem extitiſſe alteram ait ad Portam Trigeminam, ſive Oſtienſem. Inſcriptionem Aquinatem, demum in qua ſic

HERCVLI VIATORI

refert Gyrald. H. DD. Syntagm. x.

INVICTO. *Invictum*, & *pollentem* dictum putat *Herculem* Varro, quod animalium omne genus vicerit: Lucretius, quod omnia monſtra animi.

DDIM. D. D. L. M. *Dat*, *donat*, aut *Dedicat libens merito*.

DEDIC. III. I. *Dedicavit* III. KAL. h. e. die 29. Junii.

C... SFRONTO. Panvinius, cui inſcriptio, nondum eraſa, tradita eſt, ſic ſcribit *in Faſtis*, C. VLPIVS FRONTO. Sed errat quoad dedicationis menſem, ipſe enim IVN. Saxum verò patenter IVL. L. Vettius Paullus, & T. Junius Montanus Conſules fuere A. C. 168., imperante Marco Aurelio, mortuo jam Ælio Vero.

.... VIATOR. Q. hæc linea deeſt in Panvinii exemplari; litera Q. in Muratoriano; Panvinius amanuenſium, Gruterus Panvinii, Muratorius Gruteri, ego verò oculorum meorum fide Lapides refero.

VIA-

VIATOR. Quinam Viatores fuerint, inter rerum Romanarum Scriptores discrepatur. Sed audi Columellam, qui Tullium *in Catone Maj.* ad Verbum transcripsit: *Illis temporibus proceres in agris morabantur, & quum Consilium publicum desiderabant, a Villis arcessebantur in Senatum, ex quo qui eos arcessebant* Viatores *nominati sunt*. Eadem Festus. *Qui* (Viatores) *Magistratibus apparent, eo quia initia tribuum omnium, quum Agri in propinquo erant Urbis, atque assidue homines rusticabantur crebrior eorum opera erat in via, quam Urbe; quod ex Agris plerumque homines a Magistratibus vocabantur, & frequens erat eorum ab agris ad Urbem via.* Nonnulli existimant Viatores eosdem esse cum Lictoribus, alii cum *Accensis* confundunt. Donatus tamen statuendum putat in hoc *Viatores* ab *Accensis* distingui, quod *Viatores* non modo vocandi jus haberent, sed & ligandi; *Accensi* verò minimè. Jus hoc ligandi habuisse Viatores negat Sigonius: sed id manifestè, ac non semel T. Livius (Sigonio procul dubio præferendus) asserit. De Appio enim lib. 3. *Arreptus a Viatore provoco, inquit.* De Manlio lib. 6. *in vincula duci jussit; areptus a Viatore &c.* Cicero in Vatinium: *miserisne Viatorem, qui M. Bibulum vi domo extraheret.* Tiraquellus cum legeret apud Livium: *Ardens ira Tribunus, Viatorem mittit ad Consulem, Consul Lictorem ad Tribunum*, arbitratus est Viatores, proprios fuisse Tribunorum plebis; sed & alii Magistratus Viatores habuere, quibus vocandi jus fuit. De Consulibus nulli dubbium. De Ædilibus patet tum ex Livio *lib.* 30. ubi *Viatores Ædilicii* nominantur; tum ex Lapidibus, in quibus fit mentio T. *Tettieni Viatoris ædilicii*. Fuerunt, & Viatores Collegii Magni, ex quibus *Tiberinus Onesimus*, ut in lapide apud Donatum *in Tacit. dilucid.*, & *Viatores Honorarii apud Mazzochium* p. 93.

SECVRITATI
COGNATIONI SVAE FORTVNATVS AVG L. VERNA
PATERNVS AB EPISTVLIS ACCENSVS PATRON. DIVO
AVG. VESPASIANO LICTOR CVRIAT. VIAT. HONOR
DEC. COS. ETPR. ET SIBI ET EPAPHRODITO AVG.
L. AB EPISTOLIS FRATRI SVO

Fronto noster Viator fuit Q. hoc est *Quæstorius*, sive *Quæstoris*, quem Viatores habuisse liquet ex altero apud Donatum lapide.

Q. LVCRETVS Q. L. GEMELLO VIATORI
QVAESTOR. AB AERAR. Q. LVCRETIVS Q. L
CHRESTVS VIATOR QVAESTOR. AB AERAR

De Decuria Lictorum Viatorum præter laudatum Mazzochii Saxum, loquitur Reinesius cl. I. p. 43. D. Lælii VII. Epulonum Viatoris inscriptionem dabimus inferius. *Cursoris*, seu *Viatoris*, qui in Prætorio Pilati IESVM reveritus est, fabella extat in apocryfo *Nicodemi* Evangelio. Reliquis pariter Magistratibus Viatores fuisse adsignatos constat ex Jurisconsultis, a quibus *Viatores Prætorii* nominantur. Sed de his plus quam satis.

Ara rotunda est, encarpis quattuor querneis ad totidem clavas deligatis obtexta. Sub ipsis encarpis in fronte, vas apertum, hædera circumdatum. A tergo arcus, & pharetra. In dextro latere Hercules ipse cum Cerbero luctatur. In sinistro Aper sculptus est. Aræ huic, seu potius Basi impositum erat Herculis Signum æneum, atque inauratum, in Foro Boario, juxta maximam Herculis Aram, regnante Xisto V. Pont. Max. repertum; de quo tunc Ulysses Aldrovandus, novissimè Rodulphinus Venutus, aliique. *Basis* igitur in Museo Capitolino, *Signum* verò extat in Ædibus Conservatorum. Nonne opportunius, aut *Statuam* una cum *Basi* in Museum transferre, aut *Basim* cum *Statua* in Ædibus adservare? At barbara hæc Simulacrorum a *Basibus* dissociatio, frequentissimè, atque maximo cum Antiquariorum omnium mœrore, Romæ notatur.

HER-

23.

ALCIDE SACRI GENERI
DECVS . HOC TIBI
PRAETOR
ET . IOVIS . ANTISTES
DEDICO PERPETVVS

ALCIDES. Herculis cognomen ab avo Alceo, Amphitryonis patre. Proclus in Platonis *Cratyl.* Herculem ait, Alcidem prius appellatum a parentibus mortalibus: *Pythia vero* ἡρακλέα *vocavit propter gloriam quam adeptus esset, & divinitatem ex Junonis affinitate, & cognatione*. Herculis, ſub Alcidis nomine invocati, altera extat poetica Inſcriptio, ſeu Epigramma apud Gruterum pag. 47.

TE PRECOR . ALCIDE . SACRIS
INVICTE . PERACTIS
RITE . TVIS . LAETVS . DONA
FERENS . MERITIS
&c.

PRAETOR. Prætoria dignitas nunquam ad Sacerdotia pertinuit; ſed hic, poetica facultate dicitur *Prætor* pro *Præſide*: nam *Prætor*, ait Roſinus, a *præeundo*, vel etiam a *præeſſendo*. Poetica, inquam, facultate: Inſcriptio enim diſtichon eſt, ſoluto ſermone exaratum, ideoque ſic legi debet.

ALCIDES SACRI GENERIS DECUS HOC TIBI PRÆTOR
ET JOVIS ANTISTES DEDICO PERPETUUS

ANTISTES. *Antiſtes* (h. e. *Pontifex perpetuus*) ita rectè Lapis: male ANTISTIS ap. Muratorium p. 66. Sic dum contra fas corrigi volunt, vetuſta Marmora, interdum depravantur: ſcribit quoque GENERIS: ita profecto legendum; in ſaxo vero, prorſus integro, GENERI.

24.

HERCVLI SACRVM POSVIT
P. CLODIVS FORTVNATVS Q̄Q̄ PERPETVVS HVIVS LOCI

INTERLOCVTIONES

AELI.FLORIANI.HERENNI.MODESTINI.ET.FAL TONI
RESTVTIANI.PREFE.VIGIL.P.P.V.V.
FLORIANVSD.QVANTVM.AD.FORMAM.AME.DATAM.PERTI
NET . QVONIAM . ME . CONVENIS . DE . HOC , INPRIMIS . TRACTAN
DVM . EST . PIA . INTERLOCVTVM . ME . SCIO . ESSE . HESTERNA
DIE . DOCERE PARTEM . DIVERSAM . OPORTERE . HOC .
EX . SACRA . AVCTORITATE . DESCENDERE , VT . PENSIONES
NON . DEFENDERENTVR . ET . RESPONDIT . SE . QVIBVS .
CVMQVE . RATIONIBVS . POSSE . OSTENDERE , HOC .
DICIT . EX . EO . TEMPORE , INQVIT . EX QVO . AVGVSTVS
REMPVBLICAM . OBTINERE . COEPIT . VSQVE . IN . HODIER
NVM . QVAM . HAEC . LOCA . PENSIONES . PENSITASSE
ET . INFRA . FLORIANVS . Ɖ VIDI . LOCVM . DEDICATVM
IMAGINIBVS SACRIS • ET ALIO . CAPITE
MODESTINVS . Ɖ . SI . QVID . EST . IVDICATVM . HABET
SVAM . AVCTORITATEM . SI . EST . VT . DIXI . IVDICATVM
INTERIM . APVT . ME NVLLAE PROBATIONES . EXI
. . . . ; S . DOCEANTVR . EV LEONES . INPEN
. . . . F CONVENIRI . ET . ALIO . CAPITE
. . . . S . CCC Ɖ MANIFESTVM . EST . QVID ;
. . . . VNAM FLORIANVS . PARTIBVS
SVIS DILIG . . . . ME FVNCTVS . EST . QVI . CVM . IN
REM . PRAES . . . . ENISSET . LOCVM INSPEXIT
ET . VNIVER . . . . . . EXAMINATISSENTE
. . . .

...IAMDEEOLOCO D.....
...QVERITVR.PRO.TV..
...NON.EST.ET IN.......
...MODESTINVS.QVO...
...A.FLORIANO ....
...EXIGIT ....
...RESTITVI...............
...FONTANIS QVO.......
...APVT.SVOS.IVDIC ....
...RVNT.IN.HODIER....
...EXALEXANDRO V....
...LITIGATVM.............
...PEREGRINO.E.........

INTERLOCVTIONES . Interlocutio, propriè est sermonis interpositio, quæ a Faustiniano pro sententia impropriè sumitur. Apud Terentium *Heaut. Act.* 4. Sc. 2.

——— *siccine me interloquere?*

verum apud Jurisconsultos aliud significat, uti docet Phavorinus, ab A. Gellio *in Noctibus Atticis lib* 14. *cap.*II. super Judicis officio consultus. *Interlocutio* inquit Jo.Calvinus *in Lexic. jurid.*, est *pronuntiatio Judicis, Præsidisve in exordio, mediove litis interveniens, quæ principale negotium plerumque non omnino finit, vel perimit*: item, *Interloqui Prætor judexque dicitur cum quid interea, dum principalis caussa plane disceptatur, pronuntiat: vel cum quid inter cognoscendum pronunciat*. Hinc *Interlocutoria* sententia; hoc est præceptum Judicis in principio, aut medio litis interpositum, quod ad finiendæ litis præparationem spectat; non etiam dirimit, aut finit. Id, & *præiudicium* dicitur, & *articulus*, & impropriè *sententia*, & *suasio*; & ita definitur, *Interlocutoria*, quæ inter principium, & finem causæ fertur super iis, quæ incidunt, vel emergunt. Conf.*Brisson. Bartol. Prateol.* &c.

In hoc igitur nimis mutilo, atque ut ita di-

dicam ænigmatico Lapide, in quo Ælius Florianus in judicium vocatur a Faltone Reſtutiano vigilum Præfecto, interloquitur celebris ille Herennius Modeſtinus, Vlpiani diſcipulus, Maximini junioris præceptor, Dalmatiæ Proconſul, argumentorum XII. *libr. Æneid.* author, Juriſconſultus inſignis, cujus ſcripta Trebonianus in Pandectis inſeruit. Ex hoc colligimus, Lapidem, non ante Maximinorum ætatem fuiſſe Herculi dedicatum

Ð Sigla iſta communiter DOMO interpretatur: hic profecto de patria non agitur, neque in quibuſdam lapidibus Chriſtianis apud Cl. Lupum *Epitaph.* S. Severæ p. 170., neque apud Gorium T. III. p. 356., in quibus DOMNINA IMARITATA FVIT ANN. DVOBVS. M.IIII. Ð. VIIII. & BENEROSA VIXIT ANN. XXV Ð. II. At in noſtro Saxo non DOMO, nec DIES, ſed DIXIT interpretor. Quo vero titulo, quave ratione Interlocutiones iſtæ in Baſi Herculi ſacra inſcriptæ fuerint, ex verborum contextu minimè liquet. An quia tanquam eloquentiæ Deus habebatur ab Arcadibus, qui idcirco templum ei commune cum Mercurio excitaverant? vel vel quod ipſe acerrimam de tripode Delphico cum Apolline litem habuerit, quemadmodum in *Phocicis* Pauſanias refert? Vel denique quod Fontibus præeſſet, ideoque a Magiſtris Fontanis adverſus Fullones in hoc Marmore litigantibus coleretur? Scio equidem Herculeum Fontem, ſeu Herculaneam aquam fuiſſe quondam a Victore in Epilogo celebratam, & Frontinum, Herculaneos rivos, ad Fontem Virginis, collocaſſe, aliumq. in Tiburtinis, tertium in Urbe, qui poſt hortos Pallantis ſe deijciebat per Cœlium. Compertum eſt inſuper Herculem apud Troezenios aquam inveniſse; apud Pheneatas Olbium amnem effluere feciſse, ac in Africa, calce pedis pulſata petra, limpidiſſimum aperuiſse Fontem. Confer Apollonii Rhod. lib. IV. *Argon.*, & Pauſan. *Arcad.* & *Corinth.* Hinc Herculis ſtatua in Balneis; hinc eumdem ſcitè *Fontinalem*, ac Fontium repertorem deductoremque, doctiſſimus Gous appellavit, qui Gemmam exhibet in qua Hercules, e rupe aquam amphora excipiens, repræſentatur. V. *Theſ. Gemm. Medic.* cl. I. tab. XIV. *num.* 4.



QQ. *Quinquennalis*, ſive *Quinquennalitius Perpetuus*.

P.P.V.V. *Perfectiſſimi Viri*. Perfectiſſimatus dignitatem primus excogitavit Conſtantinus teſte Euſebio lib. 4. cap. 4. Conſtantinus enim ut plures extolleret, multa honorum genera adinvenit. Primi ergo poſt *Clariſſimos* inſtituti ſunt, equitibus digniores, *Perfectiſſimi*. Eam tamen dignitatem conſecutus eſt M. Valerius Probus, ille nimirum, qui vetuſtiorum Lapidum notas interpretatur, licet equeſtri militiæ addictus, uti narrat Macrobius *in Saturn.* lib. 6. Verum, tantum obtinuiſſe honorem, non ab equeſtre militia, ſed a Principe, author eſt Pancirolus *in Notitia* lib. I. cap. 3. De hac *Perfectiſſimatus* dignitate adeo nitide, docteque diſſeruit Gotophre-

phredus ad *tit.* 37. *lib.* VI. *Cod. Theod.*, ut nihil, quod desideretur, supersit.

EVLEONES. Vestigia quæ in his litteris fere exhaustis, penitusque corruptis adhuc remanent, satis indicant legendum esse FVLLONES; Servi nimirum qui purganda, poliendave vestimenta accipiebant juxta Ulpianum L. 13. §. 6. D. *locati*, ubi inquit: *Si Fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint, ex locato tenetur; quia debuit ab hac re cavere; & si pallium Fullo permutarit, & alii alterius dederit, ex locato actione tenebitur, etiam si ignarus fuerit*. Lavabantur autem vestimenta a Fullonibus (togæ potissimum niveæ, quibus ditiores elegantioresque induebantur) creta ac sulphure, ait Plinius *lib.* 35., quibus iterum ea candefaciebant. Hinc Ars *Fullonica*, & Officinæ, seu Opificia *Fullonia*, quæ, ne pone Ædes (nisi ab eisdem sex cubitis distantia) construerentur, providentissima lege sancitum fuit, ut eorum pestilens, immundusque fumus evanesceret. Lex item, nec minus providè, lata a Trebatio est, qua Fullonibus prohibebatur Officinas circa Fontes perennes, atque currentes ædificare, ne aquam impuram, & lutulentam bibituris immitterent. Ex his facilè colligitur quæ fuerit nostros inter Magistros Fontanos, & Fullones controversiæ origo, & argumentum. Rarissimam hanc Inscriptionem dixit Fabrettus *Cap.* IV.; atque desperatæ lectionis: autumat tamen & ipse litigium in ea contineri inter Fullones, & Magistros Fontanos, quos alias nominavimus. Causa, ni fallor, in his etiam pensionibus vertebatur, de quibus loquitur Bulengerus I. R. lib. 7. Cap. x. *Tres autem*, inquit, *Pensiones fuere, quæ Calendis Januarii, Cal. Maij, & ineunte Septembri, quo desinebat indictio, penderentur* L. *finali* C. *de Annon. & Tribut.* Vide etiam Guther. *de Off.* D. A., & Jo. Calvinum *in Lex jurid.* Ex eodem Fabretto discimus Marmor inventum ætate sua ad aggerem Servii, ponè Ecclesiam S. Antonii Abbatis in Exquiliis.

25.

SANCTISSIMO HERCVLI
INVICTO
CORPOR . CVSTODIARIOR
L. CVRTIVS ABASCANTVS CVM
CVRTIO GAVDENTE FIL.
IMM . A . IIII
CRATERAM ARGYROCORINTHAM
CVM . BASI . SVAE . THYPOBASI
MARMOREA
SVA . PECVNIA . DONO
DEDERVNT
DEDICAT VIIII KIVN
SERSCIPIONEORFITOQNON PRISCO COS

SVAE . TYPOBASI. *Sua, & Hypobasi*.

VIIII KIVN. Kalendas, vel Kalendis, Junias vel Juniis, aut Junii: h. e. die 24. Maij.

CORPOR. CVSTODIARIOR. *Corpora*, aut *Corporati*, aut *Corporis* patrono. Custodes, *Custodiarios* vocatos, unquam in antiquis Monumentis non reperi. Corporis autem Custodiariorum, seu Custodum, nulla, quod sciam, mentio apud lapidum Collectores, Lipsium, Reinesium, Gudium, Gruterum, Fa-

Fabrettum, Gorium, Maffeium, Muratorium, &c. qui nullum, præter istud Capitolinum, Saxum invenere, *Custodes*, in Corpus coaluisse, asserens, quod ipsi ignorarunt Pignorius, Titusque Popma, licet ille *de Servis*, iste *de Servorum operis* ex professo disseruerint. At cui adsignandum ordini corpus istud Custodiariorum Herculi donaria offerens, quæstio est, non obiter solvenda. Plurimas enim extitisse Custodum classes inscripta Marmora tradunt, nempe *legum*, *officii*, *rationum patrimonii Augusti*, *Civium Romanorum*, *Corporis Principis*, *Mulierum*, *Carcerum*, *Horreorum*, *Ædium*, *Vivariorum*, *Carinarum*, *Tabularum* &c. Lucem tamen non levem offert, quod Curtius Abascantus, ac Curtius Gaudens se se IMM. A. IIII., hoc est *Immunes annos quatuor* dicunt. Notum est *Immunes* vocatos potissimum fuisse Milites, qui vel ætate, vel privilegio ab omni militiæ munere ad præsignatum tempus vacabant. Abascantum ergo, & Gaudentem Militares Viros, ei Custodum Corpori addictos opinor, qui *Custodes Armorum* vocabantur, qui scilicet arma, & machinas militares in Armamentariis Castrensibus repositas custodiebant, quique forte vigilabant, ne arma formarentur, nisi ab iis, quibus ea conficere, publica, aut potius Senatus, aut Principis auctoritate, licebat. Singulæ enim Legiones suos habebant *Armorum Custodes*, quos Muratorius uno verbo *Armamentarios* dixit. Horum Custodum frequens mentio, apud laudatos Auctores: Hortensius Mucro, C.Virius Sabinus, C.Julius Priscus, J. Aurelius Maximus, Cattius Romulus, M.Ulpius Maturus, Ulpius Angulatus, P. Ælius Bassus, omnes Armorum Custodes fuisse legimus, quibus præfuisse Herculem, ex nostra Inscriptione coniectatus est Jacobonius in Append. *de prisca Cæsior. gente* Cap. XXI.

CRATERAM ARGYROCORINTHAM. Craterem nimirum ad formam vasorum Corinthiorum, vel potius ex ære Corinthio, Romæ elaboratum, sed undique deargentatum; usus enim inargentandi ærea utensilia, ætate Plinii vigebat, ut ipse docet lib.21. cap.3.; Romæ, inquam, ubi Fabros vasorum Corinthiorum extitisse asserit, ni fallor, inscriptio apud Muratorium, in qua Lucrini cujusdam Thalami a CORINTHIS FABRI mentio est. *Argyrites* spuma argenti est; sic *Argyrondas* Ætoliæ flumen, ab argento aquarum colore; *Argyrodomas*, argentei nitoris lapillus; *Argyraspides* a Clipeis argenteis, Alexandri Milites, *Argyrophalerus*, equus nempè, argenteis phaleris ornatus; *Argyrotoxos* demum Apollo apud Homerum ab arcu argenteo, de quo adi Macrobium *Saturn.* lib.I. cap.XVII. Si tamen hæc etymologia eruditioribus viris non placet, dicendum erit Craterem hunc, ex loco ubi confectus fuerat, nomen sumpsisse, videlicet vel ab *Argyra* Tapobranæ metropoli, vel ab Argyra Siciliæ, Diodori patria, vel tandem ab *Argyra* in Achaja ab Augusto vastata, cujus meminit Pausanias *in Achaicis*. Argyram, metallis fertilem, commemorat Plinius lib. VI. *Ad Gangem*, inquit Pomponius Mela lib.3., *insula est Argyra argentei soli*. Cœterum Corinthia vasa, quæ primus Romæ transtulit L. Mummius Achaicus Anno V. C. 608. post Corinthi expugnationem, tanto olim in pretio habita sunt, ut ea Romani, (ac potissimum Augustus) sæpè auro, nedum argento præponerent, Servosque alerent, quorum unicum officium erat vasa Corinthiaca curare. Servum A CORINTHIS nominat Tabula Antiatina, Titumque Lajum Paratum A CORINTHIS laudat Inscriptio Gruteriana; CORINTHIARIVM, Svetonius.

HERCVLI. Non sine Causa Craterem potius, quam aliud, ex tot quæ Diis offerebantur Donariis, Custodiariorum Corpus dicavit. Crateres enim, scyphos, pocula, aliaque similia propria fuere illius Divi munera, vel quia bibacissimus, & sæpè ebrius; vel quia poculo tamquam navigio, ventis, immensa maria transiverat, uti ex antiqua Historia prodit Macrobius *Sat.* lib. V. cap. XXI.; vel quia ipse magnum jam poculum ligneum attulerat, quo utebatur in sacris, quod Romæ quotannis in Herculis convivio exhibebatur, & ne carie consumeretur, pice oblitum conservabatur: huc alludit Juvenalis *Sat.* XII.

. . . . . urnæ cratera capacem
Et dignum sitiente Pholo & conjuge Fusci
V. Comm. Var.

Alterum refert Saxum Almelovenius, *in Fast.* in quo, uti in nostro, Crateram Argyrocorintham, eidem Herculi offertur

SACELLVM . HERCVLI . COMITI . CONSER . EXORAT
HIC . POST . DONATIONEM . IN . QVINQ.
CRATERAM . ARGVRO . CORINTAM (*sic*)
XII . KAL . SEXTIL . IMP . CAES . DOMITIANO . AVG .
ET . A . VOLVSIO . SATVRNINO . COS
SILVIVS . M . LIB . GORGON . RECTOR . ET
PATRONVS . CORP .
GERVLANOR . NAV . CENAM

Quo in templo (cum tot essent Romæ Herculis ædes) Craterem hunc Argyrocorinthum consecraverint Custodiarii, penitus ignoratur. Ego tamen, eorum attenta militari conditione, puto id actum esse in templo Herculis Defensoris, in Regione XV. condito, ubi Milites aliquando Arma Clypeosque suspendebant.

CVM BASI . SVAE . THYPOBASI . MARMOREA, corrigendum, *Cum Basi sua, & Hypobasi marmorea*, Hoc est crater stabilis, uti ex alia inscriptione ex Sponii *Miscell.*

HERCVLI . VICTORI . CRATERAM
MARMOREAM CVM BASI SVA
CN. DOMITIVS. CN. L.POLYMNESTVS
S. P. D. D.

Verum, quod Herculi oblatum in Saxis notavimus, in Signo expressum a Corinthiis videat Lector, prout id effinxit Chartarius testimonio, ut puto Pausaniæ, qui cujusdam Signi, pueri scilicet Herculi Crateram porrigentis mentionem facit *in Corinth.*



SERSCIPIONEOFRITO &c. *Sergio Scipione Orfito*, & Q. *Nonnio Prisco* Coss. Ann. V. C. 902., post C. N. 149. Ita Cassiodorus, Panvinius, Petavius, Almelovenius, quorum tamen Chronologiam (perlecto eruditissimi P.Magnan *de anno Nativitatis* CHRISTI problemate) confidenter obsecundare non audeo.

HER-

26.

HERCVLI . IN
VICTO SAcRVM
HERMEROS . AVG
LIBTABVLARIVS
THENSAVROR

Nemo profectò hanc Inſcriptionem ab aliis relatam affirmabit; reperta eſt enim hiſce diebus in Prædio vulgò *Salona*, VII. ab V.L. extra Portam quam vocant *Maggiore*, miſitque vir humaniſſimus, egregiuſque Pictor Nicolaus *la Piccola*, cujus impenſa plurimæ adhuc in ſupradicto Prædio, venerandæ Antiquitatis reliquiæ, & inſcripta Marmora in Muſeum Capitolinum, eo largiente, me curante, collocanda, eruuntur.

TABVLARIVS THENSAVRORVM. *Tabularius Theſaurorum*. *Theſaurus*, deductum a græco Θησαυρος perſpicuè conſtat: *itaque*, inquit Manutius, *quibuſdam antiquis libris non aſſentior, in quibus video ſcriptum eſſe* THENSAVRVS, uti in Muratoriana p. 85. ET THENSAVRIS DOMIN ‼ Ex his igitur (quin exempla in medio ponantur) ſatis liquet utraque ortographia priſcos uſos eſſe Scriptores; ideoque hic de *Tabulario Theſaurorum* eſſe intelligendum, a *Theſaurario*, qui & *Theſaurenſis*, & *Theſaurorum Præpoſitus* dicebatur, longe diverſo. Hi enim Theſauri Cuſtodes erant, quorum duodecim recenſet Pancirolus in *Notitia* Cap. XXXIV. Illi verò, *Scribæ* Theſaurarii, hoc eſt *Calculatores*, *Tabelliones* etiam vocati, qui in Theſauro, in loco ſcilicet in quem pecun ia ex Oppidorum vectigalibus exacta deferebatur, tabularum obſignationi inſerviebant. De *Tabulariis*, *Tabellariis*, *Tabellionibus*, frequens tum in Saxis, tum in Hiſtoricorum, JCtorumque libris eſt mentio: at de *Tabulario Theſaurorum*, nullibi; eoque magis gratias, urbaniſſimo lapidis Largitori referre par eſt.

27.

VOTO . SVSCEPTO
BONAE . DEAE
ASTRAPTON . CAESARIS . VILIC
AEDICVLAM . ARAM . SAEPTVM CLVSVM
VETVSTATE DIRVTA RESTITVIT

BONAE DEAE. quam etiam Faunam, Fatuam, Opem, Majam vocarunt Antiqui. Plutarchus in Cæſ. *Colitur Romæ* Dea *quam* Bonam *appellant*, *ut Græci Muliebrem*. Fauni hæc ſoror fuit & uxor, quæ, quia contra morem decuſque regium, clam vini ollam ebibiſſet, & facta ebria eſſet, virgis myrteis a viro uſque ad mortem cæſa eſt. Poſtea cum Regem facti pœniteret, & defunctæ deſiderium ferre non poſſet, divinum eſt illi numen delatum, ideoque in ſacris ejus obvoluta vini amphora ponebatur. Eo enim pacto quo ſtupra, adulteria, furta, raptus, atque ſimilia, Deos fecerant Jovem, Mercurium, Venerem, Gradivum; ebrietas ſic divinum cultum apud Ethnicos fœminæ huic bibaciſſimæ contulit. Hinc feſtivè Arnobius adv. G. lib. 2. *Fauna*, *Fatua*, *Fauni uxor*, *Bona Dea quæ dicitur*, *ſed in vini meliori*, *& laudabiliori potu*. Hanc Bovillis, ubi templum habuit, frequentabant Virgines Latinæ; huic Vota appendebant parturientes, quæ tunc eam *Uterinam*

rinam nuncupabant. Ædes eidem in Aventino erectas ajunt omnes; verum iis, qui eas collocant ubi hodie templum quod vocant *del Priorato*, adversatur, præter alios, validis conjecturis Famianus Nardinus. Ut ut res sit, certè cum Majo mense ejus sacra fierent, quidquid esset masculum, templo arcebatur; ita ut ipsæ tabellæ, sive Picturæ masculos repræsentantes tegerentur. Propertius lib. 4.

Fœmineæ loca clausa Deæ fontesque piandos
Impunè, & nullis sacra retecta viris.

Juvenalis Sat. *6.*

——————— *velari pictura jubetur.*
Quæcumque alterius sexus imitata figuram est.

Victimam itidem, fœminam fuisse testatur *Sat. 2.*

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ
Et magno cratere Deam.

Varro enim tradit, Bonam, tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eam, quoad vixerit, præter virum suum, mas viderit, aut nomen ejus audiverit. Hujus Deæ sacra tamen violare non erubuisse P. Clodium, nemo est qui nesciat. Præterea sicuti sacris Bonæ Deæ viros adesse prohibebatur, ita mulieres Silvano sacrificare non licebat. Nam Silvanus idem ac Faunus, Pici filius, Bonæ vir fuit, uti ex inscriptione Ligoriana, verbo *Antro Aventino*

SILVANO SANCTO FAVNO ET PICO
SACRVM
L. POMPONIVS L. F. CALPHVRNIANVS
FRVG. AEDIL. CVR. L. D. D

Virgines tamen nupturæ, post Puparum, strophiorumque Veneri oblationem, ac Bonæ imaguncularum consecrationem, ad templum tandem ibant in agro Laurentino positum, ibique Fauni oracula consulebant. Corradinus, Thomasinus, & Dempsterus, Ovidii authoritate freti, affirmant Virgines ante nuptias templum Bonæ non solum frequentasse, sed & per illud nudas discurrere solitas, ibique dein se ornasse. Carmina Ovidii hæc sunt lib. III. de A. A.

Quæ male crinita est, custodem in limine ponat
Orneturque Bonæ semper in æde Deæ.

at his, Vates hortatur fœminas glabras (quibus tamen inest animos alliciendi cupiditas) ne caput ad paucos pectendos crines coram viris, detegant; sed vel Custodem in limine ponant, a quo, viris interdicatur introitus, vel ornent se in ædibus Bonæ, quas ingredi viros non licebat. Nulla ergo hujus bacchicæ Virginum denudatarum decursionis apud Ovidium mentio. Qua de causa Villicus iste Cæsaris Bonæ Deæ votum vovisset, non constat ex Lapide: putarim pro felici uxoris partu & puerperio; nam, ut innui, Bona parturientibus præsidebat, teste Labeone apud Macrobium, qui huic Deæ Junonis potentiam tribuit. V. *Saturn.* lib. 1. cap. 12. Puerperæ votum (Bonæ forte oblatum, tametsi Nemi repertum) in figulina Tabula expressum proferunt Thomasin *de Donar.* Cap. 14. & Bartholinus *de Vet. Puerper.* a Gaspare filio illustr. p. 20.



Ta-


Tabulam ſanè, pariterque Lapidem hunc noſtrum in muſeo Martii Mileſii Sarazani extitiſſe tradunt laudati Thomaſinus, atque Bartholinus. Alterum, at Bonæ Deæ imaginem exhibens, fictile ſignum olim Card. Franc. Barberini, vulgavit idem de Donariis auctor Thomaſinus Cap. 12.

SAEPTVM CLVSVM. *Septum.* Septa claudebant ædes, non claudebantur: nos *Recinto* vocamus; primum videlicet introeuntibus, ultimum egredientibus, ædis, templi, aut viridarii membrum; itaque ſi Septum ab Aſtraptone reſtitutum clauſum erat, aliud ergo ſeptum extabat quo illud clauderetur. At puto intelligi debere, non de Septo ligneis raſtris, ſive fornaceis pilis intervallato conſtructum, uti viſitur apud Patinum in nummis Macrini, ac Otacillæ Severæ, templum ſepto cluſum exhibentibus, hoc pacto.





neque de Septo reticulato, ſive cratitio, quemadmodum vidi in Naſoniorum ſepulchri picturis, quas illuſtravit Joannes Petrus Bellorius vir eruditiſſimus.



ſed de Septo abſque ſpatiis, quod conſentaneum erat religioni, congruebatque ſtudio, quo ab ædibus Bonæ Deæ excludebantur viri.

ASTRAPTON. ἀςράπτων. q. d. *Fulgeratorem*, inquit Reineſius, Cl. I. p. 162. ubi hæc. *Romani vel hoc ipſo faſſi ſunt, quod a primordiis fere Urbis, Græcis nominibus, & cognominibus, cum externa alia faſtidirent, ſuos adpellaverint, nimirum deeſſe rebantur domeſtici; inprimis in libertis, & ſervis, tam maribus, quam fœminis agnominandis, participiis activis hac forma delectabantur: Bronton, Acmazon, Auxanon, Anteron, Comazon, Eron, Phileron, Pæzon, Phlegon, Sozon, Prepon, Spendon, Hieron, Bremon &c.*

VILIC. *Villicus.*

28.

A . GABINIVS
∠NARCISSVS⌐
FORTVNAE . PRIM
VOTVM SOLVIT . L . M.


PRIMIGENIAE. Vulgatiſſima fabula eſt Jovem adhuc Puerum expulſo Patre, in Univerſi cum fratribus Plutone, & Neptuno, diviſione, Cœli, Terræque imperium ex *Sorte* obtinuiſſe. Unde Jovis, ac Junonis ſimulacra in gremio Fortunæ, isque honor Fortunæ datus, ut ſit Jovis, ſeu Jovi primigenia, per eaque *Sortes*, atque *Oracula* regi crederentur, ut cujus beneficio Jupiter ſummam ſit adeptus poteſtatem. Fortunæ primigeniæ, Jovique Puero inſcriptiones extant in Gruterianis; utriuſque hic eruditiſſimo Roccho Vulpio teſte (*de Præneſt.* tab.2.) Imaginem exhibeo.



Scribit Plutarchus, Servium Regem, Fortunæ, acceptum Regnum, retuliſſe, atque ab eodem, in Capitolio, fanum conſtructum fuiſſe Fortunæ Primigeniæ. Ejuſdem Ædes ſacras in Quirinali ponit Ovid. *Faſt.* IV. quas tamen, a Q. Martio triumviro, poſt Bellum Punicum (non ergo Macedonicum, uti aſſeruit Vulpius) dedicatas, ter narrat Livius, ſcilicet D. III. Lib. 9. D. IV. lib. 4. D. V. lib. 3. De vetuſtiſſimo, celeberrimoque Fortunæ Primigeniæ templo Præneſte, incerto Conditore, dicato, v. laudatum Vulpium, Kirckerium, Suareſium, deque variis hujuſce Deæ cognomentis, Juſtum Rycquium *in deſcrip. Capitol.* Cap. XLIII.; atque Roſinum *Ant. Rom.* lib. 2. cap. 16.

GE-

29.



GENIO. Quiſque natus eſt Genium habere ſuum, cujus in tutela vivit, docet Cenſorinus de D. N. cap.III. Sed & Genium cuique rei tribuiſſe Gentiles compertum eſt; undè D. Auguſtinus de C. D. lib. 7. cap. 13. *Quid eſt Genius? Deus eſt, qui præpoſitus eſt, ac vim habet omnium rerum gignendarum*. Reverà, non Coloniis tantum, Civitatibus, Municipiis, Pagis, Viis, Fluminibus, Fontibus, Collegiis, Curiis, Legionibus, Cohortibus, Centuriis, Genios adſignatos legimus in vetuſtis Saxis; ſed peculiariter, ac diſcriminatim locis quibuſdam, uti Cœlio monti, Celle Græſianæ, Domui Iſidori Larinatis, Theatro Pompejano, Lavacris Metelli &c. Hinc Prudentius adverſus Symmachum

Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum,
Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis, ſoleatis
Aſſignare ſuos genios? perque omnia membra
Vrbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?

Quibus addi poſſunt Genius P. R., Genius *Auguſtorum*, Genius *Mathematicorum*, immo Genius *ſegetis*, Genius *corporis*, Genius *ligni*, Genius *ſexus*, Genius *famæ*, Genius *librorum*, Genius *tori*, quorum meminere Martialis, Firmicus, Juvenalis, Virgilius, Ennodius. Simulacrum Genii interdum ſerpentis imagine effingebatur, interdum puerili, juvenili, ſenili quoque forma. Coronabatur Platani foliis, reſque illi ſacra fiebat floribus, & mero. *Tibullus* lib.1. El.7.

——— *Geniumque choreis*
Concelebra, & multo tempora funde mero
Illius e nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite, & collo mollia ſerta gerat.

Horatius Epiſt. lib.2.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant
Floribus, & vino, Genium, memorem brevis ævi.

Tanta denique ſuperſtitione veteres coluere Principum Genios, ut & templa illis erigerent (uti narrant Dio, & Ammianus, qui lib. 22. Alexandrinum Genii templum commemorat) & per eoſdem ſanctiſſimum jusjurandum conciperent; hinc Tacitus Ann. lib.1. *Rubrio crimini dabatur violatum perjurio nomen* Auguſti; *erat autem*, inquit Minutius Felix in Oct., *tutius per Genium Jovis pejerare, quam Regis*; quod verba Ulpiani confirmant l. 14. §. 5., de jurejur. *Si quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis, & pejeraverit, Imperator noſter cum Patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigatum dimitti*. V. *Acta Martyrii* S.Polycarpi ap.Euſebium nempe L.4.cap.15.

ET FORTVNAE. Genio ſociatur in noſtro lapide Fortuna, ut in alio apud Dempſterum, *Paralip. ad Roſ.* A. R. *Cap.*14. lib. II.

FORTVNAE . CONSECRATVM
GENIOQVE . HVIVS . LOCI

& apud Gruterum, & Reineſium; iſte Cl.1. Num. 138.

NV-

NVMINI . SERAP
ET . GENIO . ET . FORTVNAE

ille p. 1000. in Ara

IN . H . D . D . I . O . M
GENIO . LOCI . ET . FORTVNAE

nec immerito; nam Genius seu δαίμον, *dæmon*, idem cum Fortuna æstimatus; unde recte Ciceroni εὐδαιμονία, virtus cum Fortuna conjuncta redditur. Plutarchus itidem in *Præcept. polit.* οἱ μεγάλοι, inquit, δαίμονα καὶ τύχην τοῖς κατορθώμασι συνεπιγράφουσι, *magni viri rebus præclare gestis Genium, & Fortunam ut auctores secum inscribunt*, Nomen insuper Δαίμον©, ut etiam Genii, in bonam aliquando, aliquando in malam partem accipitur, & alii dicuntur boni Dæmones, quos εὐδαίμονας, καλοδαίμονας & ἀγαθοδαίμονας appellarunt; alii mali, quos ideo κακοδαίμονας vocarunt. Muratorius hanc refert Inscriptionem. p. 79., sed nec qualis extat in autographo, nec quanta 1. Scribit PRAETORIANARVM pro PRAETORIARVM, quasi nefas sit *Prætorium* dicere pro *Prætorianum*, italicè *Coorti Pretoriane*, sive *Coorti Pretorie*. Exemplum in promptu est apud Thomasin. *de Donar.* Cap. 22.

DEO SANCTO APOLLINI
PACI . FERO . EX . VOTO
sic CORTIS . PRRTORIAE CEN
TVRIO DASIELIVS
LIBENS . VOTVM . REDDIDIT

2°. Post *Prætoriarum* omittit Siglam V. 3°. Litteras effractas interpretatur VINDICARVNT; quare non potius DEDICARVNT? quia (4°.) quattuor inferiores lineas (quæ in suo Lapide omnino desideranrur) non viderat.

DEVOTI NVMINI MAIESTATIQVE EIVS. De veteri hac formula, a vilissimis Imperatorum mancipiis inventa loquitur Thomasinus *de Donar*; Cap. 19., ubi illius originem, Dionis auctoritate Hispanis tribuit. Dio enim lib. LIII., de Augusto hæc habet. *Quum aliis alii modis immodicè ei gratularentur, Sextus quidam Pacuvius* (qui plerisque dictus Apudius) *omnium studia superavit, more Hispanorum, se Cæsari consecrans: idemque ut facerent aliis auctor existens*. Verum, uti inquit Bulengerus de Imperio Romano lib. 1. *Majestas propriè divina exaudienda est*; quare, teste Svetonio, inter flagitia Caligulæ ponitur, quod majestatem divinam asserere sibi cepisset. Ad homines tamen postea translata est. Idem Historicus in Vespasiano: *auctoritas, & quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato, & adhuc novo Principi, adhuc deerat; hæc quoque accessit*. *Majestatem* tamen hanc *divinam*, vere fictitiam, ipse Vespasianus morti proximus jocosis his verbis: *Ut puto Deus fio*, palam derisit. Quis revera ignoscet illi anonymo Vati, qui in Festi Pompeii editione Paris. M.DXXCIIII. Josephum Scaligerum, DEVM appellare non erubuit?

Scaliger ille Deus qui multa emendat & auget.

30.

SILVIANO . NAEVIANO
ET . HERCOLI
ROMANILLIANO
CALVIVS
IVSTVS
D. M

SILVIANO. *Silvano*. Silvani parentes Crathin Sybaritam, & Capram fuisse narrat Ælianus *Hist. Animal.* lib. VI. Cap. 41. ex iisque infantem natum esse Puerum, qui caprina haberet crura, & humanam faciem, eum postmodum in Deorum numerum relatum esse, ap-

appellatumque *Silvanum Deum*, cui offerebatur lac, immolabatur Porcus

.... *Silvanum lacte piabant*

ait Horatius lib.I. *epist.*I., & Juvenalis *Sat.*VI.

Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.

Rem ipsam ob oculos pono, ex typo tabulæ marmoreæ de qua adeundus Thomasin. pag. 185. & seq.




Aliqui existimarunt esse eumdem ac *Pana*, sed minus rectè; nam Virgilius eos distinguit, *Georgic.* lib. I.

Pan ovium custos.

deinde tribus fere interjectis versibus

Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum.

NAEVIANO. Veterum Numina a privatis, aras, aut signa, aut vota dedicantibus cognomen sortita fuisse jam adnotavimus. Silvanus igitur Nævianus, a gente Nævia est nuncupatus, quæ plebeia fuit, cujusque nemora, nomen fecerunt Portæ Næviæ, hodie (uti cum Georgio Fabricio credunt nonnulli) *Porta Maggiore*. Ex ea gente ortus est ille M. Nævius, qui diem *de repetundis* P. Scipioni dixit, cuique Scipio respondit: *hac die Carthaginem vici; in Capitolium eamus, Diisque supplicemus*. Ex eadem gente, fortasse fuit Cn. Nævius Poeta comicus, quem propter nimiam petulantiam, & mordacitatem Triumviri, teste Crinito, ad vincula conjecerunt. Fundorum Nævianorum mentio occurrit in quodam Lapide quem anno 1773. reperi in Agri Tusculani villa, vulgo *Morena*. Inscriptio, hactenus inedita, hæc habet.


ANTALCIDES
AVGVSTORVM
LIBERTVS
AELIAE
CONIVGI
ET SIBI


ITA VT POST MORTEM MEAM
PERTINEAT HOC SEPVLCRVM
AD POSSESSIONEM FVNDORVM
NAEVIANI ET CALPVRNIANI

HERCOLI. *Herculi*. ROMANILLIANO. Sexaginta, & amplius habuit Hercules cognomina: at eum nunquam *Romanillianum* appellatum inveni. *Romanillianæ* quoque gentis nullum apud Historicos, nullumque in antiquis saxis indicium; Nisi fortè in quodam titulo apud Muratorium, ubi

DIIS MANIBVS CAELIAE ROMANILLAE
CAELIVS QVADRATVS PATRONVS

D. M. *Deorum*, vel *Divino Monitu*; vel *Diis Magnis*.

31.



Pro. Salute. M. Aureliani. (aut *M. Aurelii Antonini*) *Felicis. Augusti*.

Characterum discrimen, duorum Villicorum mentio, verborum Inscriptionis perturbata divisio, Aurelianus, vel M. Aurelius cum Hadriano, me certum faciunt, binos adesse in uno marmore titulos, ut credidisse videtur Fabrettus, qui ejusdem Inscriptionis initium sumit a SILVANO. SAC. SPERATVS.

DVBI. Fortè DVVIVS. B. pro V. frequenter. *Duvius Rufus* ap. Reinesius. cl.I.211.

RISSTIVI. *Restituit*.

SILVANO SACRVM. Silvano, pro seipsis ab Antiquis, aut pro salute, & incolumitate aliorum vota apposita, persæpè legimus: ideoque SALVTARIS appellatus ap. Thomasin. *de Donar.* cap. 26.

SILVANO. SALVTARI
L. MANLIVS. SATVRNINVS
EX. VISO. POSVIT

Et apud Gudium.

SILVANO
SALVTIFERO
Q. RABIRIVS. Q. F. ESQ. TI
TILINVS. PRAEF. PR.
EX. VOTO. L. M. DD.

idem qui Pan habitus: hinc vetus Glosa: *Silvanus*: πανὸ θεος ὁ λαῖος.

VILICVS. *Villicus*. *Servus Villicus*. *Hadriani Augusti*, Latinis grecissantibus EPITROPOS. Hinc Varro, agriculturæ principem, Villicum appellat, a *Villa*, atque præpositum rationibus, universoque operi rustico. Villicos, & Subvillicos Hortorum Salustianorum, Majanorum, Lamianorum, & *Villicam*, Villici contubernalem nominant, illos, Marmora; istam, Poetæ. Juvenalis *Sat.* II.

Asparagi, posito quos legit Villica fuso.
Martialis lib. I.

Pinguis inæquales onerat cui Villica mensas.
Eamdem Inscriptionem retulit Franc. Vitale in *Differt. Gladiat.* p.45., in qua quædam sua, in lapide non extantia, addidit.

PRO

32.

PRO . SALVTE . ET .
INCOLVMITATE .
INDVLGENTISSIMORVM
DOMINORVM
MARCIO LIB . PROC . SACRIS . EORVM
IVDICIIS GRATVS
SILVANO . DEO . PRAESENTI .
EFFIGIEM . LOCI . ORNATVM .
RELIGIONEM . INSTITVIT .
CONSECRAVITQVE .
LIBENS . ANIMO

PROC. *Procurator*. Curatores ſacris faciundis paſſim commemorant Hiſtorici, Lapides, aliquando etiam Numiſmata; at *Procuratores ſacris*, nunquam reperi. Hic (ubi tamen de ſacris faciundis ſit ſermo) de privatis profecto intelligi debet, quæ pro familiarum ſalute, & incolumitate agebantur; ſed iis qui preærat *Curio* dicebatur, Curionum omnium præfectns, uti docet Kippingius. Mihi igitur verborum conſtructio, hæc potius creditur, ſcilicet, *Marcio Procurator*, *gratus ſacris judiciis eorum* h. e. *Dominorum*; quod hi privatam aliquam Marcioni perutilem protuliſſent ſententiam. *Procurator* inquam, rei privatæ, cujus erat colligere bona caduca, & reditus Patrimonii.

DEO PRAESENTI. Ita in alio Saxo votivo apud Thomaſinum *de Donariis* Cap. 23.

M . SEPTIMIVS . C . F
MENTI . FIDEIQ . DEABVS
PRAESENTIBVS
EX . VOTO . S . P

non equidem, quod Dii illi Gentilium ſacris adeſſent: licet enim Gentiles ſæpiſſimè ſe, Deos vidiſſe jactent, hac formula EX VISO. EX VISV. nunquam Numina, *opera manuum hominum*, præſentia habere poterant, uti nobis Baptiſmo regeneratis, infallibili Fidei teſtimonio, contigit; de quibus ipſa VERITAS Deut. Cap. 4. ait *Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris*. Interpretandum igitur cenſeo *Deo potenti*; ſic Cicero ad Atticum: *præſentes ad nocendum vires habet*: item; *quamquam animus eſt* præſens *tamen voluntas ipſa medicinam efficit*: Quandoque *Propitio*; idem in Tuſcul. *Hercules tantus, & tam* præſens *Deus*. De Nat. Deor. *Præſentes videmus Deos, ut apud Regillum*: ita Virgilius *Georgic.* lib. 1.

Et vos agreſtum præſentia numina Fauni.

& Terentius *in Phorm.* Act. 2.

Hæc, cum rationem ineas, quam ſint ſuavia, & quam cara ſint
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præſentem Deum.

EFFIGIEM LOCI ORNATVM. Nempe *effigiem*, ſeu *Statuam & loci* (*ædis videlicet*, vel *Sacelli*) ornatum, ſive *ornamenta* conſecravit.

RELIGIONEM INSTITVIT. Scilicet *Cultum*, & *cerimonias*. Ita Cicero *de Invent. Religio eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant curam, cerimoniamque affert*: & *de* N.D. *Religio, quæ Deorum cultu pio cuntinetur*; *de Leg.* tandem; *Cultum Deorum, & puram*

ram religionem suspicere. Religio pro *cultu* in aliis lapidibus (nisi me memoria fallit) nunquam reperitur. Inscriptionem istam non semel tantum, sed bis edidit Muratorius, Verum p. 69. PRESENTI, depulsa diphtongo, quæ tamen bipalmaris, ut ita dicam extat in Saxo, & p.123. IVDICIIS GRATIS pro IVDICIIS GRATVS. Utrobique insuper omisit puncta, in fine sex linearum posita (quod notatu dignum) texturamque inscriptionis variavit.

33.

SILVANO FLAVIORVM
CASSIANVS . T . FLAVI . AVG . LIB
CELADI . LIBERTVS . FECIT . VNA
CVM FLAVIS CASSIANO . ET
AMANDO . FILIS . INCHOATA
ANTONINO . AVG . PIO . P . P
DEDICATA . XV . K . APRIL
SCIPIONE . ORFITO . ET
SOSIO . PRISCO . COS

En iterum Silvanum, ex familia ipsi devota cognominatum, scilicet e Flaviis, genere Libertis, qui ei Aram, aut Ædiculam dedicavere, inchoatam imperante Antonino Pio Patre Patriæ, dedicata die XVIII. Martio, consulibus Ser. Corn. Scipione Orfito, & Q. Sosio Prisco, idest A.C. 149.

SOSIO. Qui, hic vocatur *Sosius*, aliò *Nonius* appellatur; at nullibi *Novius*, uti perperam apud doctissimum Dionys. Petavium *Ration. temp.* T. II.

34.

AANSON ✝ BALESRI

VALERIA PROFVTV
RA ET MARCVS
ANTONIVS HY
METVS COM FI
LIS SVIS DONVM
DEDIT SANCTO SIL
VANO CAMINE
SI CLODIO ALEXAN
DRI MANCIPE
CASSIA DEVTERA

Crucis in ethnico marmore, typus; litteræ SS. (quæ interpretantur *Sancto Silvano*, vel *Silvano sacrum*) nomini M. Antonii Valerii fœde immixtæ; ipsaque litterarum forma,

ma, a forma earum quæ Inſcriptionem ordiuntur, longè diverſa, ſatis probant Aræ tympanum, ab aliquo pio Chriſtifideli fuiſſe deturpatum. Chriſtiani etenim Gentilium monumenta, quam poterant, immò certatim fœdare, deformare, mutilare, delere, funditus evertere conſueverunt; eratque apud eos præclarum pietatis facinus, atque maximum Religionis argumentum, Crucis imaginem ubique delineare. Celebris eſt apud Bonarotam de *Vaſ. vitr.* Crucifixus figuris Remi, ac Romuli impoſitus. Scio equidem in Ethnicorum etiam Monumentis, potiſſimum Iſiacis, Crucis exemplar non ſemel reperiri. *Cum Serapidis Templum*, inquit Socrates Hiſt. tripart. lib. 9. *Spoliaretur*, *& in Sacris*, *uti vocabant*, *litteris*, *Crucis figuram inveniſſent*, *ea res in diſceptationem venit*: *Chriſtiani enim Crucem Chriſto adjudicabant*: *Ethnici verò*, *commune quidpiam Chriſto cum Serapide eſſe impiè contendebant*. Apud Jo: Braunium Sel. ſacr. p. 390. Signa viſuntur Oſiridis, atque Iſidis, cruces præ manibus habentium anſatas.



Sacrificulus Ægyptiacus, crucem pariter geſtiens eſt apud Cauſsæum p. 11. fig. 36. In Nummo itidem Domitiani, a Moynæo in epiſt. de Melanophoris memorato, Crux conſpicitur, ſacris Iſiacis referenda. At confer Kirckerium *in Obeliſco*; Bonannum *in notis ad Muſ.* Kirckerianum, atque Pignorium in *Tab. Iſiaca*, ubi Lapis cum hieroglyphicis, inter quæ Crux quoque notatur



Verum cum nulla ſit Silvani cum Iſide analogìa, Crucis typo locus neutiquam in noſtro Lapide eſſe poterat.

Notandum tamen eſt in aliquibus Gentilium marmoribus, interlineares quaſdam extare Cruces, ſic obſignatas †. Pierius Valerianus *in Comm. ad Eclog.* 1. Virgilii docet hanc Siglam ſignificare modo TI. modo IT. ut in ſequenti Lapide

D . M.
AVRELIA
CRESCEN
†NA . CONIV
GI . VE....
PRODITO
CON QVO VI
XIT ANNIS
XIT . DE . SVO
POSV† . B . M.

Voces illæ CRESCEN†NA, & POSV† certè legi debent *Creſcen*TI*na*, & *Poſu*IT, ſicut in militaribus S ꝥ. *ſtipendiorum.* At quid valet, unicus fortè, hic lapis, tot aliis æquiparatus, in quibus iſtud Pierii hypomnema certiſſimè nominibus, aut rebus accommodari nequit? Exempla in promptu ſunt; ac omnia ex Gruterianis excerpta Cap. VI.

R D. M.

D. M
AVR . MVSSA . ☩ . FIL . AN . VII.

D. M
M . AVR . † LVCIANO
LEG . VII. † GEM . HAST . PR

POMPONIVS
† VALERIANVS

DIOGENES † GAVIS

IVLIAE . C . L . † VENERIAE
C . IVLIO C . L . † PROSDOXO

Num legendum TI, vel IT Luciano? IT Veneriæ? IT Prosdoxo? in eadem Gruteri collectione ſcilicet in inſcriptione Gratiani Marci habemus EX . TES . † . EIVS, ubi Crux aut nihil ſignificat, aut TAM. hoc eſt *Tes*TAM*ento*. In Lapide Lamunii Rufi cruces habentur in fine, atque a Sententia disjunctæ, hoc pacto ☧. ✛. Et in Saxo Antalcidis ſup. relato num. 30. in notis, tres itidem ✛. quæ nec IT. nec TI. nec TA: neque *Stipendia* indicare poſſunt. Cruces tandem pro litteris obſervantur etiam in vetuſtiſſimo Etruſcorum alphabeto; quod præſertim in ponderum typis perſpicuum eſt, quorum unum hic ſubijcio ex Dempſteri Etrur. *Reg.* T. 1. *tab.* IX. p. 350.



Item in poſtica cujuſdam Vaſis parte, hoc pacto expreſſa viſitur Crux, illi ſimillima, quæ in denariis omnium fere Regum Chriſtianorum (præſertim poſt celebrem illam, de Cruce in denariis ſignanda, Caroli Calvi conſtitutionem dat. A. C. 865.) conſpicitur.



vid. T. 1. tab. XI. p. 78. apud laudatum Auctorem. Ex his lapidibus Cruceſignatis liquet erraſſe Cl. de Vita, qui in egregio *Antiquit. Benevent.* Op. Diſſ. XI. haec ſcripſit. *Ex quo quidem Signo † certa mihi atque conſtans inſedit ſententia, ubi ſepulcrali cuipiam titulo, ſueta ſua forma indubiaque effigie inſculptum occurret, promptum eſſe, atque omninò tutum videri, ut idem titulus ad Chriſtianos pertinere judicetur.* Verum (quod ſummi, doctiſſimique Viri pace dicam) quis titulum, e. g., Aureliæ Muſsæ, in quo Crux perfectiſſimè delineata ☩, Siglis D. M. ſociata conſpicitur, ad Chriſtianam Mulierem pertinuiſſe affirmabit? Quis hæc de baſi hac Capitolina Silvano Deo dicata, in qua tamen Crux extat ſedulò paritèr inſculpta ☨? Concludendum igitur opinor, nil certi de iſto Crucis in lapidibus typo poſſe affirmari. Hunc enim Chriſtianorum pietati indiſcriminatim tribuere vetat Creſcentinæ titulus, in quo profectò † modò TI. ſignificat, modo IT. Marmora vero ſic cruceſignata, ad Chriſtianos conſtanter pertinuiſſe, ab hac, Silvano ſacra Baſi, manifeſtè negatur.

PROFVTVRA. Et apud Gorium T. 1. p. 387. *Appea Profutura*

CAMINESI. Cognomentum Silvani ex familia Fabretto, & Sponio ignota. Inter Capitolinas fœminam quamdam nomine *Cameniam* videbis inf. & *Camenium* ap. Oderic. p. 131.

MANCIPE. Mancipem definit Feſtus; quiſquis a populo aliquid emit, conducitve, quia ſublata manu, ſignificat ſe authorem emptionis, ſeu conductionis eſſe. Pædianus Mancipem eſſe ait qui quæſtus ſui cauſa, exigenda a Sociis, ſuo periculo exigat, & Reipublicæ repræſentet, & erat Manceps publicanorum princeps. In conductione enim vectigalium tributorum, alicujuſve operis publici inſerviebant Manceps, Præs, & Socii: *Manceps* erat in conductione princeps; *Præs*, Sponſor, ſeu Fidejuſſor, *Socii* verò, qui in partem quæſtus, & jacturæ a mancipibus, & præſidibus vocabantur, quod aſſeruit, præter Aſconium, Polybius. Cicero *in Verr.* Mancipes a Civitatibus pro frumento pecuniam

niam exegerunt. At planius Mancipem definivit Casaubonus, qui in notis ad hæc Svetonii verba *non negaverim jactatum a quibusdam Petronii Patrem fuisse Mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam Agrorum quotannis commeare solerent*, inquit; *Hujusmodi igitur operarum Manceps fuit Vespasiani progenitor*, hoc est, *solitus in Umbriam profectus operas vili pretio conducere, & præsente pecunia, quas in Sabinos perductas mercede majore elocabat*. Hunc operarum (Agricolarum scilicet aut Messorum) Conductorem, Romani vocant Capoccio. *Mos hodie obtinet*, resumit Casaubonus, *apud multos populos, ut imæ plebis pars non pœnitenda, quia Domi quid agat nihil habet, certo anni tempore, voluntarium sibi indicat exilium, & alias terras petat, ut in quo suam occupet industriam inveniat. Sic Epirotarum agmina patriam quotannis relinquunt, & ulteriora ditionis Turcicæ adeunt, operis simul, & quæstus faciendi gratia. Longobardis, & Sabaudis, qui caminos purgant, puteos mundant* (mures alpinos, & cercophitecos, atque tædulam, stridulamque illam, quam Magicam vocant Laternam, hisque similia circumferunt) *per æstatem Gallia* (Italia verò hyemali tempore) *referta est. Lutetiæ, & in reliqua Francia qui ædificant, Lemovicibus operis magna parte anni plurimum utuntur: operæ multis Hispaniæ locis, viles homunculi sunt Galli, qui compendii sui gratia illac quotannis commeant. Eumdem apud veteres morem fuisse testatur hic Svetonii locus abundè.*

CASSIA DEVTERIA. h.e. *Secunda*. Ita *Secundæ*, seu fœtus in utero involucrum, *Deutera* dicuntur: qui secundas partes Scœnicarum Fabularum agit, *Deuteragonista*: secundo partu editus *Deuterotocus*: secundaria lex, *Deuteronomium* &c.

35.

EXTRA HOC LIMEN ALIQVID. DE SACRO SILVANI EFFERRE FAS NON EST

Qui templorum sacrarumque ædium suppellectiles, utensilia, signa, donaria Diis oblata abstulisset, reus erat sacrilegii. Inscriptio apud Licetum *de Lucern.* p.606.

SI QVIS FVRAVE
RIT PROINDE
OBLIGATVS. ERIT
AC. SI. SACRILEGIVM
COMMISERIT

Prædonum, furumque facilè principem fuisse C. Verrem abundè colligitur ex Tullio Act.II. *Hic navis illa prædonis istius, onusta signis religiosis, expulsa, atque ejecta fluctu, frangitur: in littore signa illa Apollinis reperiuntur*: Rursus: *Hoc tu Fanum* (Latonæ) *depopulari, homo improbissime, atque amentissime, audebas? fuit ulla cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem?* Inferius: *Pergæ Fanum antiquissimum, & sanctissimum Dianæ scimus esse: id quoque a te nudatum, & spoliatum esse, ex ipsa Diana, quod habebat auri detractum, atque oblatum esse dico*. Haud minori scelere Deorum ille depilator Gelo, Æsculapii Epidaurii barbam auream demi jussit: neque enim convenire, ajebat, barbatum esse filium, cum in omnibus Fanis pater Apollo imberbis esset.

LIMEN. *Limen*, ait Marcellus *omnem ingressum denotat*. Hic, de ipso Silvani Fano intelligi debet; res enim sacræ ad Deos spectantes, non in limine, sed in Templi sacrario custodiebantur ab Æditius. *Limen* pro *Domo* accipi posse, testes sunt Virgilius

Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina profer.

& Propertius ad C. Gallum

Ah mea contemptus quoties ad limina curres.

Sic Ulpianus in leg. *illicitas* §. *ne potentiores*, tit. de Off. præsid. *Ne tenuis*, inquit, *vitæ homines*

mines sub prætextu adventus officiorum, vel militum, limine unico, & ideo Juvenalis

——————— *pendentia liquit*
Vela domus, & adhuc virides in limine lauros.

Christiano quoque sermone, *ad limina Apostolorum venire*, idem significat, ac *ad sepulcrum Apostolorum accedere*. Cæterum limina omnia, tum domorum, tum Templorum, sacra erant: Tibullus

Non ego si merui dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus,

quibus preærat, quidam ex plebe Deorum *Limentinus*, nomine Vestæ, ut ita dicam, antiquissima Latinorum Dea. Limina enim Vestæ dedicabantur, quod in usu fuisse ante Romam conditam prodit Servius *Æn.* lib. 2. Alii verò post Sabinarum raptum. Cum ergo huic Deæ consecratum esset, sacrilegum videbatur novam nuptam limen, & sic locum Numini dicatum, calcare.

36.

LARIBVS
SALVTARIBVS
REGINVS . NOSŦ
COS .

SALVTARIBVS. Non genericè, sed quia Reginus iste ad amissam valetudinem, Laribus adjuvantibus, redierat. Ethnici enim non Æsculapium tantum, aut Hygiam in morbis invocabant; verum, & Mercurium, & Junonem, & Venerem, & Dioscuros, & Proserpinam, ipsamque Febrim, quam *divam*, *sanctam*, *magnam* fecerant, quæque tribus in locis Romæ venerabatur. Nil igitur mirandum, quod ad arcendos morbos opem aliquando Larium exposcerent, quas variis, prout res postulabat, appellationibus colebant. Vide si vacat *Thomasinum de Donar.* Præterea notandum, quod hactenus *Salutarium* epitheton Laribus datum, numquam legimus, nec in aliis lapidibus, nec penes latinos Authores, qui tamen de Laribus publicis, patriis, ruralibus, familiaribus, permarinis, præstitibus, grundulibus, vialibus, hostiliis permulta scripserunt.

NOSŦ. sic. Perperam *Muratorius*, NOST; licet enim Siglam Ŧ, rectè interpretatus sit pro T, tamen arguendus est summus ille vir, quod hic, & frequentissime in suo inscriptionum thesauro, scripturæ vitia non in notis, sed in ipsis marmoribus emendaverit; quod meritò leges Antiquariorum vetant. Cæterum *Reginus* cognomen fuisse Antistiæ Familiæ, colligitur ex quodam C. Antistii III. VIRI monetalis nummo apud Patinum. *Quid sit* NOST, ait Muratorius, *non assequor*: *Num* NOSTRI CONSVLIS *idest Servus*? An recta explanatio, videant Eruditi. Ego equidem pro NOSΓ legendum puto NOSTIVS, neque imaginarium cognomen, licet rarissimum: NOSTIAE DAPHNIDIS ORNATRICIS DE VICO Inscriptionem retulimus in nostro *de Ornatricibus* Opusc. p. 82. NOSTVS. MAM. SCAVRI. L. apud Fabrettum Cap. III. ubi etiam

L . NOSTIVS
L . L . AMPHIO
NOSTIA . L . L
TERTIA

Et pro COS., prima immutata litera, POS. Cum enim per Siglam COS. nihil aliud (ex omnium antiquarum notarum Interpretum sententia) intelligi debeat, nisi *Consul*, vel *Consularis*, cumque Reginus nunquam nec Consularis fuerit neque Consul, ideo suspicari licet mendum latere in lapide, qui aliusmodi corrigi nequit; eo magis, cum verbum PONERE tabellarum Votivarum formulis minime adversetur, ut ex innumeris lapidibus perspicue constat.

LA-

37.

LARIBVS.AVGVSTIS.ET.GENIS.CAESARVM
IMP.CAESARIDIVI.NERVAETRAIANOAVG.GERM.PONTIFICIMAXIMOTRIB.POT.IIII.COS.III.DESI::
PERMISSV.C.CASSI.INTERAMNANI.PISIBANI.PRISCI.PRAETORIS.AEDICVLAM.REG.XIIII.VICICENSORIMAGISTRI.ANNI.GV:::
VETVSTATE . DILAPSAMINPENSA . SVA . RESTITVERVNT . IDEM . PR . PROBAVIT ::
:::———————————————————::
::———————————————————::
::———————————————————::
::L.ROSCIO.AELIANO CoS ::
:::TI.CLAVDIO.SACERDOTAE L·CERCENIVS·L·LIB·HERMES·M·LIVIVS·Ͻ·LIB·DONAX DEDIC::
::
P . RVTILIVS . P . F . PRISCVS L.CORANIVS.L.LIB.EVARISTVS . IIII . KIAN:::

Familias, peculiares ſuos coluiſſe Lares, nemini obſcurum puto. Hinc Plautus *in Aulul.*

Ego Lar ſum familiaris, ex hac familia

Unde exeuntem me aſpexiſtis

iis in patella libabant, ideoque *Patellarii* ab eodem Comico feſtivè dicti ſunt; alias *Do-*

mestici, ut in Gruteriana pag. CVI. 12.

LARIBVS
DOMEST
SAC
V . S . L . M

Lares equidem Volusianorum nominat sequens Lapis.

HYMNVS . CAESARIS
VOLVSIANVS
HERMAPHILI . HYMNI . LIB . F
DECVRIO . LARVM VOLVSIANORVM
SCANTIAE . PRISCAE . CONIVGI
CARISSIMAE . ET . SIBI

Lares igitur eo magis habuerunt Augusti, non ut privati homines tantum, verum etiam ut Cæsares; videlicet Lares, quasi dicas, Imperatoriæ dignitatis, majestatisque custodes, & vindices. Horum parva Signa aurea, aut argentea in Larario palatii custodiebantur, cui præfuisse Servum quemdam conijcio ex verbis Svetonii, qui *in Domitian.* Cap. 17. enarrata hujusce Imperatoris nece, ita scribit: *Puer qui Curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat* &c. Ædiculam ergo Trajani Laribus, & Geniis, vetustate dilapsam restituerunt Magistri *Ann.* (ab Collegii institutione) 105: GV. enim erroneè pro CV. Aliam ejusdem Imperatoris Laribus ædiculam, pariter a Magistris restitutam, enunciat inscriptio Doniana Cl. 1.

LARIBVS AVGVSTIS
::::TRAIANI . AVG . GERM . COS . II . PERMISSV . TI . ALIENI . SICINI . QV::::::::
:::::::DICVLAM . REGIONIS . VI . VICO . PORTAE . COLLINAE . VETVSTAT:::::::::::
::::::::::::::OLO . SVA . IMPENSA . RESTITVERVNT . MAGISTRI . ANNI:::::::::::::::

C. CASSI INTERAMNANI. Tria ejusdem nominis, scilicet *Interamna*, extant inter Italiæ fines oppida: *Interamna* Nars, ad Narem fluvium, vulgo *Terni*, Cornelii Taciti, uti censent nonnulli, Patria. *Interamna* ad Lirim, Soræ & Arpino finitimum, nunc *Isola*; *Interamna* tandem in Præcutinis Aprutii, ad Vomanum amnem, hodie *Teramo*. At trium horum Oppidorum populos, *Interamnates* constanter appellatos invenio, nunquam *Interamnanos*. C. Cassium (alii Cassitium vocant) *Interamnatem*, non *Interamnanum* nominavit Cicero *pro Milone*. *Legite testimonia testium vestrorum, dixit* C. *Cassius, cognomento Schola*, Interamnis, *familiaris meus*. Hinc Elisius Calentinus *in Ode* apud Angelonium *Ist. di Terni* P. 1. & apud Ferrarium Alexandrinum *Dict. Geograph.*

Trina per campos jacet Interamna
Dividens cives tenui sussurro,
Ut suos tantum sua terra norit
Jure creatos.
Interamnates referant Clientes,
Interamnates legimus Colonos,
Interamnates cupimus puellas
Conscia turba.
Prima, quæ Nari fluvio rigatur,
Alteram juxta Liris intumescit,
Ista Turdinum vidit insolentem
Mœnia propter.
Sic enim saxis legimus vetustis;
Si qua vel chartis aliter legatur,
Rite non scribi poteris putare
Quisquis oberras.

Saxum tamen hoc *vetastum* in quo Cassius *Interamnanus*, non *Interamnis* dicitur, Sapphicus ille Vates profecto non legerat.

PISIBANI. Cum nullibi hoc Pisibani nomen reperiatur, suspicor cognomentum esse populi Interamnatis, quo a reliquis Interamnatibus distingueretur. Sane Plinius non *Pisibani*, sed *Pisinates*, una cum Interamnatibus nominat *lib.* III. Cap. 14.

PRAETORIS. Nempe VRBANI, ex cujus nutu *vicomagistri* (Romæ nunc *Caporioni*) pendebant.

REG. XIIII. *Transtiberina*, in qua vicos XXII. ponit Victor, totidemque Ædiculas, quarum ergo una fuit hæc nostra Laribus

bus Augustis Geniisque Cæsarum, imperante Trajano, restituta.

VICI CENSORI. Nomen ex familia: in Victoris enim Regionum descriptione legitur *Vicus Censori*, uti Vicus *Quadrati*, Vicus *Sergi*, Vicus *Paulli* &c. Si igitur nomen, a Censoria dignitate originem repetisset, non *Censori*, sed *Censorii*, vel *Censoris* legeretur. Vicorum nomina sæpissimè a Familiis sumpta notavi sup. *Num.* 19.

L. ROSCIO AELIANO CoS
TI. CLAVDIO SACERDOTAE) *Sacerdote*. Trajanus regnare cæpit A.C.98., regnavit annos circiter 19. Primum Consulatum gessit A.C.91. cum M. Acilio Glabrione: secundum, A.C.98. cum Imperat. Nerva: tertium, A.C.100. cum M. Cornelio Frontone. Cum igitur in Marmore mentio habeatur Trajani Cos III. *designati*, manifestum est Ædiculam fuisse restauratam A.C.99. Itaque emendari debent Panvinius, Petavius, Almelovenius, ipsique licet diligentissimi R.H. Anglicani Scriptores; quorum primus, Consulatum Anni 99. tradidit Nervæ III. cum Trajano II. Reliqui verò, C.Sosio Senecioni II. & Cornelio Palmæ: Marmor enim illud, laudatis Fastorum collectoribus ignotum, perspicuè nominat L. Roscium Ælianum, & Ti. Claudium Sacerdotem, quibus Consulibus, dedicata est Ædicula, ab enunciatis Magistris IIII. K. Januarias, idest die 29. Decembris.

38.

P . ACILIVS . FELIX
DDDIASVR⁞AE . CVM SVIS

DDDIA. *Dedicavit Deæ Syriæ*. V. pro Y. Ita *Phryges*, & *Phruges*, *Sylla*, & *Sulla*, *Purrhus*, & *Pyrrhus*, *Lacrymæ*, & *Lacrumæ*. &c. apud Manutium in Orthogr. & Antiquarios in notis.

DIA. Philippus a Turre in *Mon. Antiat.* Diæ titulum sive appellationem tribuit Junoni; Bozæus *in Ara Lugdun.* Cybeli. Nos vero, Strabonis, atque Pausaniæ authoritate fulti, dicimus *Diam* vocatam fuisse Heben, quæ veluti juventutis Numen ab antiquis venerabatur. Hic ergo *in Corinth.* Cap. XIII. *In arce*, ait, *cupressetum est in quo Templum extat antiqua religione sacrosanctum. Deam, cui id est dedicatum prisci* Ganymedan, *recentiores* Heben *nominant* (*Ganimeda* enim, uti advertit Casaubonus *in not. ad Strab.* p.166., dicitur a Pausania, quæ a Strabone *Dia* vocatur): verum ipse audiatur Strabo lib.8. *Colitur Philiunte, ac Sicyone templum Diæ; sic enim* Hebem, *seu* Juventutem *nominant*. In nostro tamen Lapide τὸ DIA mendum esse opinor Quadratarii, atque legendum DEAE *Suriæ*, vel *Syriæ*. Hanc, eamdem esse cum Iside, Cybele, Rhea, Magna Dea &c. minimè dubito. Eruditissimum de *Dea Syria* Luciani opusculum neminem latet. In Aræ hujus parte superiori visitur ipsa Dea, capite hoc pacto mitrato



Dextra aviculam tenet, quam Gruterus noctuam credidit; sinistra instrumentum quoddam cochleare hujusmodi



forte sistrum, aut speculum, quod in festis Deæ Syriæ gestabant Ministri, uti colligitur ex Apulejo: pectus omnino nudum; reliquæ corporis partes laciniosa veste opertæ. Ara est quadrata, extabatque olim in hortulo Matthejorum ad Pontem Cestium. Gruterus inscriptionem, ex Smetio, retulit p.87., sed variatis perperam characteribus.

D.M.

39.

D . M . S
M . VETI . DECEMBRIS
FILI PIISSIMI RELIQVIAE ANNO
RVM XVIIII CONSECRATAE PIE
TATI ET GENIO INFERNO AB M. VETIO
TROPHIMO . ET VETIA . LVPVLA
PARENTIBVS

DECEMBRIS. Ex Menſibus modo nomina, modo cognomina ſæpiſſimè occurrunt: ita in vetuſtis Saxis C. *Januarius*, T. *Martius*, I. *Aprilis*, Q. *Junius*, M. *Julius*, P. *Auguſtus*, C. *September*:

RELIQVIAE. *Cineres*, *Oſſa*, paſſim: *Reliquiæ*, rariſſimè. Ita in Saxo quod a me CLEMENS PP. XIV. dono perhumaniter excepit anno 1773. in ſuumque Muſeum tranſtulit

D. M
RELIQVIIS
ANNI PACCI
ARISTAENETI

quo (ſi tamen idem eſt) emendabitur Frabettianus lapis.

RELIQVIIS C· PACCI
ARISTAENETI

Novum mihi quidem illud *Reliquiæ ann.* XVIIII. ſcilicet VIXIT ANN. XVIIII. Nova itidem conſecratio cinerum PIETATI; nam, licet *Miſericordiæ* templum erexiſsent Athenienſes, ac prope Velabrum Romani, pietas tamen, ipſorum Ethnicorum doctrina, apud Deos inferos, nulla. Unde Poeta Inf. C. V.

„ Stavvi Minos, orribilmente, e ringhia
„ Eſamina le colpe nell' entrata
„ Giudica, e manda ſecondo ch'avvinghia
„ Dico che quando l'anima malnata
„ Li vien dinanzi, tutta ſi confeſſa;
„ E quel conoſcitor delle peccata
„ Vede qual luogo d'Inferno è da eſſa:
„ Cingeſi con la coda tante volte
„ Quantunque gradi vuol che giù ſia meſſa

quos verſiculos, ſic eleganter latinos fecit Vincentius Chartarius

Cernere erat retro aſpectu Minoa ſedentem
Horribili rictu latrantem, ac torva tuentem.
Quæſitor ſævus vitaſque, ac crimina diſcit,
Atque alias aliis pœnas decernit, & umbras
Pallentes audit, tentat, ſubigitque fateri,
Quæ quis apud Superos commiſit crimina: quorum
Pro meritis pœnas taxat, numerumque locumque,
Tot caudæ corpus ſpiris immane revincens,
Pœnarum gradibus quot vult torquerier ipſas.

ET GENIO INFERNO. Genio nempe in cujus tutela erat Defunctus: Genios enim, ne mortuos quidem deſerere, conſumatiſque etiam corporibus ſepulcra inhabitare credebant, donec tempus, a Deo præſtitutum, attractam labem abſterſerit, & anima jam perpurgata fuerit; ſed audi Virgil. *Æn.* lib. VI.

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.
Has omnes ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno.

De hac temporaria Ethnicorum animarum purgatione, iterum Virgilius eodem libro

Hic metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Reſpiciunt, clauſæ tenebris, & carcere cæco

Quin

Quin & supremo cùm lumine vita reliquit.
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est:
Multa dici concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni:
Quisque suos patimur manes.

ABM. *Ab M. Vetio.*

40.



P. ALFENO
HIPANO
GENIO . ET
DIS
MANES
THORIA
CEMELLAFECIT



DIS MANES. *Dis Manibus*: sextum enim casum cum nominativo, aut accusativo sociare, ebrio tantum Quadratario concessum.

CEMELLA. *Gemella fecit*. De *Dis Manibus* disertissime scripsit Comes Petrus Ant. BRASCHIUS in *Inscrip. Fam. Cæsen. Cap.* XV.

41. 42. 43.



Aras istas rostratas, in quibus Nautæ sacrificabant, ad veterem Antii Portum repertas docet Rocchus Vulpius. Tres sunt. Muratorius tamen, qui cuncta, pro ut ei ab indili-

 gen-

gentibus Amicis mittebantur, raptim, nimisque pedariè descripsit, duas esse putavit; Neptunique, Ventorumque prorsus distinctas Aras, fidentissimè coniunxit.

ARA NEPTVNI. Neptunum maris dominum fecerunt Gentiles, eumque idcirco, Nautæ potissimum, maritimumque iter suscipientes, tanquam Patronum invocabant. Ritum hunc antiquissimum memorat Jonas Cap. I. 4. 5. 16. *Facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri, & timuerunt Nautæ, & clamaverunt viri ad Deum suum .... & timuerunt viri timore magno Dominum, & immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota*. Eumdem confirmant Lapides

NEPTVNO
SACRVM
:::::::::: ::::::::::::::::
VOTVM . IN . SICVLO . FRETO
SVSCEPT VM . SOLVIT
=
NEPTVNO . ET
DIS AQVATILIB
PRO SALVT . ET
INCOLVMIT SIM
QVART SECVNDIN
et
IN . H . DD
D . NEPTVNO . CON
TVBERNIO . NAVTA
RVM . CORNELIVS
ALIQVANDVS
D . S . D.

De Templo, e cujus parietibus Nautæ vota soluturi, pictas suspendebant tabellas, ita Lucius Maurus vernaculo sermone in Ant. Rom. p.100. *Hebbe Nettuno un Tempio presso al Tevere, ove è ora la Chiesa di S. Biasio, e vi soleano i marinari attaccare le pitture votate ne naufragj loro*. Tabellas istas, collo alligatas circumferre solebant Naufragi, commiserationem, stipemque captandi gratia; hinc Juvenalis *Sat.* 15.

——— mersa rate naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur

Sed & vestimenta quæ, permota tempestate, gestaverant, Neptuno suspendisse indicat his notissimis carminibus Horatius lib. 1.

——— Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo

Neptunum autem numen tutelare Antiatum fuisse, adeoque ab illis peculiari religione cultum asserit Ligorius, ibique Lucum, Templumque Neptuni extitisse opinatur laudatus Vulpius Tom. III. de Antiatibus, & Norbanis p.94. *Templo itaque*, ait, *Neptuni Antiatis lucum adhæsisse crediderim ex crebris oleastris consitum, cujus arboris Neptuno sacræ, passim nunc quoque in loco ubi Templum fuisse conjicimus, solent quamplurima germina pullulare*.

Quæ vero victima huic potenti maris Deo a Nautis, nec non a Naufragis sacrificaretur, incertum est. Taurum nigrum, peculiarem in Neptunaliis victimam immolavisse Gentiles tradit Stuchius. Notandum denique Deum hunc, eo ipso modo, quo in Ara hic effictum videmus, videlicet nudum, rectumque, sinistra elata tridenti inhærentem, delphinem dextera porrigentem effingi in quodam Hadriani numismate, cum epigraphe NEPTVNO . RED . COS . III . S . C. Ita in M. Agrippæ nummo apud Ant. Augustinum *Dial.* v.





ARA





ARA VENTORVM. Ventos tanquam Deos venerabantur Ethnici, potiſſimum Scythæ. Lucianus in *Toxari* ſive *de Amicitia*: *non enim*, inquit, *per Ventum*, *&* *Acinacem quicquam mentiturus ſum apud te Scythicis amicis*. Præ cunctis Æolus, uti ventorum omnium Pater honorabatur, quod ad illud Horatii

Ventorumque regat Pater

notavere Poetæ interpretes. Homerus equidem Odyſſ. X. Æolum, τον ταμίην ἀνέμων, *præfectum ventorum* appellat; ita Virgilius Junonem facit cum Æolo ſic loquentem

Æole, namque tibi, Divum Pater, atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

qui quamquam multi (Gyrald. *Syntag.* v.) tamen præcipui quattuor ſunt, qui a primariis quattuor mundi cardinibus flant, numerari ſolent. *Aquilo* nimirum, qui & *Boreas*, a Septentrione, hunc, Orythiam rapientem, in Cypselli arca exculptum fuiſſe, tradit in *Eliacis* Pauſanias. *Auſter*, ſive *Notus*, a meridie; de quo Ovidius in Deucalionei diluvii deſcriptione.

——————— *madidis Notus evolat alis*,
Terribilem picea tectus caligine vultum
Barba gravis nimbis, *canis fluit unda capillis*
Fronte ſedent nebulæ, *rorant pennæque ſinuſque*
Utque manu latè pendentia nubila preſſit
Fit fragor, *& denſi funduntur ab æthere nimbi*.

Eurus, ab Oriente. Hic niger effingitur ob Ætiopes, per quos tranſit. Leniſſimus denique *Zephirus*, ab Occidente, cui ſertum ex variis floribus additur, utpotè Floræ marito, quod refert Philoſtratus *in Imag.* Ventorum origo, Aſtræo, de Titanibus uno, tribuitur. Is cum Aurora concubuiſſe dicitur, unde nati ſunt Venti, uti ſcribit Heſiodus, quem, ad illud Virgilianum


Tantanè vos generis tenuit fiducia veſtri?

ſecutus eſt Servius. At cum ventorum aliqui maligni ſint, aliqui mites, ideo votivas ſingulis, illis ſcilicet ne nocerent, iſtis ut prodeſſent, aras ponebant tum Nautæ, tum Agricolæ. Nocentes Ventos, nonnullos nominat Seneca *Quæſt. nat.* v. cap. 17. *Atabulumque* Apuliæ infeſtum dicit, *Japigem*, Calabriæ; Athenis, *Scirωn*; Pamphiliæ, *Catægum*; Galliæ Narbonenſi, *Circium*. Hinc templa, hinc ſacrificia, hinc aræ Ventis dicatæ. Uſonem profecto Ventis templum excitaſſe tradit Euſebius *in Præp. Evang.* Æneas apud Virgilium, albam Zephiris felicibus pecudem mactavit. *Auguſtus cum in Gallia moraretur*, inquit Seneca *loc. cit.* *vota Circio fecit*, atque ædem ſacram erexit, ne Galliam infeſtaret. Thurii quoque magno affecti beneficio, ſacra Boreæ fecerunt, quod Dionyſii claſſem, quam in eorum perniciem paraverat, funditus evertiſſet. Scribit tandem Pauſanias, apud Sicyonios, Ventorum aram extitiſſe, in qua quotannis Sacerdos nocte una Ventis ſacri-

crificabat, & ad quattuor ſcrobes alia multa peragere ſolebat arcana myſteria, ad placandam, & mulcendam Ventorum vim, ac feritatem. Vide etiam quod ſcribit *in Corinthiacis* de vento *Affrico*, cui gallus gallinaceus a Trœzeniis immolabatur, ne germinantes vites ſiccitate corrumperet.

Ventos cum alis effinxerunt Antiqui, tumeſcentibus buccis inflatis, atque ſpirantibus, uti in Ara hac noſtra viſitur; ubi Ventus rectum corniculum, inſtar tibiæ geſtat, in quo vehementer flat. Alas autem Ventis attributas propter velocitatem docet D. Hieronymus in Pſal. 103. *Neque illud, quod de Ventis dicitur* Qui ambulat ſuper pennas Ventorum, *vere Ventos juxta fabulas Poetarum, & Pictorum licentiam, pennas habere teſtatur, ſed celerem in cuncta diſcurſum.*

ARA TRANQVILLITATIS. Spes, Clementia, Annona, Pax, Concordia, Salus, Felicitas, Libertas, pro Deabus cultæ ſunt Romæ, quod Scriptorum, Lapidum, atque Numiſmatum authoritate probatur. Ita & *Quies*, nempè *Tranquillitas*, ædem extra portam Collinam, ac, teſte Livio, Fanum habuit, via Labicana. Hinc in averſa Antonini Pii nummorum parte, figura ſtolata temonem tenens, cum epigraphe TRANQVILLITAS AVG. & in Philipporum numiſmate TRANQVILLITAS AVGG. Aram igitur tertiam *Tranquillitati* poſuerunt Nautæ, vel ad proſperum iter, undis nimirum placidis, ventiſque ſecundis faciendum, vel ad patrios Penates remeantes, vel jam in portu, longam, difficilemque poſt navigationem quieſcentes: in portu ſcilicet *Antiati*, uti opinor, ubi, ſicuti diximus præclara hæc monumenta reperta ſunt. *Antii* portum antiquiſſimum luculenter diſerteque deſcripſit in ſuo *Latio prof.* Tom. III. Lib. IV. Cap. IX. doctiſſimus, deque toto Latio benemeritiſſimus Vulpius, qui hoc pacto ejuſdem Portus ruinas delineavit.



44.

BONIFATI
VIVAS . SACER
DVS

EPITYINCHANVS.M.AVRELI.CAES.LIB.ET.A CVBICVLO.FONTIBVS
ET.NYMPHIS.SANCTISSIMIS.IIIVIVM ✠ EX.VOTO.RESTITVIT

Lapis repertus eſt in hortis Matthæis, Raph. Fabretto ſuperſtite . Anaglyphum in eo extat, figuras exhibens Fluvii barbati, Charitum ſe ſe de more ampleɛtentium, Mercurii caduceati, Herculis ſe ſe coronantis, atque arundinem geſtientis. At iſtas, quam mox videbit Lector in egregio (Anaglypha Muſei Capitolini compleɛtenti) volumine, a doɛtiſſimis Viris Romæ edendo.

BONIFATI VIVAS. Omnibus perpenſis, ad ſuſpicandum facile ducor, hæc ad Chriſtianum hominem pertinere, diuque poſt votum ab Epitynchano ſolutum, alicujus Chriſtiani viri opera, exarata. Revera, Bonifatii nomen, inter Ethnicorum nomina, nunquam vidi, neque in amplioribus Gentilium lapidum colleɛtaneis inveni, in Chriſtianis vero inſcriptionibus, frequenter. Porro illud VIVAS, acclamationis formulam, Romanorum propriam fuiſſe non cenſeo: in his ſaltem, quibus a Senatu Imperatores excipiebantur, hæc ſane non reperitur, neque apud Vulcatium Gallicanum, neque apud Lampridium, neque apud Capitolinum, neque demum apud Vopiſcum qui acclamationes pro incolumitate Avidii Caſſii, Maximi, Balbini, Gordiani, Alexandri Severi & Probi prolatas, nimia fortaſſe cura referunt; ſed *Dii te ſervent. Dii te tuentur. Dii te conſervent. Dii te proſperent. Vincas. Valeas. Imperes*: Chriſtianis verò fuiſſe familiarem, nemo eſt qui neſciat. Apud Ficoronium in *Gem. litterat.*

VRSVLÆ
VIV

DEVSD
EDIT
VIVAS
IN DEO

apud Boldettum *in Cœmeter. Chriſtian.*

REGINA VIBAS
IN DOMINO
ZESV

IOVIANE VIBAS IN DEO ET
ROG

✠
IOHANNES
VIVAS IN

OLYMPIODORE VIVAS
IN DEO

AEMILIANE ROMANE VIBATIS
IN DEO

In annulo aureo clariſſimi Buonarotii alterius Bonifatii eſt mentio

BONIFATI
VIVAS

V Tau-

Taurini anno 1772. annulum pariter aureum semuncialem vidi apud urbanissimum Virum Josephum Dominicum PIOSACUM Baldassani Comitem, hujusmodi.




Praeterea quis unquam credat Epytinchanum, formulam poni sepulcralem, in lapide votivo voluisse? *Sepulchralem*, dico, quod nomen vocativè inscriptum videatur, nempe BONIFATI a quo Bonifatium, e vivis ereptum indicari assero, authoritate eruditissimi Philippi Buonarotæ in observationibus *sopra i Vetri antichi* p. 74. His forte de causis Raphael Fabrettus, qui primus, ni fallor, Epitynchani votum una cum Anaglypho retulit in *Inscript.* Cap. VI. & in *Syntagm. de Col. Traj.* cap. VI. ea quæ ad Bonifatium Sacerdotem spectant, penitus omisit, immo ne in Commentariis quidem meminit.

SACERDVS. *Sacerdos*.

A CVBICVLO. *Cubicularius*, sive Præpositus cubiculo, quemadmodum fuit Parthenius ille quem nominat Svetonius in *Domitiano* cap. 17. ubi cujusdam *Saturii*, Cubiculariorum Decurionis meminit. Omnibus nota satis est Columna illa, quæ adhuc in Templo *Aracœlitano* visitur, hoc pacto inscripta

A CVBICVLO AVGVSTORVM

Primi C. *Cæsaris Germanici* F. *Cubicularii* lapidem vidi Interamnæ in Ecclesia S. MARIÆ *Gratiarum*; Narsetem denique, Justiniani Eunuchum fuisse, atque Cubicularium testatur Anastasius in vita Pelagii summi Pontificis: *eodem tempore*, ait, *misit Justinianus Imp. Narsetem Eunuchum, & Cubicularium suum in Italiam*. At Cubicularius, servus erat qui Domini cubiculum observabat, eique ministrabat. Interdum tamen sumitur pro eo, quem Secretarium secretorum vulgo dicimus, vel pro Chartario, uti placuit *Juliani Patritii* interpreti. Fuit & Cubicularia, cujus unicam hactenus, vetustissimamque Inscriptionem, una cum Cinerario CLEMENTI PP. XIV. dono tradidi ann. 1773., servaturque in Museo CLEMENTINO inter vetusta Monumenta, licet mendacissimus homo quidam, quem insana tenet blaterandi cacoethes (ne archetypo quidem inspecto) tanquam recenter effictum parum candide, ne callidè dicam pervulgare studuerit. Ossuarii hujus typum accipe benignè Lector, eoque probè perpenso, de Marmoris nostri ingenuitate Judex esto.



Palmo Romano

FON-

FONTIBVS. Rivos, & Fontes pro Diis habere, iisque litare, frequens erat idololatris. Testimonia scriptorum afferam quos olim, de Fontium divinitate differendi cupidus, adivi. Seneca ep. 4. *Subita, & ex abdito omnis eruptio Aras habet*. Martialis lib. 4.

Ergo sacri Fontes, & littora sacra valete
Nimpharum pariter, Nereidumque domus.

Plinius lib. 31. *Fontes augent numerum Deorum, nominibus variis, urbesque condunt, emicant passim benignè, nec in ulla parte naturæ majora miracula*. Frontinus *de Aquæduct.* Fontium *memoria cum sanctitate adhuc extat, & colitur*. Andreas Baccius de Thermis lib. 6. cap. 28. Omni sua parte nascentes Aquæ aliquam præseferunt Divinitatem. Spondanus denique in Hesiodi *Opera, & dies*, sic scripsit: *Cum in aquæ usu maxima vitæ pars sit collocata, meritò videntur ei honores tributi, ejusdemque meriti ratione ab Hesiodo sanciri, ne quis fluvium, aut Fontem permingat, aut oleto suo conspurcet*. Idemque credidit Fluvios Fontesque Diis sacros, ob illam, ex sua in cursu perennitate, æternitatis imaginem. Quin, & Philostratus *in vita Apollon.* apud Cresollium lib. 11. Mystagogi monere audet, & hortari unumquemque, ἐυχεθας ταῖς πηγαῖς, ut fontes votis, & precationibus dignentur, θεῖας γαρ, quod divini sint. Hinc religiosi cultus causa in ædiculæ atrio appensa phiala seu lucerna, vitreo vasi inclusa: quæ veterrima superstitio Christianos ipsos infecit, damnata a Conciliis (vide Savaronem *in carm.* Sidonii) Toletano, Antissiodorensi, & Nannetensi, in quibus ea superstitione imbuti vocantur *Accensores facularum*, & *excultores Fontium*. Burchardus quoque l. 8. c. 94. interrog. 42. *vel si aliquis vota ad arbores, vel ad Fontes, vel ad lapides faciat, aut ibi Candelam, seu quodlibet munus deferat* &c. Et Carolus M. in Capitularibus lib. 1. cap. 64. *De arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti Luminaria, vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicunque sit, tollatur, & destruatur*. Hanc superstitionem, cultum scilicet Fontium improbant etiam Cicero, & Firmicus. Iste *de err. prof. relig.*: Ægypti *incolæ, aquarum beneficio, aquam colunt, aquis supplicant, aquas, superstitiosa Votorum continuatione, venerantur*. Ille de N.D. lib. 3. *Itaque & Fontis delubra* Papirius *Maso ex Corsica dedicavit, & in Augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum Flaminum nomina videmus*. Hinc Fontinalis Deus cujus meminit Plautus *in Sticho*; & Fontinalis Porta, quæ & Capena, nunc vero D. Sebastiani: hinc Fontinalia, in quibus IV. idus Octobris puteos coronabant, florumque serta in Fontes jaciebant. Horatius Od. lib. 3.

O fons Blandusiæ splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis hædo.

& Tibulli lib. 11. el. 2.

Casta placent superis, pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite Fontis aquam.

adi, si vis Campegium Vitring. *de vet. Synagoga* lib. 1. P. 1. cap. XI., & Ludov. de Deo in not. ad illa Act. XVI. 13. *Die autem Sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse*. De Fontibus, oracula reddentibus, perspicuum habemus Svetonii testimonium in Tiberio cap. 4. ubi ita loquitur. *Tiberius juxta Patavium adiit Gerionis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consulationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret*. Aponi fontem memorat his carminibus Claudianus Idyll. VI.

Fons Antenoreæ, vitam quæ porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquas;
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tua Phœbeus carmine dictet honos,
Et sit nulla manus, cujus non pollice ductæ
Testentur memores prospera vota notæ.

extat & vetus Epigramma ab Heinsio *in not.* ad Claudiani *Idyllia* vulgatum

Exsultent Apono Veneti, Campania Baiis
Græcia Thermopylis; his ego balneolis.

Sortes denique Clitumni fontem indicasse asserit Plinius junior lib. VIII. *Ep.* 8. ad Romanum; quem audire sane non pigebit. *Modicus*, inquit, *collis assurgit, antiqua cupressu ne-*

nemorosus, & opacus: hunc subter Fons exit, & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus, & vitreus, ut numerare jactas stipes, & relucentes calculos possis . . . . Adjacet templum priscum, & religiosum. Stat Clitumnus ipse, amictus, ornatusque prætexta. Præsens numen, atque etiam Fatidicum indicant sortes. Sparsa sunt circa sacella complura, totidemque Dei simulacra, sua cuique veneratio, suum Numen; quibusdam vero etiam Fontes. Nam præter illum quasi parentem cæterorum, sunt minores capite discreti, sed flumini miscentur, quod ponte transmittitur. His, quos laudavimus, de Fontium divinitate Scriptoribus, adde *Keuchenium*, in comment. ad Frontini lib. I. de Aquæduct., *Martinum Lipenium*, in Strenarum hist. cap. II., *Lucam Holstenium*, comment. in picturam, Nymphæum referentem; *Siccamam*, in Fast. Kal. Rom. cap. 16., *Christophorum Arnoldum*, ad diras Valerii Catonis in fluvium Battarum; *Jacobum Sponium*, in Miscell. sect. II. art. 7., *Michaelem Ang. Caussæum*, M.R. sect. I. p. 29. *Justum Fontaninium*, de Horta Etrur. colon., *Thomasinum*, de Donar. cap. 28. Verum non omittenda Lapidum testimonia, quibus prætensa hæc Fontium apud Paganos sanctitas, confirmatur. Interea en alterius Epitynchani, Fontibus devoti, saxum apud Fabrettum Cap. VI.

FONTI
SANCTISSIMO
SACRVM
P . CORNELIVS
SYNETHVS . ET
M . VARIVS
EPYTYNCHANVS

in Hortis Justinianæis legi anno elapso 1774.

VOLTEIA
Q . F
POLLA
FONTI
D . D . LM

Genio fontis SERM saxum dicatum, mox dabimus: hic Brixianum.

FONTIBVS
DIVINIS
SACR
M . ANTONIVS
SP . F . SILPHON
V . S . L . M

apud Laur. Begerum *Spicileg.* p. 79.

FONTI . DIVINO
ARAM
L . POSTVMIVS
SATVLIVS
EX VOTO
D . D . D

ET . NYMPHIS. Nympharum genera, recensent antiqui Scriptores multa: cœlestes, terrestres, locustres, marinæ, fluviales memorantur a Greg. Gyraldo. Hæ in montibus *Oreades* vocantur, *Dryades* in sylvis, in fontibus *Napeæ*, vel *Najades*, in Mari *Nereides*, in Oceano *Oceanitides*, & *Oceaniæ*; item *Lemoniades* in pratis, *Limnades* in stagnis, *Potamides* in fluviis; & quæ cum sylvis nascuntur, *Hamadryades*. De Nympharum numero, ita Virgilius *Georg.* lib. 4. ubi finitum constituit numerum, pro infinito, uti ad hunc locum notavit Servius

Oceanumque Patrem rerum, Nymphasque sorores,
Centum quæ sylvas, centum quæ flumina servant

sed audiendus, Gyraldo interprete, Hesiodus


Hæ Nymphæ Oceanum Tethynque habere parentes
Antiquæ mage: porrò alia est, sed plurima turba;
Sunt ter mille quidem pedibus fuscæ Oceaninæ.

Colles, atque antra inhabitare fontium Nymphas colligitur ex Vatibus, atque ex sequenti Marmore

NYMPHIS
QVAE SVB COLLE SVNT
ARVLAM
MVMIA CANTERIA
NVMINI
ADIVT . DEVOT .
CVM STATVA
ISIS
ET . TABVLATO
DD

X at

at Vatibus, Marmoribusque inscriptis id melius probat subjectum tabulæ votivæ cujusdam *Batiniæ* anaglyphum apud Mazzochium *Epigr. ant. urbis* p. 105.



Quis autem vel leviter Poetarum sacris initiatus, antra Nymphis dedicata dubitet? præsertim qui Porphirii luculentam dissertationem legerit, qua Homericum illud Nympharum antrum, obscuræ, & reconditæ sapientiæ plenum, illustravit. Unde non temere quævis antra colunt Nymphæ, sed (inquit Holstenius) fontium, & aquarum scatebris irrigua; hinc Orphæus: ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι;
Quæ liquidas habitant sub terræ anfractibus ædes
& Virgilius Lybicum illud *scopulis pendentibus antrum*, quod intus aquæ dulces scaturirent, *Nympharum domum* appellat; eam enim ob causam Hydriades, & Ephydriades vocatæ.

Ædiculas vero, & signa Nymphis posita, præter Scriptores, testanrur Saxa; apud Gruterum p. 93.

SEX . POMPEIVS . . . . I . . . . COGNOMINE PANDVS
QVOIVS . ET . HOC . ABAVIS . CONTIGIT . ESSE . SOLVM
ÆDICVLAM . HANC . NYMPHIS . POSVIT . QVIA . SAEPIVS . VSVS *sic*
HOC . SVM . FONTE . SENEX . TAM . BENE . QVAM . IVVENIS

& apud

& apud Thomasinum *de Donar.* cap. XXVIII.

NYMPHIS . SACR
L . TREBONIVS . PATERN
LIB . FORTVNATVS
VOTO . POSVIT
SIGNVM . CVM . BASI . M
ET . AEDEM . F . CVR

denique pro Amicorum, vel Parentum salute invocatas quandoque Nymphas, constat ex sequenti.

NYMPHIS . SALVTIFE
RIS . SACRVM
M . LVCILIVS . LVCILI
ANVS . AVG . COS . PRO
SALVTE . SVA . ET
L . ANTISTI.....
SIMI . AVG . CON
V . S . M

IIIVIVM. *Trivium*, ad indicandum locum, quo Fontibus, & Nymphis Ædicula posuerat Epitynchanus. Triviis autem præerat ipsa Diana; ideo *Trivia* cognominata, a *tribus callibus*, sive *viis*, in quibus honorabatur, cuique fortè obtemperabant Nymphæ, quas *Bivias*, & *Trivias*, & *Quadrivias*, seu *Quadruvias* nominant Marmora. Gruterus p. LXXXIV.

H D
IS DEA
BIVIS . TRIVIS .
QVADRIVIS . AVREL
VICTORINVS
MIL . LEG . XXI . P
IM . COS . GERM
SVPERIORIS
V . S . L . M
IMP . SE . SEVERO . AVG
EX . IT . ET
MARCELLO COS

alia extat in Thes. Muratoriano pag. XCIII., QVADRVVIIS.

45.

GENIO
NVMINIS
FONTIS SERMON
CHRYSEROS
CAESARIS
NOSTRI LIB.
GANGALA

SERMON. Reinesius & Sponius aliam adferunt sic

GENIO
FONTIS
SAR
C . IVLIVS
PROPOSTVS
D. D.

Sed Sponius in Miscellaneis Sect. 2. de Fonte SAR, *qui* (ait) *mihi ignotus*. Reinesius cl.I. 298. hæc. *Ignotus est Fons iste, non minus quam alter Romæ* SERMON, *nec nominatus inter reliquos, a quoquam*. Muratorius qui non semel tantum, sed bis, (quare nescimus) sequentem Figuris ornatam, in primo sui inscriptionum Thesauri volumine vulgavit hujusmodi.

Mura-



Muratorius, inquam, ad hanc vocem hæc habet. *Quid sit in prima linea illud* SERM *divinet qui potest*. Gorius, qui eamdem retulit in Observ. in Aras DD. *in hac inscriptione*, inquit, *unica superest difficultas, quid nempe* SERM *significet*. Thomasinius *de Don.* p. 85., ad hoc SERMON ne verbum quidem: doctissimus Zaccarias *in Inst. lap.* p. 189. tenebras absque ulla hæsitatione depellit; ait enim *sopratutto abbiansi in niun conto i Marmi, dove trovinsi Genii di Marte, o* NVMINIS FONTIS SERMON. Lipsius tandem p. 33. verbum ita dividit SER. MON. licet in Lapide vere SERMON legatur. Me igitur, a quo derivandum hujus Fontis sit etymon ignorare, cum non invenerint laudati eruditissimi viri, fateri non erubescam. An ex Romano aliquo nomine vel cognomine? Nomina profecto gentilitia Diis dare Romani consueverunt; hinc CERES *Orcilliana, Dyania, Cosejana, Agatheina, Argypia, Canachæa*: DIANA *Cantiana, Ræsiana, Maduria, Lycimniana*. VENVS *Gabinia*, IVNO *Rubria*, FORTVNA *Flavia*, PROSERPINA *Phlilisia*, IVPITER *Purpurio*, PLVTO *Nervianus*, SILVANVS *Nævianus*, HERCVLES *Romanillianus*: immo, Fontibus ipsis data familiarum nomina marmora, testantur, in quibus Fontes Scauriani reperiuntur, & Lolliani, & Æginii, & Martiani, & Lysii. Sed ex tot Romanis nominibus, & cognominibus quæ ad nostra usque tempora pervenere, ne unum quidem invenio, quod aliquam præseferat cum SERMON analogiam. An ex aliquo Oppido, aut Agro, aut Amne, aut Monte? SERMIONEM sane Etruriæ Urbem nominat Dempsterus: at tunc in Lapide legeretur SERMION. Si prima immutata litera, vel tertia deleta, legere fas esset, aut TERMON, aut SEMON; tunc Fontem, vel *Sermoni*, aut *Semoniæ* Deæ, cujus meminit, ex Varrone, Augustinus, vel Termino (quem Festus revera *Termon* vocavit) dicatum, sacrumque fuisse censerem. Verum quid prosunt conjecturæ, ubi desunt, probabilia saltem, argumenta? Exemplum igitur laudatorum Virorum sequar, nostrique Fontis nomen declarabit Ædipus.

SOM-

46.

SOMNO ⚲ AETERNALI. .D.M.S.
M.AVR.DIONYSODORVS.FECIT.SIBI.ET.AVREL.
FAVSTINAE CONIVGI SVAE.INCOMPARABILI.
ITEM.ET.FILIABVS.SVABVS.AVR.DIONYSIADI
ET.AVR.FAVSTINAE.ITEM.ET.LIBERTIS.LIBER
TABVSQVE.POSTERISQVE.EORVM.H.M.H.N.S.
HOC AVTEM.MONVMENTVM.SI QVIS.VOLVERIT.TRANSIGERE
SIVE.DONATIONEM.FACERE.INFERET.ARCAE.PONTIF.SS.C.M.N

SOMNO AETERNALI. Hoc eſt *Morti*. Cum rebus omnibus inanimatis, rebuſque abſtractis divinitatem tribuerint Ethnici, Somnum quoque fecere Deum, eumque Deæ Quieti, & Deæ Murciæ ſociarunt, Fratremque Mortis dixerunt Homerus, atque Heſiodus; hinc illud in Cypſelli arca, muliebre Simulacrum (de quo Pauſanias *in Eliac.*) duos dormientes pueros ſuſtinens, alterum candidum, alterum nigrum, ac diſtortos pedes habentem. Aram Somni commemorat iterum Pauſanias *in Corinth.*, ubi narrat a Troezeniis, Muſis ſimul, & Somno ſacra fieri, tamquam maximè inter ſe conſentientibus Numinibus; quod ſæpe experientia confirmat.

Somni æternalis hieroglyphicum, Papaver fecerunt Antiqui, quod idcirco in variis Liceti, Bonarotæ, Borionii, & Gorii gemmis, reliquis Libitinæ ſymbolis ſociatum viſitur. Gemmæ Liceti ectypon hic accipe



Humanam Calvariam tantum vides; nam uti ajebat Apulejus *de Dogm. Plat.* homo *totus in capite, & vultu eſt; cætera omnia membra capiti ancillantur*.

Papilionem, quo anima exprimitur, uti in celebris illius Muſ. Capit. ſarcophagi anaglyphis, humanæ vitæ curſum deſignantibus. v. Pet. Bellorii *Admiranda*.

Rotam, de qua jam olim Anacreon

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα,
Βίοτος τρέχει κυλισθείς,
Ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα
Κόνις ὀστέων λυθέντων.

h. e.

Rota nam velut curulis
Properat volucris ætas:
Tenuis jacebimuſque
Cinis, oſſibus ſolutis.

Papaver denique: florem enim hunc Somni eſſe heroglyphicum conſtat (licet hoc nuſquam affirmaverit Pierius Valerianus) tum ex rei natura, Medicis id aſſerentibus, & Botanicis quos conſules, tum ex Poetis Virgilio, & Ovidio: iſte *Triſt.* lib.v.

Quotve ſoporiferum grana papaver habet

ille Georg. lib.I.

Vrunt lethæo perfuſa papavera ſomno.

& Æn. lib.IV.

Spargens humi mella, ſoporiferumque papaver.

Alas virgamque Somno tribuit Statius, ſequentibus verſibus.

——— *nec totas infundere pennas*
Luminibus compello meis: hoc turba precatur
Lætior, extremo me tange cacumine virgæ.

Hunc, idem Poeta, adoleſcentem facit, vocatque Deorum placidiſſimum; unde Seneca *in Herc. fur.*

Tuque o domitor Somne malorum,
Requies animi pars humana melior vitæ,
Veris miſcens falſa, futuri
Certus, & idem peſſimus author.
Pater o rerum, portus vitæ,
Lucis requies, noctiſque comes,
Qui par Regi, famuloque venis,
Placidus feſſum, leniſque foves.
Pavidum lethi genus humanum
Cogis longam diſcere mortem.

Quidam cenſent ab Epicureis per *Somnum æternalem* innui animæ una cum corpore interitus, Sponianum revera (*Recherches d'Antiq.* p.128.) extat Epitaphium in quo ſic

SOMNO AETERNALI
C . MATRINI . VALEN
TIS . PHILOSOPHI . EPICVR
VIX . ANN . XXXIX
M . VI . D . VII
HOR . VIII
MATRINA . CONIV
GI . INFELICISSIM
IN . FR . P . IN . AGR . P . VIII.

Sed primo, Epicurum, pleroſque Hortorum Gargettiorum cultores, animæ immortalitatem non negaſſe, ſatis alias probavi in opuſculo *Epicuro difeſo*: ſecundò, quis hanc Somni appellationem Epicureis peculiarem dicat, cum eadem in Epitaphiis etiam, nullo modo ad Epicureos ſpectantibus, reperiatur?

SVABVS. Pro *ſuis*; uti in alia, *Amicibus* pro *Amicis*, & apud Mazzochium p.xciv.,

SVBITA . FECIT . SIBI
ET . SVBVS

TRANSIGERE . h. e. Si quis, accepta pecunia, jus Monumenti in exterum trasferre, ſive Monumenti participem facere voluerit, inferet Arcæ Pontificum Seſtertia centum M. N. *millia nummûm*. Hoc, *jus mulctæ dicendæ* vocabatur, ac ſpecialiter permiſſum lege xii. Tab. *Uti quiſq. legaſſit rei ſuæ ita jus eſto*. Pœna hæc teſtamento ſcripta, vel a Domino fundi Religioſi conſtituta, multis Inſcriptionibus explicatur; *quam ærario Populi Rom., Arcæ Pontificum, aut Veſtalium inferri jubent*, inquit Gutherius de I. M. lib.2.

47.

SOMNO AETERNALI
T . AVRELIVS
STEPHANVS . SIBI
VIBVS . FECIT . ET
SECVNDAE . CONIVGI
SVAE . SANCTISSIMAE
ET . FILIS *sic* . SVIS . ET . COGNATIS
BASSAEE *sic* . MANLIAE . SECVNDA
FILIAE . DVLCISSIMAE
V . A . II . M . X . D . VII

SOMNO AETERNALI. Apud Gorium Tom. I. *Somno perpetoali*, & apud Sponium *Quieti æternæ*.

SANCTISSIMAE. h. e. *Honeſtiſſimæ*.

VN-

48.

VNDIS CYANEIS DONVM ET
⁝⁝ CAVLIAE FECIT
CONIVC CIVIBI ANDA SECR
QVAS ARAMVLAS ıBANPAM
PNCONIVRPIPSITQVE FLV
⁝⁝ ENS DEINDECCIDOINSI
PAIMOX VIRIDIS RENOV ⁝⁝
TIBVS INCLYTANIMPHIS
LVMINE FONTI . CENOCRATE
SEX VNDIQVE ESOLVENS
SOSPES CVM COMITESPRAE
SINT RENOVANTE LIQVOR :

VNDIS . Lege cum F. M. Bonada in Carm. ex Lapid. T. I.

Undis Cyaneis donum placabile fecit
Contuccius blandas per aquas Aram venerandam
Hinc oritur, pergitque fluens, deinde occidet in se;
Ripai mox viridis renovantibus inclita Nymphis
Numine fontigero, grates ex undique solvens
Sospes quum comites præstat renovante liquore

CYANEIS. Ideſt *Cæruleis*. Homerus in Odyſſ. v.

ταύρος παμμελάνας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.
Cyaneos crines taurus mactetur habenti.

Undis Cæruleis inquam, ex Fonte cui nomen fecit Sicula quædam Nympha, Cyane nuncupata quæ cum fruſtra Plutonem Proſerpinæ raptorem objurgaſſet, in Fontem evaſit, quod elegantiſſime deſcripſit Ovid. Met. lib. v.

Eſt medium Cyanes, & Piſææ Arethuſæ,
Quod coit anguſtis inclusum cornibus æquor:
Hic fuit, a cujus ſtagnum quoque nomine dictum eſt,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima nymphas:
Gurgite quæ medio ſumma tenus extitit alvo.
Agnovitque Deam; nec longius ibitis, inquit:
Non potes invitæ Cereris gener eſſe; roganda,
Non rapienda fuit; quod ſi componere magnis
Parva mihi fas eſt, & me dilexit Anapus,
Exorata tamen, nec, ut hæc, exterrita, nupſi;
Dixit, & in partes diverſus brachia tendens
Obſtitit. Haud ultra tenuit Saturnius iram,
Terribileſque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido ſceptrum regale lacerto
Condidit: icta viam tellus in Tartara fecit,
Et pronos currus medio cratere recepit.
At Cyane, raptamque Deam, contemptaque Fontis
Jura ſui, mærens, inconſolabile vulnus
Mente gerit tacita, lacrymiſque abſumitur omnis;
Et quarum fuerat magnum modo Numen, in illas
Extenuatur aquas: molliri membra videres
Oſſa pati flexus, ungues poſuiſſe rigorem
Primaque de tota tenuiſſima quæque liqueſcunt
Cærulei crines, digitique, & crura, pedeſque;
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Tranſitus eſt: poſt hæc humeri, tergumque latuſque,
Pectoraque, in tenues abeunt evanida rivos.
Denique pro vivo, vitiatas, ſanguine, venas
Lympha ſubit; reſtatque nihil, quod prendere poſſis.

Eadem narrat Claudianus *de Rapt. Proſerp.* lib. III. v. 245. Undis igitur Cæruleis dicatur Ara in noſtro Lapide; hoc eſt *Aquæ Ceruleæ*, uni-

uni ex fontibus Aquæ Claudiæ, qui *Cæruleus* vocabatur, cujusque figuram ex vetusto marmore vulgavit Raph. Fabrettus in Diss. 1I. *de Aquis, & Aquæduct.*



Neque verò novum Fontes, & Fluvios ab antiquis sub humana specie fuisse cultos. Cyanam signanter ut fœminam honorasse Syracusios, auctor est Ælianus *Var. Hist.* lib. 1I. Nummum in quo fortè Cyane repræsentatur, adfert Pignorius *in Symb. Epistol.*





Cyanei tandem, sive *Cærulei* fontis quem sua impensa Ti. Claudius Cæsar in urbem duxit, meminit Marmor apud Panvinium in *Fastorum Comm.* lib. 2.

TI . CLAVDIVS . DRVSI . F . CAESAR . AVGVSTVS
GERMANICVS . PONT . MAXIM
TRIBVNICIA . POTESTATE . XII . COS . V̅
IMPERATOR . XXVII . PATER . PATRIAE
AQVAS . CLAVDIAM . EX . FONTIBVS . QVI . VOCABANTVR
CAERVLEVS . ET . CVRTIVS . A . MILLIARIO . XXXXV
ITEM . ANIENEM . NOVAM . A . MILLIARIO . LXII
SVA . IMPENSA . IN . VRBEM . REDVCENDAM . CVRAVIT

IMPE-

49.

IMPERII ROMANI PROVINCIA

VNGARIA

VNGARIA. In basi, muliebre signum ineleganter sculptum, sustinente. Nomen tantum Provinciæ, recenter inscriptum opinantur nonnulli, sed immerito. Quis enim Statuam (symbolicis Provinciæ signis omnino carentem) innominatam erexisset, cum tot essent Romani Imperii Provinciæ? itaque in eorum libentius sum sententia, qui vetustatem, & titulo abnuunt, & nomini. Signum autem repertum fuisse ubi nunc Area, quam vocant *Piazza di Pietra*, testatur Cl. Rodulphinus Venutus. Cæterum Provinciæ in Deam sublimatæ, & decoratæ sacellis signisque, unicum non esse exemplum illud Histriæ fanum, quod memorat inscriptio Musei Veronensis, diserte adversus Cl. Maffejum demonstravit Joannes Dominicus Polcastrus, doctissimi Sertorii Ursati, eruditissimus vindex. Ursati igitur sententiam sequor; scilicet non tantum Diis Deabusque suis priscos Fana erexisse, Sacerdotesque decrevisse, verum etiam Civitatibus, Coloniis, Municipiis, atque Provinciis ipsis templa dedicasse.

50.

DIS . MANIBVS .
AVG . LIB . BATHYLIVS . AEDITVS . TEMPLI . DIVI . AVG.
DIVAE . AVGVSTAE . QVOD . EST . IN . PALATIVM.
INMVNIS . ET . HONORATVS

Marmor istud cui in Museo Capitolino imposita visitur Bathylii, sive Bathylli, in toro jacentis Statua, inventum est Via Appia in vulgatissimo Libertorum Servorumque Liviæ Augustæ columbario, illudque luculentissime, summaque eruditione illustravere egregii Viri Franc. Blanchinius, Antonius F. Gorius, & Joannes Bottarius in Vol. III. Mus. Capitol. Itaque, ne quis putet me [in re Antiquaria gregarium] tantis velle Ducibus comparari, paucis me verbis expediam.

BATHYLLVS. Qui C. *Julius* vocabatur, ut ex sequenti Juliæ Sedatæ ejusdem Bathylli uxoris lapide conijcitur, de quo vide inferius in Liviani columbarii inscriptionibus

DIS . MANIBVS
IVLIAE . SEDATAE
DEC .
CONTVBERN
C . IVLI . BATHYLLI
IMMVNIS

ADITVS. *Æditus*. Ita in alia apud Manutium

SECVNDA LIVILLAES MEDICV	T . CLAVDIVS CAESARIS . L CELER . AEDITVS A VESTA

quod, *fabrile mendum*, *vel servile soloecon* a Raph. Fabretto diceretur. Æditui sane erant

 ii,

ii, qui ſacras Ædes cuſtodiebant; hi apud Græcos *Neocori* appellabantur; qui ſcilicet Templa ornabant, & diſponebant, *non verò*, inquit Suidas, *qui ea verrebant, aut purgabant*. *Ædituus*, an *Æditumus* ſcribendum ſit, adhuc ſub judice: utroque enim vocabulo uſos eſſe Antiquos conſtat ex pluribus, cultioris etiam ſeculi, libris, atque Lapidibus. Fultus tamen Varronis authoritate, cœteris ſane anteponenda, *Æditimum* dici oportere, ſive *Æditumum* magis quam *Ædituum* opinor. *Sementinis feriis*, ait de R. R. lib. I., *in ædem Telluris veneram rogatus ab Æditumo, ut dicere didicimus a Patribus noſtris* &c. Hinc *æditimor* in Pomponii Atellana a Gellio N. A. lib. XII. laudata,

> *Qui poſtquam tibi appareo, atque æditimor in templo tuo*

& *Æditüentes* pro *Æditui* in Lucretii carminibus apud eumdem

> ——— *onerataque paſſim*
> *Cuncta Cadaveribus cœleſtum templa manebant*
> *Hoſpitibus loca, quæ complerant æditüentes*,

Ædituare denique, pro *Æditui officium exercere*, habemus in ſaxo Manutiano *in Orthogr*, pag. 7.

DIIS . MANIBVS . SACRVM
SER . SVLPICIO . AVG . L
ALCIMO . AEDITVO
AB . ISEM . PELAGIAM
VIX . AN . XXXVII . AEDITV
AVIT . AN . X . FECIT . VXOR
VENTRIA . APRODISIA
VIR . BENE . MERENT . MVL
INFELICISSVMA . ET . SIBI . ET . SVIS
L . L . P . EORVM

TEMPLI . DIVI . AVG. Servius ad illa, quibus fœdiſſime Virgilius aſſentabatur Auguſto, nempe

> ——— *Deus nobis hæc otia fecit*
> *Namque erit ille mihi ſemper Deus*

Semper, inquit, *ideſt poſt mortem, & dum vivit: alii Imperatores poſt mortem in numerum referuntur Deorum; Auguſtus templa vivus emeruit*; æquius ſcripſiſſet, *inſana ambitione uſurpavit*, Calliſthenis ſententiam contemnens, qui apud Curtium dixit, *mortalitatem interdum ſequitur Divinitas; numquam comitatur*. Augnſti templum in Palatino, cujus Cuſtos Bathyllus, erexerunt Livia, atque Tiberius, abſolvit dedicavitque Caligula, conſumpſit incendium: in illo Cinnamomi radicem magni ponderis poſuiſſe Liviam, ac ſe vidiſſe Plinius aſſerit lib. XII. cap. 12.

IMMVNIS. *Immunis* Immunitas eſt exemptio, & vacatio munerum, & onerum publicorum; ita apud Hebræos olim cum quis duxiſſet uxorem, donabatur ei Immunitas unius anni ab omnibus muneribus. *Cum acceperit homo* (Deut cap. XXIV. 4.) *nuper uxorem, non procedet homo ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis injungetur publicæ, ſed vacabit abſque culpa domi ſuæ, ut uno anno lætetur cum uxore ſua*. Immunis vero apud Romanos fuit qui libertatem ſine oneribus a Patrono accipiebat; qua accepta, nullo deinceps fungebatur officio, præſtareque munia non tenebatur.

HONORATVS. Idem ac *Honorarius* juxta Kalvinum *in Lex. Jurid.* ubi Valentiniani novellam, *de Honoratis* inſcriptam, commemorat: *qui ſcilicet ſine adminiſtratione honorariis decorabantur codicillis*. Verum, cum de hujus tituli ſignificatione egregiè de more diſſeruerit Cl. Gorius, hunc adi in Inſcript. Liviani Columb. ap. Polen. T. IV.

Cum Bathylli monumenrum ad Liviæ Auguſtæ columbarium pertineat, inferius fortè, cum ſociis referre debueram; at, quæ in eo Divi Auguſti, ejuſque Templi ſit mentio, mihi in Deorum potius claſſe eſſe collocandum perſuaſit.

....MC

51.

. . . . M C . . . A . . . . . .
CAΠAPIΔIKAITOICCYNNAO
O . . . .
APY . . . . . . , . . .
ΘYMIATHPION . ЄNYPON
BAΘPA . ΔYO
A . KACCIOC
ЄYTYXHC
NHѠKOPOC ToYMЄTAΛOY
CAPAΠIΔOC
YΠCPЄYXAPICTIAC
ANЄΘH:::::N ЄΠAΓAΘѠ
PERMISSV
C. NASENNI
MARCELLI
PONTIFICIS . VOLCAN
AEDIVM . SACRARVM .
Q. LOLLI . RVFI . CHRYSIDIAN
ET . M . AEMILI . VITALIS
CREPEREIANI . II . VIR

Binæ iſtæ Inſcriptiones una tantum Tabula ſculptæ leguntur, inſcitè ab aliquo Marmorario connexæ; eas itaque conjunctas edidi, ſed hic Latinam illuſtrabimus; Græcam, in Græcarum claſſe. Mazzocchius revera, atque Gruterus Latinam tantum retulere, fortè quod eorum ætate nondum ſociatæ viſerentur.

C . NASENNI MARCELLI. Eumdem fortaſſe quem hic Volcani Pontificem enunciat Marmor, apud Muratorium p. 1053. Pontificem Laurentum Lavinatium legimus

C . NASENNIO C F MARCELLO SENIORI
&c.
PONTIFICI LAVRENTVM LAVINATIVM

At *cui*, quibuſve, ac *quid* permiſerint Naſennius iſte ædium Volcani curator, & Q. Lollius, & M. Æmilius duumviri, Saxum non indicat: forte aram extruere, aut Statuam ponere votivam Volcano

CREPEREIANI. Crepereiæ genti addictum fuiſſe hunc M. Æmilium Vitalem ex ipſo cognomine conijcimus. Creperejorum meminit Cicero *in Verr.* I. ex quibus ortum duxiſſe aſſerit M. Creperejum, qui *Creperius* nominatur in quodam Lapide Patavino. Carolus Patinus denarium Q. Creperei Roci vulgavit in Op. *de Fam. Rom.* Juvenalis vero Creperejum Pollionem mordet Sat. IX.

Non erat hac facie miſerabilior Creperejus Pollio

Nomen a *Crepera* deſumptum videtur, quod Sabino vocabulo *dubium* ſignificat. Hinc Oracula *crepera*, ſive *ancipitia* apud Beroaldum in *Comm. ad Apul.* & apud Lucretium

——— *creperi certamina belli.*

DI-

52.

DIVA PRECOR TELLVS ALVO
COMPLECTERE SANCTA . OSSVA
QVORVM IN HOC . NOMINA .
SVNT . LAPIDE . FL . OPHELIONIS
FL . BEBRYCIS

Legas poetice

DIVA PRECOR TELLVS ALVO COMPLECTERE SANCTA
OSSVA , QVORVM IN HOC NOMINA SVNT LAPIDE

Tellurem, Deam notavimus *num.*2. A defunctis, aut potius a Parentibus, & Amicis, pro defunctis invocatam videbimus alibi. Hic exempla tantum Lapidis sententiæ convenientia. Martialis in epitaphio Pantagathi

Sis licet ut debes Tellus placata levisque

& in epitaphio Eutychi

Sit precor & Tellus mitis, & unda tibi.

Vetus epigramma

TE TELLVS SANCTOSQVE PRECOR PRO CONIVGE MANES :
VOS ITE PLACIDI : TV LEVIS OSSA TEGAS ,

SANCTA OSSVA. *Sancta*, nimirum *inviolata*: ita *Sancta loca* dicuntur quæ adversus injuriam, & vim religione quadam muniuntur, & ut inquit Donatus, quæ omnis observatione inviolata sunt. Martianus de Rer. divisione, *Sanctum*, ait, proprie dicitur quod ab injuria hominum defensum atque munitum est, uti cadavera, sive defunctorum cineres, & ossa; in quorum Violatores diras Ethnici imprecabantur. Mortuos enim [sive Manium, sive alio quovis nomine uterentur Ethnici] Diis adscribebant, quod Clemens Alexandrinus *in Strom.* variis comprobavit exemplis. Tertullianus hanc Ethnicorum persequens dementiam: *Quid*, ait, *omnino facitis ad honorandos Deos, quod non etiam vestris mortuis conferatis?* Tullius ipse: *nec vero*, inquit, *tam denicales, quæ a nece appellatæ sunt, quia neci dentur mortui, quam Cœlestium quieti dies, feriæ nominarentur, nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent in Deorum numero esse voluissent.* Hinc temeraria illa ad Avunculi solamen verba M.Luccei Nepotis apud Fabrettum p.233.

ADFINIS MEMORANDE QVID O ME AD SIDERA CAELI
ABLATVM QVERERIS DESINE FLERE DEVM

Quapropter in cinerum ossuumque collectione Parentes a filiis, & filii a Parentibus Dii pronunciabantur, ut innuit Virgilius lib.v.

Ex quo relliquias divinique ossa Parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.

idcirco Christianorum cadaveribus, terram, pro ut poterant negabant Gentiles, teste Eusebio *in præpar. Evang.* lib. 11., *ne* scilicet, *ut eorum ferebat opinio, Deos esse reputantes, divina veneratione prosequerentur.*

QVORVM. h. e. ossa *Flavii Ophelionis*, & *Flavii Bebrycis*. Creber autem lambdacismus modo indicans A, modo M, mire Lapidis profitetur vetustatem.

53.



FRVCTIFERAE. Cognomina ex peculiaribus, quibus Numina mortales afficiunt beneficiis, plura reperiuntur in Saxis: ita Juno *opifera*, Diana *lucifera*, Minerva *pacifera*, Isis *frugifera*, Ceres *ariſtigera*, Volcanus *mulciber*, Silvanus *ſalutifer*, & in illa non ante edita inſcriptione Ticinenſi, quam miſit eruditiſſimus Severinus Capſonius Ord. Præd., IVPITER AGGANAICVS; h. e. quaſi *Lætifer*, ignotum huc uſque Jovis cognomentum

I . O . M
AGGANAICO
M . NONIV
S VERVS
CVM SVIS
V . S . LM

Cum primo ſequentem apud Thomaſinum lapidem vidiſsem

ISIDI
FRVCTIFERAE



POSVIT

eumdem eſſe cenſui, cum Lapide hoc noſtro qui in Muſei Capitolini miſcellanearum Cubiculo adſervatur. Aſt in noſtro, Plantæ cum digitis cernuntur, Deæque nomen nec non formula *Poſüit* omnino deſiderantur, nec in eo veſtigia remanent ex quibus conjici poſſit aliud extitiſſe, præter attributum *Fructiferæ*: analogia tamen noſtri cum Thomaſiniano ſatis probat hunc quoque Iſidi eſſe referendum. Quare autem Iſidi pedes, ſeu plantæ in votum ponerentur, audiatur laudatus *de Donariis* diſertiſſimus Scriptor *Cap.* VII. *Numquid aliquis longa peregrinatione peracta, ad patrios Lares reverſus, Deæ peregrinationis præſidi, ob vitæ incolumitatem eas appendit? aut potius poſt multos viarum labores parato ſibi prædio vitæ reliquum, longe forſitan ab Urbe, huic Deæ, ut Diodoro placet, tamquam tritici, & hordei Inventrici ſub* Fructiferæ *titulo deſideratæ quietis monumentum fixit?* Hanc Thomaſini opinionem ſequens confirmat lapis Iſidi Frugiferæ dicatus. Hunc exhibeo; ſed notandum Sculptorem meum lignarium perperam ſcripſiſſe

VASAEI

pro VASABI

Lapis extat apud Gudium p. 22.



Verumtamen cum Hygiæ quoque, nempe *Saluti* plantæ oblatæ videantur in ſequenti apud eumdem

QVIE IANAE



ubi has ſiglas H D nonnulli interpretantur *Hygiæ donum*; & apud Gorium T.III.

SALUS

liquet eas Hygiæ dicatas aliquando ab iis, qui aut pedibus laborarent, aut plantarum ſanitatem recepiſſent. Uraniæ itidem oblatos pedes exhibet Muſei Kircheriani marmor hujuſmodi

IN . VI . CTAE . CAE . LE
STI . V . RA . NI . AE . DONA . PO



G . GI . FI . V . VL . FI
LE . O . NAS

His tamen, quamvis probabilibus, haud cohærent neque Stucchii ſententia, qui plantas Thetidi ſacras docet, neque Horapollinis aſſertio, qui geminos pedes ſimul junctos, Solis curſum cum in ſolſtitio eſt hyberno ſignificare tradit *in Hierogliph.* lib. II. Δύο πόδες συνηγμένοι ϗ βεβηκότες, δρόμον ἡλίου τὸν ἐν ταῖς χειμερίαις τροπαῖς σημαίνουσι. Verum de hac varia Pedum conjunctorum ſignificatione, confer Pierium Valerianum, *Hieroglyph.* lib. 35. ubi *Pedes abſoluti operis indicium* dixit; quam profecto explicationem, Tabulæ iſtæ votivæ admodum cenſentaneam reor. At nihil obſtat quin noſtrum hoc Saxum Cereri (quam tamen eamdem eſſe cum Iſide docent Mytologi) conſecratum fuiſſe opinemur. Ceres ſane *Frugifera*, atque *Ariſtigera* appellatur in ſequenti Juſtinianæo lapide.

D . CERERI BELSIANAE
ALMAE FVCTIFERE *sic*
ARISTIGERE THESMO
PHORAE
CHILANDER BELSIANVS
: : : : : : : : : : : :
D D

Adeundus tandem eſt eruditiſſimus Lupus, qui in Epithaph. S. Severæ §.x. ſcribit. *Hinc Iſidi, & Serapidi aliiſque Diis in civitatem Romanam non adſcriptis, ſacras (ut plurimum) videmus hujuſmodi Tabulas: utpote quas ſcilicet vel Viatores ipſi peregre in Ægyptum vel Carthaginem ituri, voverant Diis earum Regionum; vel ſaltem eorum conſanguinei in urbe remanentes.* Additur, & præcipuus quidam pro Iſide titulus cur eam peregrini invocarent, ſperarentque propitiam. Experimento namque ſuo didicerat Dea illa quam difficile eſſet procul a patria peregre diverſari, quemadmodum Propertius *lib.* II. *el.* 24. eam alloquens canit

Tu certe Jovis occultis in amoribus Io
Senſiſti, multas quid ſit inire vias.

DMS

54.

D M S

CALLISTO FILIO

PARENTES

55.



QVISQVIS EI . LAESIT
AVT NOCVIT SEVERAE
INMERENTI DOMINE
SOL TIBI COMMENDO
TV INDICES EIVS MORTEM

56.

D M
TIMOTHEAE
M . VLPIVS
NICANOR
VERNAE
SVAE . F
SOL TIBI COMMENDO
QVI MANVS INTVLIT EI

Muratorius cl.I. p.26. ad iſtos lapides : *ſuperſtat*, inquit, *pictura referens ſolem radiatum in curru* : falſe ; pictura uti narrat Ficoronius (qui primus hos titulos edidit una cum picturis in Miſcell. P.2. p.38.) extabat utique in Columbario Aricino, verum a ſepulchris, ſive urnis diſtincta : quis revera urnas, ſive ſepulchra depicta unquam vidit ? Incertum immo eſt an Marmor pingere ſciverint Antiqui : nam illud Plinii *lib.35. cap.1. cœpimus lapidem pingere*, non de lapide coloribus depicto eſt intelligendum, ſed de marmoribus, quorum varii coloris venas ad figuras repræſentandas producebant, uti Vol.1. *tab.1.* docent in notis eruditiſſimi Accademici Herculanenſes. Bonada tom.2. Diſſ.6. *Ubi* (ait) *hæc pictura*, *erant ſepulchra duo* : rectè ; at Inſcriptiones tres, quæ nunc Muſei Capitolini parietibus, ſeorſum affixæ viſuntur. Prima ad *Calliſtum* : Secunda ad *Severam* : Tertia ad *Timotheam* ſpectat. Secundæ enim ſententiam, nil commune cum prima habere, ego quidem cenſeo, licet in eodem Marmore ſculptam, quam ſic lego : *Sol tibi commendo* VT *indices* (fortaſſe rectius *vindices*) mortem *Severæ Dominæ meæ immerenti*, adverſus eum, *qui ei læſit*, *aut nocuit*, hoc eſt *qui eam interemit*. Nec obſtat, quod talia precantis nomen in lapide deſideretur, nam *Dominæ* titulus, quo honoratur defuncta perſpicue enunciat Solis invocationem alicui Libertæ, aut Ancillæ eſſe referendam. Quis fortaſſis leget *Domine Sol*; nec perperam; nam licet Domini titulus Diis communiter ab Ethnicis non tribuatur, ſcio *Dominum* Æſculapium, *Dominum* Silvanum, *Domnam* Bonam, *Domnum* Belenum, in Iſcriptionum antiquarum ſylloge reperiri. At quoquomodo legatur, *Dominæ* ſcilicet, aut *Domine*, ſenſus tamen adeo abundat ambagibus, ut quamvis multum Quadratarii inſcitiæ indulgeatur, vix enucleari poſſit. Quid enim ſibi vult illud TV INDICES MORTEM ? Non ne INDICA MORTIS, ſeu *necis* AVTHOREM ? Quo pacto SOL INDICES, conciliabitur τὸ Quiſquis ? Ita in tertio Lapide SOL TIBI COMMENDO QVI *manus intulit ei* ? Quis barbariſmus ? quid obſcurius ? Laudati Scriptores, ex duobus titulis, unum faciunt, atque ſecundum primo aſſignant ; at qua ratione ? quia manus expanſas in primo inſpici ſomniarunt; ſomniarunt equidem, nam in Calliſti oſſuario, quod incorruptum in M. C. ſervatur (idem dicas de tertio ad Timotheam ſpectanti, in quo Muratorius eaſdem manus, ſimiliter, more precantium elatas reiteravit) ne veſtigia quidem manuum viſuntur. Cæterum neminem profecto latet, Solem (quod arcanum Martis cum Venere adulterium palam Cœlicolis feciſſet) ab Antiquis invocari ſolitum ut non ignotos tantum homicidas, verum ex omni genere delictorum puniendos proderet Auctores. Itaque Soli grates atque munera, Piſoniana detecta conjuratione, Neronem ipſum, licet Religionis irriſorem decreviſſe tradit Tacitus *Ann. lib.*xv. his verbis. *Tum decreta dona*, *& grates Deis*, *propriuſque honos Soli*, *cui eſt vetus Ædes apud Circum*, *in quo facinus parabatur*, *qui occulta conjurationis*, *Numine retexiſſet*. Soli etenim omnia comperta ſunt ; quapropter modo *Multioculus*, ab Ægyptiis eſt dictus, modo *oculus Jovis*; proinde pictus, ſceptrum geſtans, in quo oculi effigies. Perlege Macrobii *Saturnal. lib.1. cap.21.* At quod

quod ad manus in lapide effictas attinet, certum est Gentiles extensis sublatisque in cœlum manibus Deos precari solitos. Sic Livius lib. 10. cap. 36. *Inter hæc Consul, manus ad Cœlum attollens, voce clara ita, ut exaudiretur templum Jovi Statori vovit;* Ovid. etiam *Met.* lib. XI.

> ———— *Hic votis Numen adorat*
> *Bracchiaque ad cœlum quod non videt irrita tollens,*
> *Poscit opem.*

Sic apud Virgilium, eumdemque Sulmonensem, Cloanthus *palmas utrasque tendit*; Ascanius, *diversa bracchia ducit*; Augustus *manus tendit*. Sic itidem apud Plutarcum in Mario πρὸς τὸν ὀρανὸν ἀναχεῖν τὰς χεῖρας dicuntur Marius, & Catulus dum vovent; nempe: *lautas manus Marius ad cœlum tollens Diis vovit immolaturum se centum Boves: vovit & Catulus tensis item manibus Fortunæ ejus diei ædem*. Seneca demum *de Benef.* lib. 4. *Hoc dicit qui non exaudit precantium voces, & undique sublatis in cœlum manibus vota facientium privata, ac publica*: inde est quod ait Paterculus lib. II. cap. 103. *Lætitiam illius diei, concursumque Civitatis, & vota pæne inserentium cœlo manus*. Elatis pariter manibus Deum a Moyse invocatum tradit Scriptura sacra Exod. XVII. ubi: *Cumque levaret Moyses manus vincebat Israel; sin autem paulatum remisisset, superabat Amalec.* De precandi apud Ethnicos ritu Dissertationem edidit doctissimus Paciaudus Taurinensis Cler. Theatin. Reg.

Quæ *decies placuit, decies repetita placebit*.

Marmor hoc nostrum, in quo manus, ad hunc finem expressæ conspiciuntur, licet rarissimum, non tamen est unicum. Alterum extabat quondam in ædibus Julii Porcarii, quod referunt Mazzocchius in *Regionis Pineæ* epigramm., & ex Smetio Gruterus p. 820.

PRO COPE MA NVS
LEBO CON TRA
DEVM QVI ME
INNO CEN TEM
SVSTVLIT *sic* QVAE VIXIT
ANN. XX. POS. PROCVLVS

Precatio vero, seu potius imprecatio. nulla tamen efficta manuum figura, habetur in cujusdam Infantis epithaphio apud Castalionem in *Opusc. de ant. Puerorum prænom.*, hujusmodi

DIS . MANIBVS
SACRVM
L . VAIERIO . INFANTI
RAPTVS . QVI . EST . SVBITO
QVO . FATO . NON . SCITVR
NATVS . NOCTIS . H . VI
VIXIT . DIEBVS . LXXI
ABIT . NOCTIS . AB . H . VI
QVISQVIS . EVM . LAESIT
SIC . CVM . SVIS . VALEAT
IN . FRONTES *sic* DVO . P . TER
ET . IN . LATERA . DVO . P . TER

Manus denique, non ad vindictam elatas, sed potius ad Manium pietatem implorandam, vide inter Inscriptiones, quæ extant in Biblioth. D. Gregorii

D M
LYCAE . CON
IVGI DVI
CISSIMAE B M
ATHENAEVS
CONIVX . FEC

INMERENTI. Sic Virgilius lib. III.

> *Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem*
> *Immeritam visum Superis.*

nempè *innocentem*, ut in sup. cit. *Procopii* lapide. Denique in IMMERENTI Muratoriano deleatur prima M. restituatur N. In verbo COMMENDO, tertio loco, scribe ND; voces TV INDICES, jungantur sic TVINDICES, manusque expansæ a primo, atque a tertio Cinerario auferantur; tunc exactam, pro ut in archetypo, Lapidum istorum lectionem habebis.

SAL-

57.	58.	59.
Latus dextrum intuentibus.	*Ara.*	*Latus sinistrum.*
SALVOS IRE	IN . HDD T . ALBANIVS PRINCIPIA NVS EVOK AVG . N	SALVOS VENIRE

Nulla extat Inscriptio, hac frequentius repetita in marmorum Collectaneis. Sed ut qui supervacaneum, Capitolinos Lapides in unum corpus redigere ineptissime rebantur, videant qua negligentia, eæ quæ sparsim in Collectionibus reperiuntur, transcriptæ fuerint; Variantes hic tamquam reliquatum specimen dabo. *Mazzocchius.* IN.H.D.D: *Manutius* IN.H.D.D, & lineola supra N̄. *Grævius* primam omittit lineam,& in voce EVOK habet X pro K *Gruterus*, uti Manutius, sed N. absque lineola: Aliqui, cum eodem Grutero votiva verba SALVOS IRE. SALVOS VENIRE, inferius exscribunt; alii, cum Manutio, omnino supprimunt. Vera lectio hæc est. IN.H.D.D nimirum *In honorem Deorum*, seu potius *In honorem domus divinæ*, domus scilicet Augustæ: hanc enim interpretationem me illi anteponere, sequens, nostro ferme consimilis Lapis, Fabrettianus ni fallor, admonet.

SALVOS . REDIRE	IN . H.D.D AVGG LVETTIVS SEMPRONIANVS AVG . L	SALVOS . IRE

Vota pro felici itu, & reditu, ab iis qui peregrè proficiscebantur suscipere, antiquissimum est uti liquet ex *Gen.* cap.xxviii. ubi de Jacobo in Mesopotamiam transeunte hæc habentur. VOVIT *etiam* VOTVM *dicens*: *Si fuerit Deus mecum*, *&* *custodierit me in* VIA, *per quam ego ambulo*..... REVERSVSQVE *fuero* PROSPERE *ad domum Patris mei*, *erit mihi Dominus in Deum*, *&* LAPIS *iste quem erexi in* TITVLVM, *vocabitur Domus Dei*. De Græcis ad illudendum Trojanis, hæc Ænæas ap. Virg. lib.2.

Votum pro reditu simulant.

Et personatus Jupiter apud Plautum Act.iiI.

Jube vero vasa pura adornari mihi
Ut quæ apud Legionem vota vovi, si domum
Redissem salvus, ea ego exolvam omnia

Berenicem, pro reditu viri sui Ptolemæi Evergetis, comam Veneri consecravisse, latinis Catulli carminibus, Callimachus cecinit. Pro Imperatorum, itu, & reditu, vota a Senatu decreta tradunt Svetonius, & Tacitus. Hic *Ann.* lib.iiI. *Decrevere Patres vota pro reditu ejus* (Tiberii) *supplicationesque*, *&* *alia decora*. Ille *in Calig.* cap.4. *cum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas trajecisset*, *vota pro reditu suscepta sunt*. Vota pariter pro felici Antonini Pii itu, & reditu a Batavis suscepta Gruteriana testatur inscriptio elegantissima.

FORTVNAE . AVG . SAC
PRO . SALVTE . ITV . ET
REDITV . D̄D̄. N̄N̄
M . AVREL . ANTONIN . PII
AVG . ET . P . SEPTIMII
GETAE . NOBILISS . CAES
CIV . BATAVI
FRATRES . ET . AMICI . P . R
V . S . L . M

Dii viantium tutelares fuere, *Hercules* apud Lipsium

HERCVLI . DEFENSORI
PRO . REDITV . ET . ITV
D. CLODI . SEPTIMI
ALBINI . CAESARIS
D . CLODIVS . D . L
FELIX
ACTOR . CAES . N. D. D.

Phœbus; hinc Virgilius *Æn.*VI. de Dædalo Minoia regna fugiente

Dædalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo
Insuetum per iter gelidas enavit ad arctos;
Chalcidicaque levis tandem superastitit arce.
Redditus his primum terris, tibi Phœbe sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.

Mercurius; qui ab itinerantibus non minore veneratione colebatur, ut θεὸς ἐνόδιος, cui primitiæ, in viis dicabantur. Qua ratione Charinus in Plauti *Mercat.* Act.v. a paterna domo discessurus Viales Deos, seu Lares invocat.

Invoco vos Lares Viales, ut me bene tuetis.

Unde Apulejus, initio Floridorum: *Viantium moris est, cum aliquis lucus, aut aliquis locus Sanctus in via oblatus est, votum apponere, portum postulare* (ineptè Edit. Basil. 1560. *votum postulare, portum apponere &c.*) *paulisper assidere*. Nautas verò Castori, & Polluci vota fecisse docet Tullius *de Invent.* lib. II., ac sequenti inscriptione confirmatur.

CASTORI . ET . POLLVCI
SACRVM
OB . FELICEM . IN . PATRIAM
REDITVM . TOT . SVPERATIS
NAVFRAGII . PERICVLIS
. . . . . EX . VOTO . CVM
SOCIIS
L . M . P .
C . VALERIVS . C . F. AGELLVS
. . . .

His omnibus Aras erigere, vasa, tabellas, aliaque Donaria appendere, aliquandoque victimas mactare pro Itinerantibus solebant, uti ex Catullo, *Epigr.* ad Ortalum.

Atque ibi præ cunctis, pro dulci conjuge, Divis,
Non sine taurino sanguine, pollicita es,
Si reditum retulisset is, haud in tempore longo
Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret.

At præ cunctis Fortunam *Reducem* in colle Hortulorum venerabantur, de qua hæc cecinit Martialis

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat;
Hic stetit Arctoi &c.

& Claudianus de VI. *Honor. Consul.*

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob REDITVM vovere Ducum, non dignius unquam
Hæc Dea pro meritis, amplas si posceret ædes.

Templum verò, atque Arcum quem juxta, Domitiano è Germania *redeunti* Senatus, Populusque Romanus obviam ivit, Donatus extra Urbem collocat, Nardinus propè Macellum vulgo *de Corvi*, prope Venetiarum Reip. Oratorum ædes.

SALVOS IRE. In Aræ latere dextero inscripta legitur hæc formula, sub qua Redux Fortuna more fluviorum jacet. Sinistra manu arundinem seu cannam tenet, habetque brachium Rotæ innixum; dextera vero flagellum agitat.

SALVOS VENIRE. In latere sinistro, eadem subest redimita Fortuna Redux, dextra Gubernaculum super orbem, sinistra cornucopiæ erectum tenens. Ad Deæ pedes columna, in superioribus Aræ apicibus, Navium pinnæ insculptæ visuntur. Quæ symbola terrestrem, maritimamque T. Albanii peragrationem indicare pro certo habeo. Fortunæ Reducis typum (qui sæpe in Numis, ac præcipuè Hadriani, Treboniani Galli, atque Postumii occurrit) hic subjicio ex Jos. Khell. Numus spectat ad T. Tulium Pacatianum.

Hos





Hos autem ligneos, vel marmoreos invocasse Deos, Ethnicis, idololatriæ tenebris undequaque circumdatis, facile ignoscimus. At quomodo temperandum Francisco Polæ, Christianam religionem profitenti, pro incolumitate quorundam Veronensium Legatorum, *Bono Eventui* (quem ritu superstitioso Romani coluerunt), votivam Aram posuisse? Inscriptionem refert Boldonius pag. 104.

BONO . EVENTVI . ET . FELICI
S.
PRO . ITV . ET . REDITV
AVGVSTINI . DELBENII . ET
HIERONYMI . VERITATIS
&c.

EVOK. Cum K, uti apud Gruterum p. 529., & Ursatum *Marm. erud.* p. 324. IOVINVS EVOK. AVGG. N N. *Evocatus*. Evocati (qui & *Revocati*), inquit Dio lib. 45., *quod missi facti a militia, rursus* (rogatione magis quam imperio) *ad eam vocarentur*. Baculos, quos Dio ῥαβδους (i.e. *vitem*) instar Centurionum gestabant, teste etiam Leunclavio. Augusto antiquiores hosce evocatos fuisse, merito adversus Dionem arbitratur Odericus: meritò inquam, nam sæpè eos commemorat Cæsar *de* B. C.

60.

::::::ANIBVS
:::::NATIS ATTICI
::::SI QVIS OSSA
EIVS PREIECERIT AVT
HANCARAM APSTVLERIT
HABEBIT SACRAISIDIS
ILLIVS . QVIETA . IRATA

Mutili hujus Epitaphii lacunam ita supplet Gruterus, qui illud Romæ in ædibus Delphiniorum integrum invenerat.

DIS MANIBVS
C . LARINATIS ATTICI
QVOD SIQVIS OSSA &c.

Tanta fuit Romanorum in Sepulchris religio, ut si quis ossa defunctorum ex iis eruisset, Summo, Pauli J.C. sententia, afficeretur supplicio, aut saltem in insulam, deportaretur, vel ad metalla damnaretur. Quod Sepulchris ossa extrahere immane sit facinus, Dido, his verbis ostendit. *Non ego*, inquit.

Nec Patris Anchisæ cineres manesve revelli

quod, teste Varrone, fecerat Diomedes ob quam impietatem, cum aliis super alias calamitatibus affligeretur, coactus fuit oraculo Æneæ, patris sui ossa, una cum Palladio restituere. Hinc sæpè in titulis funereis diræ inscul-

ſculpebantur adverſus Sepulchrorum violatores: nec violatoribus tantummodò imprecabantur, ſed iis itidem, qui neceſſitate coacti corpus exonerare juxta monumentum auſi eſſent. Hujuſce execrationis teſtem habemus ſpurcidici L. Cæcilii Flori inſcriptionem, in qua legimus

QVI . HIC . MIXERIT . AVT
CACARIT . HABEAT
DEOS . SVPEROS . ET
INFEROS IRATOS

HABEBIT SACRA ISIDIS. Senſus, hic, quoquo modo formulam ordiamur, haud parum claudicat. Nam ſivè *Quieta* legatur, uti in meo Lapidis autographo, ſive *Quietæ*, uti ſcribebat Fabrettus, barbariſmi tamen elocutionis, quibus ſcatet Lapis, non expurgantur. Senſus igitur, procul dubio hic eſt. *Qui oſſa præjecerit, aut hanc Aram abſtulerit* SACRAM ISIDEM HABEBIT IRATAM, ut in ſequenti apud Gruterum. *Sextus Valerius Mercurialis &c.* SECVS . QVI . FECERIT . MITEM . ISIDEM . IRATAM . SENTIAT. & apud Fabrettum. *Qui hanc Aram læſerit* HABEAT . GENIVM . IRATVM . POPVLI . ROMANI . ET . NVMINA . DIVORUM.

ARAM. Lapis revera Aræ formam præſefert. In ſepulchretis enim Aras erigebant veteres, in quibus lac, & ſanguinem libare ſolebant. Virgilius *lib.3.*, ubi juſta commemorat ab Andromache Hectori perſoluta, hæc habet

——————— *maneſque vocabat*
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem
Et geminas cauſſam lacrimis ſacraverat Aras.

Et lib.v.

Annuus exactis completur menſibus Orbis
Ex quo reliquias divinique Oſſa Parentis.
Condidimus terra maeſtaſque ſacravimus aras.

De lactis verò, & ſanguinis aſperſione in Polydori funere.

Inferimus tepido ſpumantia Cymbia lacte
Sanguinis, & ſacri pateras.

Hinc foramina ſæpiſſime in Urnarum operculo. At hic puto *Aram* pro ipſo *Sepulcro* accipiendam; Monumentum ſcilicet ad inſtar Aræ, Diis inferis Sacrum, atque Iſidi in tutela traditum, in quo C. Larinatis oſſa quieſcerent. *Aram* aliquando pro cinerum *Conditorio* poſitam, apertiſſimis verbis affirmat Cornelia Annia apud Kirchmannum

CORNELIA . ANNIA . NE . INDESO
LATA . ORBITATE . SVPERVIVE
RET. MISERA . VIVAM . ME . VLTRO
IN . HANC . ARAM . CVM . VIRO . CVM
QVO . VIXI . ANN. XX. SINE . VL
LO . DO . LIB . LIBERTABVQVE
NO . VT . QVOTAN . SVPER . ARAM
NO . PLVTONI . ET . VXORI . PRO
FICENT . ROSISQVE . EXOR
NENT, DE . RELIQVO . IBI . EPV
LENTVR

& apud Boiſſardum Ælius Euporias

DIS . MANI:::
CORNIFICIAE
FAVSTINAE AELIVS
EVPORIAS SIBI
ARAM IN FRONTE
PEDES X. IN
AGRO PEDX

At, omnium apertius, Claudius Nicomachus in Hortis Juſtinianorum ad D. Joannis Lateranen. Baſilicam.

DIS . MANIBVS
TI. CLAVDIO . NICOMACHO
ARAM . FECIT
SIBI.

In eadem Sententia eſt Thomaſinius *De Donariis* cap.11. p.33. *Aræ præterea*, inquit, *loco Arcæ eſt, quum non minus Arcæ, ſeu loculi defunctorum, quam ipſe Aræ extraherentur.*

In dextero noſtræ Aræ latere viſitur Siſtrum, ſubque eo Lanx; ſiniſtro poculum, ſeu potius Situla. Siſtrum, inſtrumentum eſt ſtridulum, & ſonabile, Iſiacorum Sacerdotum

tum peculiare, qui ob id *Siſtrati* dicebantur. Cum illud concutiebatur, tinnitus reddebat prorſus argutos, parte ſui ſuperiore Rotundum cœlatumque, in cujus ſummæ Aſpidis vertice, felis erat vultus. Tota ejus ſpecies ovalis fuit, & in ora manubriata undique Tintinnabula habens. Lucanus

Terruit illa ſuo, ſi fas, Capitolia Siſtro.

Flaccus *in Argonaut.* de Iſide

Aſpide cincta Comas, & ovanti perſona Siſtro.

Et Ovidius, Deam hanc deſcribens

Cornua fulſerunt, crepuitque ſonabile Siſtrum.

Ortum, motumque rerum indicabat, ait Plutarcus *de Iſ. & Oſir.* Nili acceſſum, & receſſum ſignificaſſe vult Servius *ad Æn.*VIII. Garritum Hirundinis, in quam Ægyptii fabulantur converſam Iſidem, autumant Minucius Felix *in Octavio*, & Pignorius *in menſa Iſiaca*, Lances, juſtitiæ typus, Iſidi conveniunt, quæ prima Leges invenit, quapropter a priſcis *Legiferam* appellatam tradit Roſinus *lib.*2., atque his verbis confirmat Henricus Kippingius A. R. *lib.*I. *cap.*V. *Marito foris bella gerente*, (Iſis) *Domi leges pro bono publico tulit, ac conſervavit, uſa tantiſper Mercurio, ſeu Triſmegiſto conſiliario.* Situla demum, quæ & cœterarum Dearum eſt propria. Notandum tamen eſt Iſidem ubique cultam fuiſſe tamquam ſalutis Deam, uti narrat Diodorus, cui teſtimonio Pignorius *loc. cit. p.* V. adjungit nummum æreum Claudii Imp. in quo Iſis cum Siſtro, & Situla inſcribitur SAL. AVG.

61.

SACRO AVG
L. SELLIVS GORGIA
M. TER
Q. NONIVS . AMANVS
M. TER
G. LOLLIVS . FAVSTVS
M. BIS
M. ANTISTIVS . LAETV
M. BIS
Q. ORT ENSIVS . CARPVS
M. SEM
C. IVLIVS . AGATOPVS
M. SEM

SACRO AVG. Tanquam DEO, uti in alio Lapide ab impudentiſſimis Aſſentatoribus eidem Auguſto Cæſari dicato apud Gudium

AVGVSTO . EXCELSO . DEO

Auguſtus ſpatium Urbis, teſte Svetonio, in Regiones, vicoſque diviſit; inſtituitque ut illas, annui Magiſtratus ſortito tuerentur; hos, Magiſtri e plebe cujuſque viciniæ electi: non ſane quod Regiones divideret, ſed quod cum ante Urbs ſic diviſa eſſet, quis quamque Regionem ejuſdemque vicos curaret. Propterea de Regionum vicorumque Magiſtris hic agi opinor; quorum, Sellius Gorgia, & Nonius Amanus TER; Lollius Fauſtus, & Antiſtius Lætus BIS; Ortenſius Carpus, & Julius Agatopus SEMEL, hoc functi ſunt Magiſtratu. Si quis tamen hos inter *Miniſtros*, ſive *Magiſtros ſacrorum* recenſere maluerit, non renuo. Auguſtus enim Deorum cultum reſtituit, Ædes ſacras refe-

cit, ceremonias jamdiù neglectas ordinavit, fatidicos libros recognovit, Sacerdotum dignitatem, commoda, atque numerum auxit.

ORTENSIVS. *Hortensius*: sine aspiratione, alias etiam reperitur; Manutius sane Lapidem hunc non viderat.

AGATOPVS. In aliis saxis constanter *Agathopus*.

62.

GRATIAM
REDDE

Anonymum hunc Lapidem votivis adsignandum opinor: *Gratias* enim *reddere* (quod *Redhostire gratias* prisco sermone dictum monet Guilielmus Stuchius *de Sacrif.Gent.*p.108.) una ex tot formulis fuit, quas pronunciabant ii qui vota Dis persolvebant: liquet id ex Livio *lib.*30., ubi a Senatu decretum fuisse scribit, *ut* post auditos Saguntinorum legatos *Gratiæ Diis*, *victoriarum causa*, *agerentur*: at perspicuius ex Saxo Gruteriano p.XXII.

IOVI . SOLI
INVICTO . SARA
PIDI . T . AELIVS . AN
TIPATER . PROC
AVGG . CVM . VMBRICIA
BASSA . CONIVGE . GRATIAS
AGENTES . POSVERVNT

Muratorius sequentem, Gruterianæ analogam, edidit è suis Schædis inscriptionem.

ΑΓΑΘΗΤΥΧΗ
ΑΥΡ . ΠΑΡΜΕΝΩΝ
ΚΑΙΗΓΥΝΘΑΥΤΟΥ
ΑΥΡ . ΕΙCΙΔΟΤΗ
ΑΡΤΕΜΙΣΙΝ
ΠΡΑΙΑΙΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

quam in suo *Inscript. Thes.* p.38. sic interpretatus est ipse Muratorius

QVOD BENE VERTAT.
AVRELIVS PARMENO
ET CONIVX EIVS
AVRELIA ISIDOTE
DIANIS
MANSVETIS
GRATIARVM ACTIONES

(Persolvit)

ita in alia quæ extat in Bononiensi *Scientiarum Instituto*

ΜΕΛΑΝΘΙΟΣ ΕΠΙΤΕΛΕΥ
ΙΑΤΡΕΥΘΙΣ ΑΣΚΛΗΠΙΩΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ

h. e. *Melanthius morbo depulso* votum *perfecit Asclepio* (Æsculapio) *in gratiarum actione*. *Aliam denique refert Boldettus* in qua legitur Fortunæ sanctæ &c.

CVI.GRATIAS.MAXIMAS.SEMPER EGI

DIIS;

63.

DIIS . DEABVS
C. IVLIVS . C . F . ARN.
AFRICANVS BRIXEL
LO OPTIO . EQVIT
COH VIIII. PR. 7. IVLI
SIGNVM AEREVM
PANTHEVM
D . D . V . LLM
DEDICATVS XI::::
AVG . BARBARO ET
REGVLO COS

Deorum Dearumque classis a *Diis omnipotentibus* exorsa, *Deorum Dearumque omnium* inscriptione absolvatur.

Consentes Deos, locales, epicorios, tutelares, novensiles, assessores, cultos a Romanis fuisse, brevitatisque compendiique causa *Deos Deasque* vocatos, asserunt Historici, testantur Lapides. Hinc Inscriptiones DIIS OMNIBVS = DIIS PATRIIS = I.O.M. ET CONSSESSVI DEORVM DEARVMQ = IOVI O. M. ET DIIS DEABVSQ. IMMORTALIBVS = I. O. M. DD. h.e. *Diis Deabus* = IOVI ET IVNONI REGINAE ET GENIO LOCI ET D. D. OMNIB. = DIIS OMNIBVS COELESTIBVS = DIIS DEABVSQVE PRAESIDIBVS. Hinc invocationis formula, quam Punico sermone pronunciavit Plautinus *Hanno in Pœn.* Act. v. Sc. I.

Ythalonim vualonuth si chorathisma consith.

h.e. ex versione Bochartii.

Rogo Deos, & Deas qui hanc regionem tuentur.

& paulò post

Deos Deasque veneror, qui hanc Urbem colunt.

aut juxta Pareum

O Di Deæque, Calydonis Præstites
Sub quorum Numine est hæc tuta Civitas
Adeste placidi!

ARN. Ex Tribu *Arniensi*, de qua vide Notas ad aliam Inscriptionem inferius.

BRIXELLO. Ptolemæus Βριξέλλον Phlegon *de longæv.* Cap. I. ζριξέλλα, Svetonius *Brixillum*: Paulus Diaconus *Brexillus*; Lapides verò modo *Brixillum*, modo *Brixellum*: italicè *Bersello*; urbs quondam, hodie vero celebre tantum Othonis nece Oppidum, inter Parmam, & Mantuam, perperam a Calepino apud Mutinam, (*nota*) in *Etruria* situm. Ibi fortissimi illius Imperatoris, *cujus non erat mollis*, inquit Tacitus, *& corpori similis animus*, modicum Monumentum, & inscriptionem hujuscemodi, M. OTHONIS, se vidisse asserit Plutarcus.

OPTIO EQVIT. *Optio Equitum Cohortis* VIIII. Optio, in re militari, Festo docente, masculini est generis, & appellatur is, quem Decurio, aut Centurio optat sibi rerum privatarum Ministrum, quo facilius obeat officia publica. *Dicitur ab optando* inquit Vegetius de R. M. *quod antecedentibus* ægritudine *præpeditis, ii tanquam adoptati eorum, atque Vicarii solent universa curare*. Optio igitur equitum cohortis adjutor est Centurionis, vel alterius ordinarii a Tribuno (V. Varronis de L.L. librum 4.) datus tanquam ejus vel negotiis aliis obruti, vel absentis Vicarius, rerumque privatarum administer. Nec Centuriones tantum, sed & Tribunos, & Signiferos, aliosque

que Optionem habuisse suum, ex pluribus Inscriptionibus liquet, in quibus legitur OPTIO *Tribuni*, OPTIO *Signiferi*, OPTIO *Turmæ*, OPTIO *Lanceariorum*, OPTIO *Quæstoris militum*; item OPTIO *Karceris cohortis* XII. *urbanæ*, FISCI, LEGIONIS, PEREGRINORVM, PRAEFECTI PRAETORII, OPTIO VALETVDINARIVS: legitur etiam OPTIVS TRIB. LEG. I.VOLVNTAR. & OPTIVS TRIB. LEG. XXX. VLP. apud Reinesium Cl.VIII. 76. 78. Denique SVBOPTIO, quasi *Adjutoris Adjutor* apud eumdem p.12. Noster ergo Africanus *Optio* erat *Equitum cohortis Prætorianæ* VIIII. 7.*Centuriæ* scilicet *Julii*. Hunc (*Africanum* dico, de quo Hadrianus *in Epist.* ad Servianum apud Vopiscum in Saturnino hæc, *Calices tibi allassontes versiculores transmisi* ..... *Caveas tamen ne his* Africanus *noster indulgenter utatur*) filium fuisse C. Julii Servilii Ursi Serviani, seu *Severiani*, uti eum nominat Dio, COS. III., videtur Casaubono, aliisque.

SIGNVM AEREVM PANTHEVM. Signum ex ære, singulos Deos Deasque repræsentans, aut in quo Numinum præcipuorum utriusque sexus expressa erant symbola; *Flumen* scilicet Jovis *tricuspe*, Palladis *hasta*, Apollinis *lyra*, Mercurii *caduceum*, Bacchi *tyrsus*, *tridens* Neptuni, Herculis *clava*, Dianæ *pharetra*, Cereris *aristæ* &c. Nummum PANTHEVM Hadriani hic exhibeo, in cujus aversa parte Isidis, Osiridis, seu Serapidis, & Harpocratis, sive Sigaleonis typi promiscui visuntur, quibus subjacet Aquila Jovis socia.





Nummus extat apud Claudium Nicasium, qui eum elucidavit in Differt. *de Nummo Pantheo Hadr.* Ed. Lugd. 1690., cui imaginem pariter Pantheam, vetustis monumentis simul congestis effictam a cl. Franc.Blanchinio (*Stor. univ.* p.216.) sociare, operæ pretium reor.



Hanc

Hanc videre est apud laudatum Virum in Op. cui tit. *Istoria Univers. prov. co' Monumenti &c. Dec.* II. *Cap.* & *Imag.* XIX. At de his signis Pantheis adi, præter Blanchinium, Gisb. Cuperum, & Jac. Sponium, istum, *in Miscell.* illum, in *Harpocr.*

D. D. V. LLM. *Dono dedit*, vel *Donum Dicavit*. *Votum Lætus*, *Libens*, vel *Lubens*; sive *Votum*, *Lubentissimus Merito*.

DEDICATVS. *Dedicatum*. XI::::: AVG (non rectè Reinesius X. KL.) nempe die 22. Julii: malè item Reinesius ÆREVM.

BARBARO (quem Panvinius, Petavius, & Almelovenius BARBATVM vocant) ET REGVLO COS. nimirum Ann. V.C. 909. (Panvinius 910.) a C. N. 157.

Aram hanc in Mus. Capitol. collocandam, mihi nuperrimè tradidit Vir humanissimus D. VINCENTIVS Princeps IVSTINIANVS Corbaræ Dux in cujus amœnissima ad D. Joannis Lateran. Villa innumeræ antiquæ Aræ, Bases, Cippi, Urnæque conspiciuntur.

64.

II IILLICIO AVG DVCENARIO
PRAEF. VEHICVL. A COPIS. AVG
PERVIAM. FLAMINIAM
CENTENARIO CONSILIARIO
AVG. SACERDOTI CONFARREATI
ONVM. ET DIFARREATIONVM
ADSVMPTO. INCONSILIVM. AD HS LX M. N.
IVRISPERITO. ANTIATES. PVBL

Saxa etiam longum faciet putrescere tempus, inquit Manutius in Adagiis. Abrasum itaque in hoc Lapide nomen restituere mihi impossibile: fortè FI. aut FL. BELLICIO. AVG. DVCENARIO. Centenarii, Ducenarii, Trecenarii fuere qui Centenis, Ducenis, aut Trecenis militibus imperabant; de his Vegetius, & Lapides Gruteriani, Fabrettus, aliique. At Bellicium istum haud militiæ addictum, sed potius Jurisprudentiæ, ex sequentibus conjicio. Inter Ducenarios igitur hunc recensendum autumo quos, teste Svetonio, Augustus instituit: *hi a censu*, ait Grævius, *nomen nacti sunt*; quod nimirum lecti ex hominibus inferioris censi ducena HSS. tantum possiderent, non ut cœteri quadrigena. Quibusdam *Ducenarii* sunt *Exactores*, seu *Publicani*, quod *Ducentesimæ* vectigal exigerent; eos tamen *Ducentesimarios* vocari tradit Salmasius. Joanni Kall iidem Ducenarii sunt, tum qui ducena gerebant, & ducentis scholaribus præerant, tum qui de levioribus judicabant. Quid per hæc innuere velit eruditissimus vir, asserere nequirem, nisi tenebris facem afferrent Philippi Beroaldi commentaria, qui ad illud Apulej: *nam procuratorem Principis Ducenaria perfunctum*, plurima de Ducenariis docet. Egregium igitur hunc Apulej illustratorem adeat Lector, scilicet *Metam.* lib. VII. Adeundi quoque sunt Odericus in *Syll. vet. Inscript.* p. 203., 204. Reinesius *Cl.* 8. p. 515. Salmasius in *Pertin.* & Gruterus, apud quem p. 276. fit mentio C. Julii Prisciani *Curiæ Reip. Pisaur. & Fan. Ducenarii*. Alteram denique inscriptionem edidit Odericus *loc. cit.* p. vero 199. in qua Centenarius, Ducenarius, & Trecenarius his notantur signis C̄. C̄C̄. C̄C̄C̄.

PRAEF. VEHICVL. Publici cursus Augustum auctorem facit Svetonius *in Aug. cap.* 49. his verbis: *Quo celerius ac sub manum annunitari cognoscique posset, quid in Provincia quaque gerere-*

reretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc Vehicula disposuit: commodius id visum est, ut qui a loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent: at hæc non ut etiam Magistratibus vehicula, aliisque passim hominibus exhiberentur; id postea factum ex Hadriani instituto tradit Spartianus: vocavitque *Cursum fiscalem*, quem indistinctè *fiscalem*, & *publicum* Salmasius appellavit. Rem autem vehicularem patrimonii munus fuisse asserit Gutherius *de Offic.* D. A. lib. 3. docetque Provinciales Vehicula, & Agminales equos, Angarias, & Veredos præstare coactos. De re vehiculari fusè, ac plus quam satis scripsit Schefferus. Vir igitur iste, cui Marmor dedicaverunt Antiates, vehiculorum per viam Flaminiam dispositorum Præfectus erat: verum cum inter *Officium*, & *Locum* legatur A COPIIS, censendum est Præfectum fuisse etiam *a Copiis*, quæ per eamdem viam dispertiebantur, hoc est Veredariorum, sive Cursorum: vel si mavis A CIBARIIS; *copiæ* enim Papiniano l. *ob negot.* 20. ff. *de compens.* sunt *Cibaria* quæ publice præbebantur: Demum forteque rectius A COPIARIIS, qui ut docet Porphyrio *in Comm. ad Horat.*, annonam, sive commeatum Reipublicæ causa iter facientibus, præstabant. Inscriptionem, in qua de Præfecto *a Copiis* sit mentio, nullam, præter hanc nostram, inveni. *Pelorum* quemdam Augusti libertum A COPIIS CASTRENSIBVS laudat Muratoriana p. 902., sed munus istud ad rem militarem pertinuit: Inscriptiones vero Præfectos Vehiculorum commemorantes perplures. Ita apud Gutherum *loc. cit.*

Q. PLOTIO MAXIMO . PROC . AVG
PROMAGISTRO HEREDITATIVM *sic*
PRAF . VEHICVLORVM . QQ

& p. 527.

L . BAEBIVS . L . F . PRAEF . FABR
PRAEF . COHOR . IIII . PRAETORVM
PRAEF . VEHICVLORVM

hunc tamen Præfectum non Vehiculorum *publici cursus*, sed *Castrorum*, cum laudato Authore censeo: Tabularium tandem *a Vehiculis*, habemus apud eumdem

T. FLAVIO . AVG . LIB
SATVRNINO . TABVLARIO
A . VEHICVLIS

PER VIAM FLAMINIAM. Quæ per portam Flaminiam, seu Flumentanam, nunc *del Popolo* ad Tiberim sita *Ariminum* usque ducit: notandum tamen cum Georgio Fabricio viam hanc fuisse stratam a Cn. Flaminio Cos. per Etruscos, *Aretium*; ab Augusto vero per Umbriam, & Picenum, *Ariminum*. Huic Claudia juncta est teste Ovidio *de Ponto* lib. 1.

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat, Flaminiæ Claudia juncta via.

Sunt qui stratam dicant a Flaminii filio. Panvinius autem aliique a Patre cæptam arbitrantur, a Filio perfectam.

CENTENARIO. *Centenarii* liberti in lege Papia dicebantur, qui centum millium sestertiorum rem habebant: minores vero Centenarii vocabantur, qui minus centum Aureis haberent substantiam. Hæc Brissonius *de Verb. signif.* lib. 11. quem consules.

CONSILIARIO AVG. *Consiliarii*, vel *a Consiliis* Augustorum dicebantur quidam, qui Augustos in omnibus processibus, & expeditionibus bellicis comitabantur: quapropter Comites etiam dicti sunt. Inscriptionem refert Salmasius, *in not.* ad Svetonium, in qua PROC . AD . BONA . DAMNATORVM . PROC . AD . ALIMENTA . CONSILIARIO . AVGG. Tiberium viginti sibi Patricios viros consilii causa legisse narrat Paulus Diaconus lib. 7. Notatu dignum mihi videtur quod apud Getas, teste Strabone, qui Regi a consiliis erat, Θεός appellaretur.

SACERDOTI &c. Sacerdotis CONFARREATIONVM, & DIFARREATIONVM notitia hic primum occurrit. Cicero sane in Topicis ad solos Pontifices Confarreationem spectasse tradit; sed & ad Sacerdotes, probat Lapis hic Capitolinus, Augusti tempo-

poribus insculptus. Eo igitur modo, quo Nuptiæ, non nisi coram Pontifice, & Flamine Diali firmabantur, coram pariter Sacerdote dissolvebantur Matrimonia.

DIFARREATIONVM. Confarreationi contraria est *Diffarreatio*, quam sic definit Festus, nempe: *genus sacrificii, quo inter Virum, & Mulierem fiebat dissolutio, dicta* Diffarreatio, *quod fieret sacro libo adhibito*. In Glossis Isidori: *Diffarreatio, dissolutio inter virum, & fœminam*. Exiguæ hæ sunt antiquitatis reliquiæ; hinc nulla apud probatos Authores *Diffarreationis* mentio, uti notavit Marcellus Donatus Dilucid. in Tacitum lib.4.

AD HS LX M. N. *Ad sestertiûm sexaginta millia numero* interpretatus est Muratorius in brevissima ad hunc Lapidem (quem tamen more suo ab archetypo diversum edidit p.1024.) adnotatione. Sacerdos igitur noster HS LX. M. N possidebat; itaque locum inter Senatores, & Equites Romanos habere poterat; Census enim Equestris (juxta legem, quam Lucius Roscius Otho Tribunus plebis tulit, annis quatuor ante Ciceronis consulatum) erat tantum Sestertium quadringentorum millium; hinc Horatius Mœcenati *Epist.* lib.1.

Si quadringentis, sex, septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesque;
Plebs eris.

& Martialis de Chærestrato *lib.v. ep.25.*

Quadringenta tibi non sunt, Chæreſtrate; surge;
Lectius ecce venit; sta, fuge, curre, late.

IVRISPERITO. Quis Jurisperitus, nemini incompertum. Attamen cum supposititius hic Bellicius facile Augusto, idest Octaviano Augusto, a Consiliis fuerit, recitanda sunt ad Marmoris illustrationem quæ de isto Imperatore prodit Xiphilinus. Narrat ergo Augustum ætate affecta sibi viginti Viros *Juris scientia*, & prudentia claros adscivisse, quorum judicio res omnes gravioris negotii, quæ in dies emergerent, componeret. Zonaras de eodem: *Consiliarios ad sex menses legerat, ut per eos cum omnibus, ea quæ in consultationem venissent, communicarentur.*

ANTIATES. PVBL. *Antiates publicè*: h.e. *publicè dedicavere*. De Antiatibus dixi *Num.*40. 41.42., dicamque rursus; sed vide *Latium vetus* Rocchi Vulpii *Vol.* III.

65.

ΠΑΤΗΡ ΧΑΙΡΕ

D. M. S
AVREL. DIOGENETI
SACERDOTI. VENE
MERENTI FECIT
AVRELIA CAENIS
COIVX. CONQVEM
VIXIT ANNIS XXX

ΠΑΤΗΡ ΧΑΙΡΕ. quem Maritum habuerat, Patrem vocat Aurelia, ob affectum uti est censendum, vel in obsequium Sacerdotii quo Maritus fulserat. VALE, SALVE, AVE passim in titulis funereis. *Ideo mortuis* scribit Varro *vale aut salve* dicimus, *non quod valere possint*, sed *quod ab his recedamus, eos nunquam visuri*. Virgilius

..... Salve æternum mihi maxime Pallas
Æternumque vale.

Porro qui ex Varronis verbis formulam hanc ad funera speciatim pertinuisse putant, longe errant. Persius in Prologo

Quis expedivit psittaco suum ΧΑΙΡΕ.

& Lu-

& Lucilius in *Satyr. fragm.*

> XAIPE (*inquam*) *Tite* : *lictores, turma omni cohorsque*
> XAIPE *hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus.*

Titus Albutius, & Mutius Scevola, quorum hic sermo est, vitam agebant.

SACERDOTI. *Sacerdotem* singuli Deo assignare Romani solebant, quem *Flaminem* nuncupabant. Cic. de legib. *Diisque aliis alii Sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis Flamines sunto.* At cui Templo, cui Numini addictus fuerit *Aurelius Diogenetes*, sive *Diogenes*, coniux non indicat: quapropter ex ordine eum arbitror fuisse LX. illorum Sacerdotum, qui publici vocabantur, quosque a *Romulo* institutos Dionysius narrat *lib.2.* E singulis Curiis bini legebantur, annum ingressi quinquagesimum, qui virtute, ac genere præcellerent cæteros, censumque sufficientem haberent, integro essent corpore. His (immunibus ob ætatem a militia, & propter privilegium exemptis ab Urbanis negotiis) non ad certum tempus, sed in omnem vitam eum honorem concessit Romulus.

VENEMERENTI. *Benemerenti.*

COIVX. *Coniux.*

CONQVEM. *Cum quo.* Intoleranda barbaries, inquit Fabrettus, usus est formulæ *cum quem*: quid dixisset si legisset hic *conquem*; & in epitaphio Tigridis apud Boldettum CVM CVM?

XXX Triginta.

66.

A R A

In fronte

D . M .
VETTIVS AGORIVS PRAETEXTATVS
AVGVR . PONTIEEX VESTAE
PONTIEEX SOLIS ❦ QVINDECEMVIR — SOLIS
CVRIALIS HERCVLIS ❦ SACRATVS
LIBERO ET ELEVSINIS ❦ HIEROPHANTA
NEOCORVS TAVROBOLIATVS
PATER PATRVM ❦ IN REPVBLICA VERO
QVAESTOR CANDIDATVS
PRETOR VRBANVS
CORRECTOR TVSCIAE ET VMBRIAE
CONSVLARIS LVSITANIAE
PROCONSVLE ACHAIAE
PRAEFECTVS VRBI
LEGATVS A SENATV MISSVS V
PRAEFECTVS PRAETORIO II ITALIAE — II . ITALIAE
ET ILLYRICI CONSVL ORDINARIVS
DESIGNATVS

ET

ET ACONIA FABIA PAVLINA C F
SACRATA CERERI ET ELEVSINIIS
SACRATA APVDEGINAM HECATAE APVD AEGINAM
TAVROBOLIATA . HIEROPHANTRIA
HICONIVNCTI SIMVL VIXERVNT ANN.XL HI CONIVNCTI

Ad dexteram.



VETTIVS AGORIVS PRAETEXTATVS
PAVLINAE CONIVGI
PAVLINA VERI ET CASTITATIS CONSCIA

DICATA TEMPLIS ATQ. AMICA NVMINVM
SIBI MARITVM PRAEFERENS ROMAM VIRO
PVDENS FIDELIS PVRA MENTE ET CORPORE
BENIGNA CVNCTIS VTILIS PENATIBVS

Ad lævam.



VETTIVS AGORIVS PRAETEXTATVS
PAVLINAE CONIVGI
PAVLINA NOSTRI PECTORIS CONSORTIO
FOMES PVDORIS CASTITATIS VINCVLVM
AMORQVE PVRVS ET FIDES CAELOSATA
ARCANA MENTIS CVI RECLVSA CREDIDI
MVNVS DEORVM QVI MARITALEM TORVM
NECTVNT AMICIS ET PVDICIS NEXIBVS
PIETATE MATRIS CONIVGALI GRATIA
NEXVS SORORIS FILIAE MODESTIA
ET QVANTA AMICIS IVNGIMVR FIDVCIA
AETATIS VSV CONSECRANDI FOEDERE
IVGI FIDELI SIMPLICI CONCORDIA
IVVANS MARITVM DILIGENS ORNANS
COLENS

In parte postica.

::NDOR PARENTVM NIL MIHI MAIVS DEDIT SPLENDOR
:QVOD MARITO DIGNA IAM TVM VISA SVM QVAM QVOD
::D LVMEN OMNE VEL DECVS NOMEN VIRI SED LVMEN
AGORI SVPERBO QVI CREATVS GERMINE
PATRIAM SENATVM CONIVGEMQ. INLVMINAS
PROBITATE MENTIS MORIBVS STVDIIS SIMVL
VIRTVTIS APICEM QVI SVPREMVM NANCTVS ES NACTVS
TV NAMQVE QVIDQVID LINGVA VTRAQ EST PRODITVM VTRAQVE
CVRA SOFORVM PORTA QVIS CAELI PATET
VEL QVAE PERITI CONDIDERE CARMINA
VEL QVAE SOLVTIS VOCIBVS SVNT EDITA
MELIORA REDDIS QVAM LEGENDO SVMPSERAS
SED ISTA PARVA TV PIVS MOVES TES SACRIS
TELETIS REPERTA MENTIS ARCANO PREMIS
DIVVMQVE NVMEN MVLTIPLEX DOCTVS COLIS
SOCIAM BENIGNE CONIVGEM NECTENS SACRIS
HOMINVM DEVMQVE CONSCIAM AC FIDAM TIBI
QVID NVNC HONORES AVT POTESTATES LOQVAR
HOMINVMQVE VOTIS AD PETITA GAVDIA
QVAE TV CADVCA AC PARVA SEMPER AVTVMANS
DIVVM SACERDOS IN EVLIS CELSVS CLVES INFVLIS
TV ME MARITE DISCIPLINARVM BONO
PVRAM AC PVDICAM SORTE MORTIS EXIMENS
IN TEMPLA DVCIS AC FAMVLAM DIVIS DICAS
TE TESTE CVNCTIS IMBVOR MYSTERIIS
TV DINDYMENES ATTEOS QVI ANTISTITEM
TELETIS HONORAS TAVREIS CONSORS PIVS
HECATES MINISTRAM TRINA SECRETA EDOCES
CERERISQVE GRAIAE TV SACRIS DIGNAM PARAS
TE PROPTER OMNIS ME BEATAM ME PIAM
CELEBRANT QVOD IPSE ME BONAM DISSEMINAS
TOTVM PER ORBEM IGNOTA NOSCOR OMNIBVS
NAM TE MARITO CVR PLACERE NON QVEAM
EXEMPLA DE ME ROMVLAE MATRES PETVNT ROMVLEAE
SVBOLEMQVE PVLCHRAM SI TVAI SIMILIS PVTANT
OPTANT PROBANTQVE NVNC VIRI NVNC FEMINAE
QVAE TV MAGISTER INDIDISTI INSIGNIA
HIS NVNC ADEMPTIS MAESTA CONIVNX MACEROR CONIVX

FE-

FELIX MARITVM SI SVPERSTITEM MIHI
DIVI DEDISSENT SED TAMEN FELIX TVA
QVI SVM FVIQVE POSTQVE MORTEM MOX ERO QVIA SVM MOX ERO

Pretiosum hoc, atque illustre venerandæ Antiquitatis Monumentum diù neglectum, clarissimus Marchio Lucatellius Musei Capitolini Curat.Perp. in ejusdem Musei atrio collocari curavit an. 1750. Hoc, solus Franciscus Bonada, Scholar. Piar. Congreg. lumen, & ornamentum, diligentissime exscripsit, integrum vulgavit, nonnullisque illustravit adnotationibus in sua *Carminum ex lapidibus* collectione *Tom.*1. Hæc, unica profecto, ex tot Musei Capitolini Inscriptionibus, hùc illùc ab Antiquariis inordinate relatis, unica, inquam, hæc, pro ut eam edidit clarissimus ille vir, licet cœteris prolixior, emendatione non indiget.

VETTIVS AGORIVS. Hunc, cum Ursicinum Christianis infestum ab Urbe pepulisset, Christianum faciunt nonnulli: contrarium verò probant potissimum ipsius verba, quæ ludens B. Damaso Papæ, teste D. Hieronymo *Ep.* ad *Pammach.* dicere solebat, videlicet: *facite me Romanæ Urbis Episcopum, & protinus Christianus ero*: Vir tamen præstantissimus fuit, dignusque cum Bruto, ab Ammiano Marcellino comparari.

PRAETEXTATVS. Papirius, cujus egregiè sculpta extat in Ludovisiorum Hortis Statua, ob tacendi, loquendique in *prætextata* ætate prudentiam, *Prætextati* cognominis jubente Senatu, author fuit, ut docet Macrobius *Saturn. lib.*1. *cap.*6.

AVGVR. Augures, sic ab avibus dicti, quorum primus ipse fuit Romulus, uti affirmant Dionysius, & Plutarchus. Hi avium volatus, motum, quietem observabant: garritum earum, & clamores interpretabantur; prodigia denique, & somnia explicabant. Augurum insignia fuere Præfericulum, Lituus, Simpulum, sive Capeduncula, & Aspersorium, quod patet ex Nummis, ex quibus quoque liquet Imperatores id genus honoris sibi vindicasse, uti Cæsar, Vespasianus, Aurelius Verus, ad quos, Nummi, hic, ex Gutherio *de Jure Pontificio* cap. 14. delineati, pertinent.





Porro, *Augurium* fuit Chaldæorum inventum vanissimum, a Græcis interpolatum, quorum discipulus *Tages* Etruscus, ad populares suos detulit, uti docent Censorinus *de die Natali*, Crinitus *de honesta disciplina*; Ovidius *Metam.* lib.xv.

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros

PONTIFEX VESTAE. Pulcherrima apud Gruterum legitur inscriptio, statuam a Cœlia Concordia Virgine Vestali Maxima nostro huic Agorio dedicatam commemorans, quæ ejus Vestæ Pontificatum confirmat.

PONTIFEX SOLIS. Qui Pontifex Vestæ, Pontificem & Solis fuisse credo. Ita apud Pan-

Panvinium C. R. p.159. Mummius Vitrasius Orfitus, Pontifex Vestæ, & Pontifex Solis dicitur. Cognatio & ἀναλογια inter Vestam, & Solem validissimis posset probari argumentis.

QVINDECEMVIR. h.e. *Sacris faciundis*.

CVRIALIS HERCVLIS. Singulis Curiis præpositos binos Flamines, seu Sacerdotes fuisse, qui sacra facerent, constat ex Festo Pompejo, qui Curiales Flamines ait fuisse *Curiarum Sacerdotes*. Hinc jure Cicero *pro Milone*, Curiam dicit *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici*.

SACRATVS LIBERO ET ELEVSINIS. Cereris, Proserpinæ, seu *Coræ*, atque Liberi, vel Bacchi, aut *Jacchi* Sacris Misteriisque, quæ apud Eleusinam celebrabantur, initiatus, iisque Diis devotus.

HIEROPHANTA. Qui Misteriis Eleusiniis, una cum Rege Sacrorum præerat; nec tantum Sacris præsidebat, verum, & mystas initiabat, mysteriaque illa sacra epoptis monstrabat, unde Hesichius: ἱεροφάντης μυσταγωγός, ἱερούς τὰ μυστήρια δεικνύων, seu *qui initiandos, atque initiatos ad Sacra Mysteria introducit, qui Mysteria Epoptis ostentat*, quæ incredibili cura, prætensaque cum sanctimonia, recondita habebantur. Hierophantam peculiarem Hecatis Sacerdotem ita credebat Salmasius, ut nomen Hecatis Sacerdotis nomini addere supervacaneum omnino putaret. Sed Dalenus, Odericus, ipsumque nomen ex Ιερὸς *Sacer*, & φαινῶ *ostendo* compositum, contrarium manifestè demonstrant. Quo enim pacto ex solo nomine intelligeretur Hierophantam Hecati, seu Proserpinæ potius, quam aliis Diis, vel Deabus, fuisse dicatum?

NEOCORVS *Sacerdos*. Aliquando *Æditius*, qui Templum purgabat, atque verrebat. Deinde qui templi curam habuit, a Festo Ædituus *sacræ ædis tutor* appellatur: postea *Neocorus*, qui sacra inquit Vaillantius *in Num.* Impp. *alicui Deo*, vel *pro salute* Imperatoris faciebat: unde in Nummo sub Alexandro Severo cuso habemus ΜΑΡ.ΕΥΓΕΝΟΥC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. Sacerdotium hoc Neocororum commune etiam Fœminis asserit Dalenus, qui de Urbibus quoque Neocoris, quarum prima Ephesus, eruditissimam edidit Dissertationem.

TAVROBOLIATVS. Qui Taurobolium acceperat; qui scilicet sacro Taurobolio accepto Matri Deum, & Attidi sese consecraverat. V. Num. 1.

PATER PATRVM. Sive *Sacrorum* Magister inter Sacerdotes, & principalis, *Patratus* aliquando etiam dictus. Patres isti Rituales Initiorum libros in opere e gemino Lapide constructo adservabant. Hinc Tertullianus in Apologet. *Volentibus initiari moris est, opinor, prius Patrem illum sacrorum audire, quæque præparanda sunt describere*. Solo Deo Mytræ, seu *Persidico* dicatum fuisse Patrem Patrum autumant eruditissimi Viri, at hujusmodi Sententiæ absurditatem manifestam facit sequens ex Mazzocchio Marmor.

DEO. CAVTE
FLAVIVS. ANTISTIANVS
V. E. DE. DECEM. PRIMVS
PATER PATRVM.

Deum hunc *Cautem*, Pantheum obscurissimæ religionis, & originis, dicit Reinesius cl.1I.152.

De Candidatis, deque Prætore Urbano, superius diximus.

CORRECTOR. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. Correctores Campaniæ, Flaminiæ, Piceni, Apuliæ, Lucaniæ, Brutiorum, Tusciæ, Umbriæ, totiusque Italiæ, eosque Præsidibus potiores, inferiores Consulibus, memorant Leges, Marmora, Pancirolus, Gutherius, Dominicus Georgius, aliique. Nomen habuit a Provinciis corrigendis, restituendisque in decus pristinum: ita *Germanicum* ab Senatu missum *cuncta Syriæ negotia correcturum* laudat Rufinus *lib.* 18. Dynamium quemdam *Correctorem*, Ammianus Marcellinus *lib.* 15.

CON-

CONSVLARIS. Non hic certe de viro intelligendum, qui Consulatum gessisset, nam Agorius, fato præreptus, munus hoc obire nequivit. Verum de Magistratu, puta *Prætore*, ad moderandam Lusitaniam, cum honoribus, authoritate, ornamentisque *Consulari* titulo ab Augusto concessis, uti tradit Salmasius in *Adriano*.

ECHAIÆ *Achaiæ*. De Pro-Consulatu cœterisque hic enunciatis dignitatibus, vide superius. Notandum dumtaxat de Vettii Agorii Proconsulatu sub Juliano Augusto, deque ejusdem Præfectura Urbana imperantibus Valente, & Valentiniano, mentionem fecisse Ammianum Marcellinum, atque Zosimum, a quo *Vir omnibus virtutibus excellens est appellatus*, novissimeque Eduardum Corsinium *de Præf. Urbis* ad. A. C. 367. Præstantissimi hujusce Viri Achajæ Proconsulatum mirifice testatur marmor Gruterianum in ejus honorem, ab Asclepiodoto, Dosithæi filio, splendidi Gortyniorum Senatus decreto excitatum, in quo Creta *insularum Regina* vocatur.

ΑΓΟΡΙΟΝ ΠΡΕΤΕΞΤΑΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΗΣ ΤΩΝ ΝΗΣΩΝ
ΔΟΓΜΑΤΙ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΑΣ ΓΟΡΤΥΝΙ. ΒΟΥΛΗΣ
ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΟΣ ΔΟΣΙΘΕΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΣ
Ο ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΣ ΥΠΑΤΙΚΟΣ ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ

CONSVL ORDINARIVS. *In sex Consulatibus*, inquit de Domitiano Svetonius, *non nisi unum ordinarium gessit*. Quem locum illustrans Adr. Turnebus *Adverſ.* lib. 5., scribit, ordinarium Consulem dici, ex cujus nomine anni supputatio ordinaretur, idest cujus nomen in Litteris, & Instrumentis, & in Fastis scriberetur. *Nam*, inquit, *ætate Imperatorum annus in multos dividebatur Consules: Sed soli, qui anni initio* (nempe Kal. Januar.) *inibant honorem, ordinarii censebantur, honoratioresque erant*. Seneca, *Consulem me fecit, sed non Ordinarium*.

DESIGNATVS. Vere *designatus* tantum, nam morte præventus, uti narravimus, Consulatum non est assequutus. Nulla ergo fides habenda Volf. Lazio, qui in *Comm. Reip.* R. lib. 8. secus sentit, Vettium hunc Agorium Prætextatum non distinguens ab Asinio Prætextato, qui Consul cum Attico fuit A.C. 242.

ACONIA. *Agonia* nonnulli. At in Lapide *Aconia*. CF. Catulini filia; Aconii, scilicet, Catulini V. C. ex Præf. & ex-Consulis ordinarii, & designati, uti in Inscriptionibus apud Gruterum p. 309., & Manutium p. 30. Hic mire liquet siglas C. F. non semper interpretandas esse CAII filia, vel filius.

SACRA CERERI ET ELEVSINIIS. Initiata sacris Eleusiniis, quæ in honorem Cereris celebrabantur.

APVDEGINAM. *Apud Æginam*, ubi more Græco, non Asiatico, Ceres, cum filia Proserpina colebatur, quas *Damiam*, seu *Lamiam*, & *Auxesiam*, appellant Herodotus, & Pausanias.

TAVROBOLIATA. Quæ eodem ritu, quo Maritus, Taurobolium apud Æginam exceperat. *Taurobolitas*, at melius *Tauroboliatas* Fœminas, aliisque, Hierophantriarum facultate, Taurobolium tradentes, complures exhibent vetusti Lapides, in quibus Junia Domitia, Pomponia Flora, Servilia Modesta, Valeria Gemina, Verina Severa, Julia Nice, Valeria Carmosyne, Aurelia Oppidana, Marciana, Valentina nominantur.

MHECATAE *Hecatæ* HIEROPHANTRIA. Sacerdos Hecates. *In Agro Stratoniceno* scribit Strabo *lib.* XIV. *duo sunt Templa, quorum unum Laginis Hecatæ Sacrum, ubi quotannis magni agitantur sacri Conventus*: Sic & initia, seu Mysteria ista, apud Æginetas celebrari solebant. Audiatur Pausanias in Corinthiacis: *Præ cœteris verò Diis in primis He-*

catem colunt Æginetæ, *cujus initia quotannis celebrant*: id quoque testatur Origenes contra Celsum: *Non enim majoris existimationis apud Græcos sunt Mithriaca Sacra*, *quam Eleusinia*, *aut illa*, *quæ apud Æginetas Mysteria Hecates initiatis traduntur*. Aconia igitur Fabia Paulina Hierophantria Cereris, & Proserpinæ, iisque, Taurobolio accepto, sacrata erat Deabus.

ARCANA MENTIS. *Pectoris secreta* Apulejus; & apud Persium

Compositum jus fasque animi sanctosque recessus

Licet omnes inquit Avienus apud Macrobium *Saturn. lib.* 1. *cap.* 7. *qui adsunt*, *pari doctrina polleant*, *sacrorum tamen omnium Vectius unicè conscius*; *potest tibi*, *& originem Cultus*, *qui huic Deo* (Saturno) *penditur*, *& causam festi solemnis aperire*. Et *cap.* 17. Vectium appellat *sacrorum omnium Præsulem*. Evangelus tandem cap. XI. *Religiosorum Principem*.

STVDIIS SIMVL. De Agorii studiis fidem faciunt Ammianus in *Hist.*, Symmachus in *epist.*, Macrobius in *Saturn.* passim, a quo laudatur, quod apud eum *nobilitatis Romanæ proceres*, *doctique alii* congregarentur.

TESSACRIS. *Te Sacris &c. Vacas* nempè *Sacris teletis*, sive *expiationibus*, uti apud Apulejum; *cogor tertiam teletam suscipere*, idest *expiationem*, inquit Beroaldus, *purificationemque*, *ut ter sacratus*, *ter Religioni desponsus fierem beatissimus*.

CLVES. *Celebraris*. Stasimus, Philtoni, in Plauti *Trinum* Act. 1 I.

Mirum ni tu illuc tecum divitias feras
Ubi mortuus sis, *ita sis*, *ut nomen cluet*.

& in *Menechm.* Act. IV. *Res magis quæritur*, *quam clientium Fides cujusmodi clueat*. Unde Glossa *Cluis*, nobilis; *Cluvior*, magis inclitus.

SORTE MORTIS EXIMENS. Congruit cum promissis, quæ apud Apulejum, Sacris Isidis initiato, dabantur. *Vives beatus*, *vives in mea tutela gloriosus*, *& quum spatium seculi tui permensus ad inferos demearis*, *ibi quoque in ipso Subterraneo Semirotundo*, *me*, *quam vides Acherontis tenebris interlucentem*, *Stygisque penetralibus regnantem*, *Campos Elysios incolens*, *ipse tibi propitiam adorabis*.

DINDYMENES ATTEOS. Laudatus Franciscus Bonada qui (candidè fateor) mihi nonnulla in hoc interpretando Lapide lumina prætulit, rectè DINDYMENES exscripserat; in notis verò (*cl.* 1 I.) DIADYMENES; concluditque de Attino *diademato* intelligi debere. Ignoravit fortasse ΔΙΝΔΙΜΕΝΑ cognomen fuisse Cybelis a Dindymo Phrygiæ monte, uti docent Strabo, & Hesichius, ubi ejus sacra fiebant, in quibus Attini formosissimi pueri, quem ipsa vehementissimè adamaverat, Phryges memoriam renovabant. Rectius igitur *Tu*, *qui Taureis teletis honoras Attinum* Dyndimenem: Attinum scilicet, Cybeli Dindymenæ carissimum. ΘΕΑ ΔΙΝΔΥΜΕΝΑ in Ara apud *Donium*. *Dindymi Dominam*, *& Dindymenam Dominam* vocat Cybelem Catullus; Virgilius.

——————— *ite per alta*
Dindyma, *ubi adsuetis biforem dat tibia cantum*
Tympana, *vos buxusque vocant Berecynthia matris*
Ideæ.

Epigramma tandem, quod Jacobus Mazzocchius legit *supra portam* domus Francisci de Sinebarbis

Qui colitis Cybelem, *& qui Phryga plangitis Attin*
Dum vacat, *& tacita Dindyma nocte silent*,
Flete meos cineres &c.

FELIX. MARITVM SI SVPERSTITEM MIHI DIVI . DEDISSENT. Aconia, sui in conjugem amoris, non vulgare specimen posteritati reliquit. Cum enim Vestales, Vettio Agorio, statuam erexissent, ipsa, Cœliæ Concordiæ Vestali Maximæ, statuam pariter erigi jussit. Vestales inter, & Aconiam mutuæ urbanitatis præclarum extat testimonium in luculentissima Inscriptione ab Ant. Vandale *de orig. Taurob.* C. VI. relata:

COE-

COELIAE . CONCORDIAE . VIRGINI
VESTALI . MAXIMAE FAB PAVLINA . C . F
STATVAM FACIENDAM . COLLOCANDAMQVE
CVRAVIT . CVM . PROPTER
EGREGIAM EIVS PVDICITIAM . INSIGNEMQVE
CIRCA . CVLTVM . DIVINVM
SANCTITATEM . TVM . QVOD
HAEC . PRIOR . EIVS . VIRO
VETTIO . AGORIO . PRAETEXTATO . V. C .
OMNIA . SINGVLARI . DIGNOQVE
EIVS . AB . HVIVS . MODI . VIRGINIBVS
ET . SACERDOTIBVS . COLI . STATVAM
COLLOCARAT

SI FVAT SIMILIS . Laudatus Bonada exscripsit TVAI: at in archetypo FVAT . *Fuat* dixerunt veteres pro *sit*, vel *fuerit*, ab antiquo verbo *fuo*, *fuis*, *fuit*, *futum*, uti videre est non tantum apud Plautum *in Captiv.* Act.III. Sc.4.

Atque horunc verborum caussa caveto mihi iratus fuas.

& *in Amphitr.* Act.III. Sc.4.

Ne quis tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi.

sed apud ipsum Virgilium *Æn.* lib.10.

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.

67.

D . LAELIVS . BALBI . L
SATVR VIATOR
VII . EPVLON

SATVR . Cognomen forte ex Patria: SATVRVM enim oppidum Salentinorum apud Stephanum, quod *Satyrium* apud Strabonem.

VIATOR . Septemvirûm Epulonum Viator hic primum occurrit . De *Viatoribus* vide superius num.22.

ARA

68.

ARA

Pars antica.



Ad dextram	*Ad lævam*	*Pars poſtica*
MILONIS AMPHIONIS	MINISTRI LVSTRI SECVNDI	DVILLIVS CEP MARCELLVS

Varii variè Inſcriptionem hanc edidere; nemo recte. Lipſius : M. ANTONI . ANDROMIS, atque inſtrumenta in ſaxo ſculpta perperam delineata. Gruterus eadem Lipſii verba, eadem igitur errata. Muratorius, M. ANTONI. Ita equidem legi debet; at in Lapide abſque interpunctione, MANTONI : omiſit præterea ERILIS nomen ſeſquipedalibus characteribus inſculptum.

Ara quadrangularis eſt. In ſiniſtro latere Camilli viſuntur cæterique Sacrorum Miniſtri, Bovem immolantes, cum titulo MINISTRI . LVSTRI . SECVN::: Luſtri, & Cenſus author fuit Ser. Tullius : edixit enim, ut omnes cives Romani, equites, pediteſque in ſuis quiſque Centuriis, in campo Martio prima luce adeſſent : ibi inſtructum exercitum omnem, ſue, ove, & tauro ſacrificio facto (quod Sacrificiorum genus *Solitaurilia*, & *Suovetaurilia* poſtmodum vocavere) luſtravit : quas hoſtias, quum eas prius circumduci ter circum exercitum juſſiſſet, immolavit; idque conditum Luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt. Quum verò inſtitutum fuerit, ut quinto quoque anno exactò cenſus fieret luſtrumve conderetur, hinc Luſtrum pro quinquennali ſpatio ſumptum eſſe conſtat. Idque *a luendo* dictum ſcribit Varro lib.v. de L. L., quod quinto quoque anno vectigalia, & alia tributa per cenſores perſolverentur.

MINISTRI. In aliis Lapidibus *Magiſtri* vocantur, ut apud Jacobonium in *App.* Cæſiorum *fam.* pag. 288.

SABINAE
AVGVSTAE
MAGISTRI QVINQVENNALES

COL-

COLLEGI . FABRVM . TIGNARIORVM.
LVSTRI . XXIII

& pag. 289.

P . CORNELIVS
THALLVS
P . CORNELI . ARCHITECTI . FIL
MAG . QVINQ . COLL . FABR
TIGNAR . LVSTRI XXVII

Minister verò, ut in nostro, nominatur in alio Saxo apud Ficoronium *Vest. di* R.A. pag. 143.

AISCVLAPIO
AVGVSTO . SACRVM
PROBVS . M . FICTORI . FAVSTI
MINISTER . ITERVM . ANNI . XXXI

Pars Marmoris antica Lituum exhibet, albogalerum, secespitam, serram, dolabram, aliaque fabrilia instrumenta, supposita nominibus ERILIS . MANTONI (*Marci Antonii*) AN-DRONIC. &c.

In latere dextro Palladis signum in medio multorum virorum adstat. Dea clypeata est, atque galeata, & hastata: superius :::: MILONIS . AMPHIONIS .

FICTORI . Prop[illegible] Fictores, inquit Reinesius Epist. 33., sunt[illegible]πλαςαὶ, qui è cera, creta, & argilla formant simulacra, & sigilla, alias *Significes*, Julio Firmico *Plasticatores*, nobis vulgo *Formatori*, quorum antiquissimum Collegium ipsum habuisse Numam auctorem testatur Plutarchus. Erant, & Fictores Vestalium, & Fictores Pontificum; qui nimirum hostias, & victimas ex pane, vel è cera fingebant. Cum enim pauperes veras emere nequirent, hujusmodi simulatas hostias Diis offerebant. Bovem, e myrrha, thure, aliisque odoribus fictum, distributum in magno totius Græciæ conventu ab Empedocle Acragantino, memoriæ prodidit Athenæus *Deipnosoph.* lib. I. cap. 2. Neque inverisimile Fictores istos virorum quoque simulacra formasse, quæ in Amphitheatro tauris aliquando objiciebantur, quod ad Orat. *pro Cornelio* docet Asconius: *Effigies hominum ex fœno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum Tauri irritarentur*. Sunt tamen qui cum Varrone lib. VI. de L.L. sentiunt Fictores istos liba tantum finxisse, quibus Pontifices in sacris utebantur. In parte postica legitur DVILLIVS CEP MARCELLVS.

FACC. *Faciundum curavit*, sive *curaverunt*.

69.

::::AESARIS DIVI
I . O . M BOVEM
:N . DOMITIVS
:ERSICO . COS
ΛΛΡVΙΙΚΙΑΝ
. . . . COLL

DIVI . AVGVST.I . I . O.M . B....
ADFVERVNT . PAVLLVS . FA....
GALLVS . TAVRVS . STATILIVS....
XVI . K . DEC . IN....
IDEM . PRO . MAGISTRO . EX . DEC....
TI . CAESARIS . DIVI . AVGVST.......
TRIBVNIC . POTESTATE . XXXV.....
IMMOLAVIT
::::D . FVERVNT . PAVLLVS . FAP.....
:::::::::LLVS . TAVRVS . STATILI..................
::::::::: NIO . Q . PLAVTIO
:::::::: GALLO MAGISTRO . FRATR..
:::::::IANVARIAS . IN CAPITOLI........
:::::MAG . FRATRVM . ARV...........
:::::CAESARIS . AVG . PONTIFI...
:::::MOLATIS . QVAS . SVPERIO...
::::ROXVMVM . ANNVM . PRA..
:::::O . M.   SI
:MAXIMVS . TRIB . POTEST . X.
::R . QVIRITIVM . ERVNT...
:::IS . SIQVA . SVNT . ERV....
::::M QVE IN EODEM......

Marmor tam turpiter effractum, in quo tot adſunt verba partim mutila, partim omnino conſumpta, illuſtrare, improbus labor: nihilominus pauca dicam, ne vitare tædium voluiſſe videar. Saxum igitur votivum eſt, ſpectatque ad Tiberium Imperatorem, pro cujus ſalute, atque incolumitate (vel alicujus gratulationis cauſa) Promagiſter, & Magiſtri Arvalium, victimas Jovi optimo maximo in Capitolio, per hos Fratres mactare decreverunt.

I. O. M. De Jove O. M. deque ejuſdem cognomentis Cæleſtini, Dolicheni, Conſervatoris, Imperatoris, adi Rycquium cap. xx. Hic de Jove *Imperatore* agi non dubito, ab *imperando*, quod ſcilicet omnibus imperet, dicto: ejus Simulacrum T. Quintus, Præneſte in deditionem accepta, Romam devectum, in Capitolium tulit, dedicavitque inter cellam Jovis, & Minervæ, tabula ſub eo fixa, quæ rerum geſtarum eſſet monumentum.

BOVEM. Bovem marem, ſeu Taurum, peculiarem fuiſſe Jovis victimam conſtat (ut innumera omittam teſtimonia) ex Actis Apoſtolorum cap. 14. ubi narratur Jovis Sacerdotem, BARNABÆ (quem pro Jove haberi a Lyſtrenis noverat) tauros ſacrificare ſategiſſe. *Et vocabant Barnabam Jovem . . . Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros, & coronas ante januas afferens, cum populis volebat ſacrificare*. Bovem tamen *Apollini* atque *Neptuno* ab Argonautis immolatum, tradit Euſtathius: *Muſis* vero a Pythagora, Cicero: *Typhoni* ab Ægyptiis, Plutarchus: *Marti* a Lacedemoniis, plerique docent. Quondam tamen, Solonis lege Bovem ſacrificare adeo nefas fuit, ut Bovem ac Civem mactare, æquè capitale cenſeretur. At legem hanc poſtmodum ab Athenienſibus contemtam fuiſſe liquet ex Gyraldo, a quo feſtivitas quædam Athenienſium laudatur Βουφόνια dicta, in qua bos Jovi mactabatur: de *Buphonio* hoc ſacro etiam Ariſtophanes *in Nebulis*. Ceterum in Jovis Polei ara primum immolaſſe Bovem, Erectheum, Athenis imperantem, quidam ſcribunt.

ΕΛ ΛΡVIIKIAN. Puto ſupplendum PER FRATRES ARVALES. pridie, vel III. KAL. IANVARIAS, h. e. die 31. vel 30. Decembris.

::::ERSICO. COS. Si annus Tribuniciæ poteſtatis XXIIII. Tiberii, annus erat ejuſdem Imperii VIII, uti ex Lapide Panviniano ubi

TI. CAESARI. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS
PONTIF. MAXIM. IMP. VIII. TRIB. POT. XXIIII &c.

tunc dicendum annum Tribuniciæ Poteſtatis XXXV, quem noſter enunciat, Imperii fuiſſe XVIIII., ab V. C. 786. At anno V. C. 786. Plinius *lib*.x., & Tacitus *lib*.v. Conſules comparant C. Ceſtium, & M. Servilium. Liber Cuſpiniani, & Faſti Græci Gallum, & Nonianum. Almelovenius vero atque Noriſius rectius anni hujus conſulatum aſſignant Paullo Fabio Perſico cum L.Vitellio Nepote; noſter vero Lapis, *Perſici*, in conſulatu ſocium, non indicat. Quidam putarunt indicari nomine Cn.Domitii Calvini, aut Cn.Domitii Ænobarbi, quorum alter Conſulatum iniit A.701. alter 722. Verum, quomodo qui Conſul fuerat ann.722. eamdem dignitatem (niſi Neſtoream ætatem attigiſſe dicamus) poſt annos 64. iterum conſequi poterat? præterea, quis unquam vidit unius Conſulis nomen primo caſu inſcriptum; alterius, ſexto? Emendandus denique Petavius, qui *Priſco* ſcripſit pro *Perſico*.

FRATRVM ARV *Fratrum Arvalium*. Sabinus Maſſurius apud Gellium dicit Larentiam Romuli fuiſſe nutricem: *ea*, inquit, *Mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amiſit; in illius locum Romulus Accæ Larentiæ ſeſe filium dedit, ſeque & cæteros ejus filios* Fratres Arvales *appellavit*. Ex eo tempore Collegium manſit Fratrum Arvalium numero XII. At planius loquentem audiamus Fulgentium *de voc.ant.* Acca Larentia Romuli nutrix conſueverat pro agris ſemel in anno ſacrificare, duodecim filiis ſuis ſacrificium præcedentibus: unde cum unus mortuus eſſet, propter Nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti ſe ſuccedere pollicetur; unde ritus proceſſit cum XII. jam deinceps ſacrificare, & Arvales dici Fratres, quorum Sacerdotii in iſto aliiſque Capitolinis lapidibus ſermo eſt, uti mox videbimus. Pomærium, diſtrictum totum intra V. & VI. lapidem, cæſis victimis, & fines obeundo luſtrare officium erat Arvalium. Lucanus lib.1.

Mox jubet, & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtro,
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, ſacri quibus eſt promiſſa poteſtas.

Anaglyphum opus, Arvale effingens ſacrificium, vulgavit Andreas Adamius *in hiſt. Vulſin.* lib.1. hujuſmodi



Verumtamen Arvales hos Fratres aliis etiam adfuiſſe ſacris, potiſſimum cum pro publica, aut Imperatoris ſalute, & incolumitate fierent, liquet ex noſtro hoc ſaxo atque ex ſequentibus. Advertendum literas D.G.M.Q.T.X inſculptas eſſe ſic

D·G·M·Q·T·X

INSI-

Insignis hæc Tabula extabat olim in Villa Sabellorum vulgò *Montalto*, hodie vero Negroniorum, ſed ſordium ſqualløre fœdata, ac negligentia magis, quam vetuſtate collapſa: In duas partes diviſa eſt Tabula. In prima recitantur Vota nuncupata de more die tertia Januarii pro ſalute Imp. Veſpaſiani Cæſ. Aug.Trib. Pot. Cos.VI. At cum jam hujus anni Conſules notati ſint Cejonius Commodus, & Novius Priſcus, manifeſtum eſt aut erratum irrepſiſſe in Faſtis Capitolinis, aut illos *Suffectos* fuiſſe non *Ordinarios*, uti ſcitè animadvertit Sponius in *Miſcellaneis*, immeritoque negavit *in Epiſt.Conſul.* Noriſius. Hanc fortaſſe repugnantiam vidit etiam Muratorius, ideoque omiſit τὸ COS in prima linea. In ſecunda ſignatur cooptatio C.Salvii Liberalis Nonii Baſſi in Collegium Arvalium, in locum C.Matidii Patruini demortui.

L. CEIONIO ::::MODO. *Lucio Cejonio Commodo*, cui perperam Leunclavium *in ind.lib. 66.* Dionis, cognomen VERI ſuperaddidiſſe demonſtrat Noriſius *loc. cit.* p.47. & 49. Hic proavus Veri Auguſti, qui cum Marco Aurelio patre imperavit; Avus Ælii Cæſaris, quem Adrianus adoptavit; Pater demum L.Commodi Veri, qui ſub Trajano Conſul fuit, a Panvinio dicitur: Cejonius Commodus alter nominatur in Faſtis, ſed qui Conſul fuit primò cum L.Tutio Cereale: ſecundo cum Sex.Vetuleno Civica Pompejano: vide eumdem Noriſium

D. NOVIO PRISCO. Male Panvinius, male Petavius & Almelovenius C. CORNELIO pro D. NOVIO. Hujuſce Priſci mentio eſt apud Tacitum *Ann. lib.* xv. *Novio Priſco per amicitiam Senecæ, & Glitio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis magis, quam convictis data exilia. Priſcum, Antonia Flacilla* (Noriſius *Fadilla*, ſed minus recte) *conjux comitata eſt*. Nerone tandem ſublato Romam regreſſus hoc anno C. 78. Conſulatum inivit.

MAGISTERIO. Cum ſcilicet *Magiſterio* Collegii Fratrum Arvalium fungeretur C. Matidius Patruinus: *Promagiſterio* vero L.Veratius Quadratus, qui nomine Arvalium vota pro Veſpaſiani, atque Titi ejus filii ſalute nuncupaverunt. Altera extat apud Donium inſcriptio in qua M. Ænnius Vincianus nominatur *Promagiſter Magiſterii*. Votorum hæc nuncupatio fiebat pro Principis incolumitate anni initio. Calendis ipſis hæc vota ſuſcipi Tacitus ſentire videtur, qui Thraſeæ objectum ſcribit, quod principio anni ſolenne jusjurandum vitaret, nuncupationibuſque (pro Neronis ſalute) votorum, quamvis Quindecemvirali Sacerdotio præditus, non adeſset. Cajus tamen J.C. l.233. *de Verb. ſignif. Poſt Calendas Januarias*, inquit, *die tertio pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur*. Addit Tertullianus *in Apolog.* tum ſolitos Cives focos, & choros in publicum educere, vicatim epulari, Civitatem tabernæ habitu abolefacere, catervatim curſitare, *vino lutum cogere*. Vota hæc perſoluta etiam in Provinciis conjicitur ex Plinio, qui *Epiſt.* lib.x. 44. hæc Trajano ex Bithinia ſcripſit. *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcepimus, Domine, & ſolvimus, precati Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari*. Eadem eodemque libro *Ep.*101. & 69., *Diem Domine, quo ſervaſti Imperium, dum ſuſcipis, quanta mereris lætitia celebravimus, precati Deos, ut Te generi humano, cujus tutela & ſecuritas ſaluti tuæ commiſſa eſt, incolumem, florentemque præſtarent*. Hinc VOTA PVBLICA, VOTA SVSCEPTA, VOTA SOLVTA in tot Auguſtorum Numiſmatum inſcriptionibus.

IM EAVERBAQISSS. *In ea verba quæ ſupra ſcripta ſunt*: h. e. iis uſi verbis, ſeu formulis, quæ ut ex hoc loco patet, in publicas tabulas referebantur. *Nuncupata* dicuntur *vota*, inquit Feſtus, *quæ Conſules, Prætores, cum in Provincias proficiſcuntur, faciunt: ea in tabulas, præſentibus multis, referuntur*. Hujuſmodi Tabularum meminit quoque Svetonius *in Aug. cap.*97. cum ait: *Vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe, quamquam conſcriptis, paratiſque jam Tabulis, negavit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus*. His votorum nuncupationibus non adeſſe crimen erat, uti de Thraſea notavimus. Crimini ſane datum

70. *

Quare Asteriscus vide Prælo-quium.

L CEIONIO ·:·:·:·:·:·:·:· MODO CoS
D · NOVIO ~ PRISCO

III . NON . IAN

MAGISTERIO . L . MATIDI PATRVINI . PROMAGISTRO . IVERATIO . QVADRATO COL
LEGI . FRATRVM . ARVALIVM NOMINE VOTA NVNCVPAVERVNT . PROSALVTE
IMP . VESPASIANI CAESARIS . AVG TRIB . POT . COS . VIII . ET . T . CAESARIS . AVG F
VESPASIANI . COS VI . VICTIMISIMMOLATIS . IN CAPITOLIO . QVAS . SVPERIO
RISANNI . MAGISTER . VOVERAT . PERSOLVITET . INPROXIMVM . ANNVM . NVN
CVPAVIT . PRAEVNTE . *sic* L . VERATIO . QVADRATOINEA VERBA Q . I . SS
IOVI . OPT . MAX . BOVEM . MAREM . IVNONIREGINAE . VACCAM . MINERVAEVACC
SALVTI . VACCAM
ITEM PRO . T . IMP . VESPASIANO CAESARE . AVGEIDEM VERBIS . QSSIOVI . OPT . MAXIM
BOVEM . MAREM . IVNONI . REGINAE . VACCAM . MINERVAE VACCAM . SALVTI . VACC
IN COLLEGIO . ADFVERVNT L. VERA.·.IVS . QVADRATVS . C. TADIVS . MEFLIANVS . Q. TILLI
VS . SASSIVS . L . MAECIVS . POSTVMVS A . IVLIVS . QVADRATVS C . VIPSIANVS . APRONI
.·.NVS ISDEM . COS VI . IDVS . IAN . INAEDE . CONCORDIAE . ADSTAN
TIBVS . FRATRIBVS ARVALIBVS MAG C. MATIDI . PATRVINI . PROMAGLVERATIO
QVADRATO . COLLEGI . FRATRVM . ARVALIVM . SACRVMINDICTVM . DEAEDIAE
PRAEVNTE . L . MAECIO POSTVMO IN DIEM . VI . K . IVN . DON
IIII . K . IVN . INLVCO . ETDOMI III K IVN . DOMI . INCOLLEGIO . ADFVERVNT
L . VERATIVS . QVADRATVS . C . VIPSIANVS . APRONIANVS . L . MAECIVS . POSTVMVS
C . IVNIVS . TADIVS MEFLIANVS . A . IVLIVS . QVADRATVS . ISDEM COS . K . MART
INAEDE CONCORDIAE ADSTANTIBVS . FRATRIBVS . ARVALIBVSEXTABELLA . IMP
CAESARIS VESPASAI AVG . MISSAS . C . SALVIVM . LIBERALEM . NONIVM . BAS
SVMINLOCVM . C . MATIDIPATRVINI DEMORTVI . COOPTAMVS . IN COLLEGIO . AD
FVERVNT . L . VERATIVS QVADRATVS . C . VIPSTANVS . APRONIANVS . LMAECIVS
POSTVMVS . C . SALVIVS . LIBERALIS NONIVS BASSVS . ISDEM . CoS
MAGCSALONI . MATIDIPATRVINI INCVS . LOCVM . SVCCESSIT . OBIITMAGISTERIVM
EODEM . ANNO ISDEM COS . KMARTPSALLVSTIVS BLAESVS . ISDEM CoS VIDMART
INAEDE CONCoRDIAEMAGPSALLVSTIVS . BLAESVS . COOPTATVS . INLOCVM C . M·.·.
PATRVINI . COLLEGIFRATRVM ARVALIVM . CONVOCAVIT . FLAM·.·.·.·.
LVERATIVM QVADRATVM
IN COLLEGIO ADFVERVNTP . SALLVSTIVS . BIA.·.SVS : Y . VERATIVS C.·.·.·.·.
POSTVMVSCIVNIVSMEFLIANVS AIVLIVS QV. . . . .
NONIVS BASSVS

IVIA SIONE

Characterum specimen exhibeo


INCOLLEGIO · ADFVERVNT ·· QVADRATVS .... FRATRIBVS
ARVALIBVS MAG. EXTABELLA · IMP CAESARIS.



tum Chriſtianis, læſæque Majeſtatis eos accuſatos, quod pro ſalute Imperatorum vota non facerent, teſtatur Tertullianus *loc. cit.* & iterum in lib. *ad Scapulam*, ubi hæc: *Sed iidem ipſi, qui per Genios eorum pridie uſque juraverant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant, & voverant, qui Chriſtianos ſæpe damnaverant, hoſtes eorum ſunt reperti.*

VICTIMIS IMMOLATIS. Quæ victimæ immolarentur, mox notatur lin. 10. nimirum IOVI Bos, ſive Taurus: hæc Taurorum immolatio non tantum apud Gentiles in uſu fuit, ſed etiam apud Iſraelitas, quod exprobavit Deus per Oſeam *cap.* XII. II. JUNONI vero Reginæ, MINERVÆ, & SALVTI Vacca, quam apud quoſdam Ægypti populos mactare nefas, uti docet Stucchius p. 44.

IN CAPITOLIO. In templo ſcilicet Jovis Capitolini ſeu Optimi Maximi. De hoc magnificentiſſimo Templo, a quibuſdam prope Saxum ſive Rupem Tarpejam, ab aliis ubi nunc Cœnobium Aracælitanum, ſito, alias egimus: hic Scenographiam dabimus, quam Juſtus Rycquius in eruditiſſima antiqui Capitolii deſcriptione *cap.* I. hoc pacto delineavit.



In eo Cellas habuerunt Juno atque Minerva, a Tarquinio Priſco poſt ultimum bellum Sabinum ex voto excitatas teſte Dionyſio lib. III. *Jupiter* nempe mediam tenebat Ædem, dextram *Minerva*, ſiniſtram *Juno* ſub eodem tecto atque Pinnaculo. Ita Victor in deſcriptione Regionis IIX. *Templum Jovis* O. M. *in quo erant tria Delubra; medium* Jovis, *dextrum* Minervæ, *lævum* Junonis. Ex hoc intelligitur Ovidii locus, ideſt *Triſt. lib.* II.

Cum fuerit Jovis *æde, Jovis ſuccurret in æde*
Quam multas matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti Junonis *templa, ſubibit*
Pellicibus multis indoluiſſe Deam.
Pallade *conſpecta, natum de crimine virgo*
Suſtulerit quare, quæret, Erichtonium.

Ædem, Junoni Reginæ ſacram extitiſſe alteram in Circo Flaminio tradit Livius *Dec.* IV. *lib.* 10. *M. Æmilius petit a Senatu, ut ſibi dedi-*

catlonis Templorum Reginæ Junonis, & Dianæ, quæ bello Ligustico ante annos octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur ..... Dedicavit eas Ædes utramque in Circo Flaminio. Ex hac Tabula, ex sequenti, ex aliis Muratorianis, & Donianis, item ex Historicis liquet Votorum nuncupationem atque solutionem fieri solitam in Capitolio, veluti Deorum imperii præsidum præcipua sede. Obsecrationum formulam recitat Valerius Max. lib.v. cap.9. ubi Paulus Æmilius sic fatur IOVEM O.M. IVNONEM REGINAM & MINERVAM *precatus sum ut si adversi quid* P.R. *immineret, totum in meam domum converteretur*. Altera venustissima legitur in Oratione ad Equites, *de Exsulio*,, M.Tullio falso inscripta, nempe: *Nunc ego te* IVPITER O.M. *cujus nutu ac ditione sola terrarum gubernantur: teque particeps connubii, socia regni* REGINA IVNO; *teque Tritonia armipotens Gorgone* PALLAS MINERVA: *cæterique* DI, *Deæque immortales, qui excellenti tumulo civitatis sedem* CAPITOLII *incolitis, oro, atque obsecro, ferte opem*; quam religionem in vetustis etiam Lapidibus notavimus. Ita in Mediolanensi.

IOVI . O . M .
IVNONI
MINERVAE
Q . V . G . V . S . L . M

& in Albajuliensi.

I . O . M
IVNONI REGINAE
MINERVAE
L . ANNIVS . ITALICVS
HONORATVS

Immo in Nummis Trajani, & Antonini Pii quorum typos exhibeo, in quibus Jupiter cum Aquila, Juno cum Pavone, & Minerva cum Noctua visuntur.









SALVTI. Quæ & Hygia a græca voce ὑγιία SANITATEM significante dicta est, Æsculapii filia, atque præcipua Medicinæ Dea. Templum Salutis quod Consul voverat, Censor locaverat, Dictator tandem dedicavit Junius Bubulcus teste Livio: hoc deinde colorasse Fabium Pictorem docet Plinius lib.35. *Ipse*, inquit, *ædem salutis pinxit anno Urbis conditæ* CCCCL; *quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta*. De Templi loco differunt, at non conveniunt inter se Antiquarii: quidam enim ponunt in Valle Quirinali, ubi nunc Ecclesia S.Vitalis; quidam, ac rectius probabiliusque prope Quirini sacellum, atque signanter vel ubi hodie summi Pontificis Palatium, vulgo *Montecavallo*, vel in ipso Columnensium Principum viridario, juxta Ecclesiam D. Silvestri Theatinorum. Alterum Salutis Templum Fabricius collocavit ubi nunc S. Mariæ novæ Olivetanorum, seu D.Franciscæ Romanæ cœnobium. Alterum Saluti publicæ erectum statuisque ornatum ab Augusto idem Auctor asserit; quartum tandem a Mœcenate cum morbo gravi liberatus esset: unde eleganter Horatius Carm. lib.2.

Red-

——————— *Reddere victimas*
Ædemque votivam memento;
Nos humilem feriemus agnam.


Festus tamen Portam, *Salutarem* appellatam nominat, *quod ei proxima fuit Salutis ædes*. Neque ex eo quod Vota Saluti nuncuparentur in Capitolio statuendum est ibidem Sacellum aliquod hanc Deam habuisse, sed Simulacrum tantum in ipso Jovis Capitolini templo, cum Junonis, & Minervæ aliorumque Deorum Statuis.

C. VIPSTANVS APRONIANVS. Male Panvinius, Petavius, & Almelovenius VIPSANVS APRONIANVS. Hic enim, & alibi VIPSTANVS. Ita R. H. scriptores Anglicani VIPSTANVM appellant Mesallam illum, qui laudatur in Taciti, vel potius Quintiliani de Oratoribus Dialogo. Cassium istum Vipstanum Apronianum fuisse Consulem A.C. 59. cum C. Fontejo Capitone narratur ab omnibus fere Fastorum collectoribus.

IN AEDE CONCORDIAE. Concordiæ ædes extabat supra Comitium, ad Vulcani aream: verum hic de æde Concordiæ agitur ex S.C. post secundam Gracchanam seditionem condita, quam Festus, Victor, atque Plutarcus inter Capitolium & Forum sitam asserunt. *Postridie concione habita*, inquit *in Camilli vita* Plutarcus, *scriptum est, ut templum Concordiæ in rei memoriam, ad Forum, & Comitium spectans ædificaretur*: hanc prope carcerem Tullianum seu Mamertinum collocavit Dio *lib. 57. eodemmet die Senatus coactus prope Carcerem in æde Concordiæ* &c. ex quo patet Magistratum cum senioribus in Concordiæ templo deliberare solitum: ita Sallustius *Bell. Catilin.* in fin. *Reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet; eo Senatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis Volturcium cum Legatis introducit*. Communiter ergo Antiquarii octo illas, quæ adhuc ad Capitolii radices Septimii Severi arcum versus supersunt, columnas, reliquias hujusce Templi esse opinantur, in cujus epistylio notissima hæc legitur Inscriptio

SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS
INCENDIO . CONSVMPTVM . RESTITVIT

Scio alios eruditissimos viros aliter opinari; at quæ ab iis obiiciuntur argumenta, non mihi præponenda videntur rationibus, quibus communis innititur sententia. Templi hujus scenographiam accipe ex eodem Rycquio



ADSTANTIBVS FRATRIBVS ARVALIBVS. De his sup. rursumque inferius. Constat ex hoc, Arvalium Collegium jus habuisse interveniendi Sacris quocumque in Templo pro salute Principis celebrarentur; ejusdemque Collegii Magistros, Promagistros,

ſtros, & Sacerdotes nulli peculiari Deo addictos, uti ceteros fuiſſe compertum eſt; nempe Potitios, & Pinarios *Herculi*; Gallos, & Corybantes *Cybeli*, Salios *Marti*, Fanaticos *Bellonæ*, Lupercos, *Pani Lyceo*. Fratres igitur Arvales hic adſtant *ſacro indicto Deæ Diæ*, ſcilicet (uti alias) *Deæ Juventutis*; non juxta Phil. a Turre, & Joh. Clericum, *Junoni*, neque juxta Fæſchium, & Sponium *Opi*.

PRAEVNTE . L . MAECIO POSTVMO. Nimirum dictante preces, ſeu votorum nuncupandorum formulas L. Mecio Poſtumo: eo pertinet illud Juvenalis *Sat.6*.

——————— *dictataque verba*
Protulit

ubi vetus Interpres, *dictata a Sacerdote vel Haruſpice*: ita Val. Flaccus in Argon.

——————— *dictat pia verba Sacerdos*.

Gellius N. A. lib.13. *Comprecationes*, inquit, *Deorum quæ ritu Romano fiunt, expoſitæ ſunt in libris Sacerdotum* P. R., *& in pleriſque antiquis orationibus: in iis ſcriptum eſt* Laciam *Saturni*, Valaciam *Neptuni*, Horam *Quirini*, Majum *Volcani*, Nerien *Junonis*, Molas *Martis*, Nerienem *quoque Martis*. Notandum inſuper in ſolennibus votis non modo præiiſſe aliquem, veluti *Phonaſcum*, verum etiam adhibitos appoſitoſque fuiſſe Cuſtodes, & obſervatores, vota nuncupantibus qui attenderent. Hinc Seneca de Clem. lib.1. *Quid pulchrius eſt, quam vivere optantibus cunctis, & vota non ſub* Cuſtode *nuncupantibus*? Vide Plinium lib.28. Hic ergo verba præivit L. Mæcius, formulamque Votorum pro Veſpaſiani & Titi F. ſalute ab adſtantibus recitandam pronunciavit, quod Italice *intonare* dicimus. A Magiſtratibus certe, & Populo vota *præeunte* Pontifice Max. ſuſcipi, & nuncupari conſueviſſe, nemini obſcurum puto. *In Capitolio*, ſcribit Livius lib.41. *vovit Conſul ludos fieri: præeunte verba Lepido Pontifice Max. id votum ſuſceptum eſt*. Ita lib. 4. *Obſecratio a populo Duumviris præeuntibus eſt facta*. Audiatur tandem Svetonius in Claudio *cap.22*. *Obſervavitque ſedulo* (Claudius Imp.) *ut quoties terra in urbe moviſſet, ferias, advocata concione, Prætor indiceret: utque ob dira aut in urbe, aut in Capitolio viſa, obſecratio haberetur; eamque ipſe jure Pont. Max. commonito pro Roſtris populo Romano* præiret.

IN LVCO ET DOMI. Votorum in Concordiæ templo ſuſceptorum reiteratio fiebat, uti opinari licet, Domi; nimirum in Pontificis Max. vel Arvalium ædibus, & in ejuſdem Templi luco. Lucos enim & arboreta Diis ſacra juxta templa in quibus colebantur ſeviſſe ſæpe Gentiles atque ordinaſſe compertum eſt: hinc lucus Jovis Fagutalis, lucus Lucinæ, lucus Lavernæ, lucus Semeles, lucus Libitinæ, lucus Mavortis, lucus Veſtæ.

Hæc ad primam noſtræ tabellæ partem attinent. Secunda, cooptationem enunciat C. Salvii Liberalis Nonii Baſſi, qui in locum L. Matidii Patruini demortui, ab Arvalium Collegio inter *Fratres* adſcriptus eſt.

EX TABELLA Imp. Cæſaris Veſpaſiani *miſſas* (miſſa). *Ex tabella*, ideſt *juſſu Veſpaſiani in tabella expreſſo*; quod nos *per viglietto* communiter dicimus. Ex hoc colligitur Sacerdotium quo fulgebant Arvales, inter præcipua Ethnici cleri, & honorabiliora habitum; hoc enim unicum *ex* ejuſdemmet Imperatoris *tabella miſſa* traditum cenſeo. Sacerdotium certe iſtud, cujus inſignia fuere ſpicea corona, & albæ infulæ, nunquam, niſi cum vita, amittebatur, & exules etiam, teſte Plinio *lib.17*. captoſque comitabatur.

SACRVM INDICTVM. *Indicere* idem eſt ac *denunciare*, ſed rectius ſolemniter, ac quadam cum auctoritate ſpectaculum futurum quod vis, ſive ſacrum, ſive prophanum, *ſignificare*: dicimus etiam indicere bellum, tributum, concilium, juſtitium, funus, & ſimilia: italice, *intimare*, *bandire*.

INCVS LOCVM. *In cujus locum*. Advertendum Marmoris orthographiam mendis eſſe refertam; litteraſque fere omnes imperitiſſime ſculptas, quas inter, (præter A ad inſtar lambdæ Λ) quinquæ iſtæ G. M. Q. T. V. Anfractus inſuper occurrunt in COOPTATIS: nam primo, *in locum* Matidii Patruini,

coo-

cooptatus dicitur *Salvius Liberalis* : mox, *in locum* ejusdem Patruini, P. *Sallustius Blæsus*: quomodo duo in locum unius successerint, non intelligo.

Muratorius suam, vel schædarum suarum Auctoris in hoc describendo Fragmento jactat diligentiam, idque depravatum dedisse Sponium in *Miscell. lect.* 1. *art.* 2. testatur; idem vero depravatissimum edidisse ipsum Muratorium testor ego, qui Tabulam Capitolinam ocular iter, atque attentissime inspexi, cumque hoc exemplari non semel contuli. Hinc quamquam vere Sponius Inscriptionem admodum inemendatam vulgaverit, vide quæso benigne Lector, utrum Muratorio (in describendis Marmoribus præ cunctis indiligenti) quempiam reprehendere licuisset.

1. Supplementa & emendationes, seorsim notandas, Lapidi ipsi, eisdemque characteribus signatas inseruit.

2. Omittit, in prima linea, COS.

3. Verba atque lineas perperam, ac ad libitum ordinavit.

4. PADIVS scribit pro *Fadius*.

5. IN DIEM VI. IVN. superaddit K,

6. Pro QISS. nempe quæ infrascripta sunt ponit QVAE SSS. h. e. quæ supra scripta sunt.

7. lin.20. hæc penitus omittit, nempe III. N IVN. DOMI.

8. lin.24. Marmor VESPASAI. Muratorius VESPASIANI.

9. in lin.33. & 35. addit QVADRATVS qui in textu Capitolino desideratur.

10. in lin.34. superaddit L. MECIVS qui pariter deest in archetypo, quique saltem cum diphtongo scribendus.

11. METILIANVS in lin.35. pro MEFILIANVS.

12. IN CVIVS, pro *incus* uti (licet erroneè) in saxo lin.28.

13. In fine demum, hoc omisit fragmentum, omisso pariter a Sponio, & ab ipso Fabretto Sponii correctore altero.

IVIA SIONE

quod quamquam inenodabile, haud erat omittendum.

Ideo verborum litterarumque in lapidibus accessio aliquando toleratur, quia forte cum exscriberentur, tunc in Marmore nondum abraso, aut mutilo apparebant; omissio vero & adulteratio earum, quæ adhuc extant, quomodo excusari possit, non video. Sponius vero in pluribus emendandus: scribit enim

PRAEEVNTE pro *PRAEVNTE*
QVAESSS, pro *Q.I.SS*.
PADIVS pro *TADIVS*
LVCO EIDOMI pro *LVCO ET DOMI*
FVERVNT pro *ADFVERVNT*
FLAM. pro *ET*.

Fabrettus denique, magnus ille Fabrettus, perperam scripsit (quod vix credibile) NVMERIVM BASSVM, ubi perspicue, ac per extensum NONIVM BASSVM habet Tabula. Sic, vitioso quodam circulo Muratorius & Fabrettus Sponiana exemplaria emendarunt; ego Fabrettiana, & Muratoriana; aliquis forte mea.

Quattuor potissimum hæc Tabula exhibet argumenta.

1. *Dedicationem Capitolii.*

2. *Piaculum in luco Deæ Diæ.*

3. *Actus per quos loca in Capitolio Arvalibus adsignantur.*

4. *Votorum pro Vespasiani salute nuncupationem.*

Capitolium voverat Tarquinius Priscus, bello Sabino, jaceratque fundamenta, *spe magis futuræ magnitudinis*, inquit Tacitus, *quam quod modicæ adhuc Populi Romani res sufficerent.* Idem, pulsis Regibus, Horatius Pulvillus iterum Consul dedicavit. Ter arsisse narrant Historici. *Semel* Scipione, & Norbano Coss. per bella civilia Mariana, seu Æditui negligentia, seu incerta culpa vel fraude anno V. C. 670. scilicet 415. postquam a Pulvillo fuerat consecratum. Ejusdem restituendi curam suscepit Sylla, neque tamen dedicavit; id Lutatio Catulo contigit, cujus nomen in fastigio Capitolino, ad Vitelliana usque tempora mansit. *Iterum* Vitelliano bello; de secunda hac ædium Capitolinarum conflagratione adeundus est idem Tacitus Hist. lib. III. ubi sic. *Ambigitur ignem tectis oppugnatores* (nempe Vitelliani) *injecerint, an obsessi* (Flaviani) *inde lapsus ignis in porticus appositas ædibus, mox sustinentes fastigium Aquilæ vetere ligno traxere flammam, alueruntque; sic Capitolium clausis foribus indefensum, & indireptum conflagravit. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum fœdissimumque Reipublicæ populoque Romano accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, Deis. Sedem Jovis O. M. auspicato a Majoribus pignus Imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe, neque Galli capta temerare potuissent, furore Principum exscindi. Arserat & ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum.* Suscepto Imperio instauravit Vespasianus pater, instaurandique curam in L. Vestinum contulit. *Tertio*, postremis Titi imperii diebus; teste Xiphilino: *Tito, ad visendam calamitatem Campaniæ profecto, multa Romæ conflagraverunt. Nam Serapidis ac Isidis fana, Septa, templum Neronis, balneum Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, theatrum Balbi, scæna Pompei, Octaviana ædificia una cum libris, templum Jovis Capitolini, cum proximis Templis igni consumpta sunt*; & tunc a Domitiano magnificentissime refectum fuit, cujus impensam duodecim millia talentorum excessisse autumat Plutarcus. Theodoricus tandem Gothorum rex, insignisque animi Princeps, miseratione motus, ut innuit Cassiodorus, pulcherrimæ urbis, Capitolium reparare conatus est; sed cum omnino desererentur Gentilium sacra, Populusque Romanus, Prudentio teste

—— paucis Tarpeja in rupe relictis
Ad sincera virûm penetralia Nazareorum
Atque ad Apostolicos Evandria Curia fontes

curreret quotidie, vim fati effugere non potuit. Hinc D. Hieronymus ad Lætam: *auratum squallet Capitolium; fuligine, & aranearum telis, omnia Romæ templa cooperta sunt*: idem afferunt Ambrosius, Augustinus, & Arnobius. At cui hæc in nostro marmore enunciata Capitolii restitutio, an scilicet T. Flavio Vespasiano, Titi, Domitianique patri, an Domitiano filio sit adsignanda, incertum mihi prorsus videtur adversus Philippum a Turre, qui absque ulla hæsitatione id Patri tribuit in inscript. Aquilii commentariis. Utrumque Capitolium instaurasse constat ex Tacito, Svetonio, atque Plutarco. Sed quomodo conciliari possit nomen Vespasiani cum nomine Domitiani libenter audirem. Porro nec Vespasianus pater unquam *Domitiani*; nec Domitianus unquam *Vespasiani* nomen prætulit, uti abunde colligitur, non ex Scriptoribus tantum, sed ex Nummis, ex Fastis, atque ex vetustis Lapidibus. In tertia tamen hujusce Tabulæ linea perspicue legitur:

VESPASIANVS . AVG . CAESAR . DIVI . F . DOMITIANVS

nimirum *Vespasianus Augustus Cæsar Divi Filius Domitianus*. In duodecima vero

AB . IMP . T . CAESARE . VESPASIANO . AVG.

Ne-

71. *

Quare Afteriſcus vide Prælo-quium.

. . . .VS.CC
. . . .MISIT.QVOS
. . . .VESPASIANVS.AVG.CAESAR.DIVI F.DOMITIANVS
. . . .VIVIRTANVS APRONIANVS.CIVINIVS.TADIVS.MEFITANVS.T.VERATIVS
. . . .TEIVS.VOPISCVS.ARRVNTIVS.CATELLIVS.CELER.TI.IVLIVS.CANDIDVS.MARIVS
. . ..VISI LVS . SASSIVS.................
......COS.IIS.K IVN.INDOMO.L.VENVLEI.APRONIANIMAG.ADPERAGENDVM.SACRIFICIVM
PERFRATRES.ARVALES.EPVLANTES.ET.FRVGIBVS.MINISTRANTIBVS.PVERIS.INGENVIS.PATREMIS.ET
MATRIMIS.SENATORVM.FILIS.REFERENTIBVS.ADARAM.INPATERIS
:: TITILOFRVG.L.T.VINICIO.IVLIANO COS VII.IDVS.DECEMBR.INCAPITOLIO.INAEDEM.OPIS
SACERDOTES.CONVENERVNT.AD.VOTA.NVNCVPANDA.ADRESTITVTIONEM.ET.DEDICATIONEMCAPI
TOLI.ABIMPTCAESARE.VESPASIANO.AVG

INCOLLEGIO.ADFVERVNT.L.VENVLEIVS.APRONIANVS.C.VIPSTANVS.APRONIANVS.L.VERATIVS
QVADRATVS.L.POMPEIVS VOPISCVS.ARRVNTIVS.CATELLIVS.CELER C.IVNIVS.TADIVS.MEFITANVS
P.SALLVSTIVS BLAESVS

L.FLAVIO SILVA.NONIOBASSO ASINIO.POLLIONE.VERRVCOSO COS XVIII K FEBR
INLVCO.DEAE.DIAE PIACVLVM FACTVM.PER CALATOREM.ET.PVBLICOS.EIVS.SACERDOTI.QVOD ARBOR
AVETVSTATE DECIDIT EXPIANDVM . PORCAM.ET.AGNAM OPIMAM

I.VETTIO PAVLLO T.IVNIO.MONIANO COS K.MAIS.IN LVCO DEAE.DIAE.PIACVLVM
FACTVM.PER.CALATOREM.ET.PVBLICOS.EIVS.SACERDOTI.OB.FERRVM.INLATVM INAEDEM.SCRIPVR
CAVSSA.PORCAM.ET.AGNAM.OPIMAM

ISDEM .COS.II.IDVS.MAIAS.INLVCO.DEAE.DIAE.PIACVLVM.FACTVM.PERCALATOREM ET PVBLICOS
EIVS SACERDOTI.OB.FERRVM.DEAEDE.ELATVM.PORCAM.ET.AGNAM.OPIMAM

LOCA.ADSIGNATA.INAMPHITEATRO (a)

L.AELIO.PLAVTIO.LAMIA.Q.PACTVMEIOFRONTONE.COS

ACCEPTVM.AB.LABERIO.MAXIMO PROCVRATOREPRAEF.ANNONAE

LVRNNVIEIO APRONIANO MAG.CVRATORE. THYRSO . L
FRATRIBVS.ARVALIBVS.MÆNIANO.I.CVN.XII.GRADIB.MARM.VIII.GRADVI.PV
GRADVIII.PED : V . : L.EPED.XXXXIIS.GRADV.I.VNO.P.XXIIS.ET.MENIANOSVMMO
II . CVN . VI . GRADIB . MARM . IV . GRADV . I . VNO . P : XXIIS . ET . MAENIANO
SVMMO . IN . LIGNEIS . TAB . LIII . GRADIBVS . XI . GRADV I N . V .....
ƆXCI . PED . VS .Ɔ F . PED . LXIIIS...S
SVMMA . PED . CXXVIIIIS.....S

L.FLA-

(a) In hujuſce Tabulæ illuſtrationis exordio, ubi legitur (p.126.) *Actus per quos loca in Capitolio* &c. legatur *Actus per quos loca in Amphitheatro* &c.

L.FLAVIO·SILVANONIO.BASSO
ASINIO·POLLIONE·VERRVCOSO COS

III . NONAS IAN

MAGISTER.C.IVNIVS.TADIVS.MEFITANVS.COLLEGI.FRATRVMARVALIVM.NOMINE.VOTA.NVNCVPAVIT
PROSALVTE.IMP.TITI.CAESARIS.DIVIFVESPASIANI.AVG.PONTIF.MAX.TRIBVNIC.POTEST.COS.VIII.ET.CAESAR.…
DIVI.F.DOMITIANI.COS.VII ET.IVLIAE.AVG.LIBERORVMQVE.EORVM.VICTIMIS.IMMOLATIS.INCA
PITOLIO.QVAE.SVPERIORIS.ANNI.MAGISTER VOVERAT.PERSOLVIT.IOVI.O.M.BOVES MARES . II

VNONIREGINAE.VACCAS.DVAS.MIRERVAE.VACCAS.II.SALVTI.PVBLICAE.VACCAS II.ET IN
PROXIMVM.ANNVM.NVNCVPAV.…PRAEVNTE.POMPEIO.VOPISCO.C.ARRVNTIO CA
TELLIO.CELERE.IN.EA.VERBA.QVAE.INFRA.SCRIPTA.SVNT

IVPPITER.O.M.SI.IMP.TITVS.CAESAR.VESPASIANVS.AVG.PONTIF.MAX.TRIB.POTEST.P.P.
ET.CAESAR.DIVI.F.DOMITIANVS.QVOS.NOS.SENTIMVS.DICERE.VIVENT.DOMVSQVE
EORVM.INCOLVMIS.ERIT.A.D.III.NON.IAN.QVAE.PROXIMAE.P.R.Q.REI.P.P.R.Q
ET.EVM.DIEM.EOSQVE.SALVOS.SERVAVERIS.EXPERICVLIS.SIQVA.SVNT
…VM.DIEM.EVENTVMQVE BONVM.ITA.VTI.NOS.SENTIMVS.DICERE
…V QVO.NVNC.SVNT.AVT.EO. MELIORE.SERVAVERISASITV.…
…NE.COLLEGI.FRATRVM.ARVALIVM.BVBVS AV.…
…M
…TIS.II. VOVIMVS.ESSE.FVTV.…
…BI.INEADEM. VERBA.NO.…

Characterum specimen

INAEDEMOPIS SACERDOTES·CONUENERUNT·AD·UOTA NUNCUPANDA
LOCA·ADTIGNATA·INAMPHIEATRO

Neque ambagem oriri autumo ex *Titi* prænomine; nam Veſpaſianum patrem Titi prænomen ſumpſiſſe docet Panvinius *de Nomin. ant.* Rupertus *Obſerv. in Synopſin Beſoldianam*, & Johannes Schildius in Svetonii *edit. Lugd. Batav.* 1647. Verum ex eo quod in tertia linea Veſpaſianus pater DIVI FILIVS dicatur, quod de primo ex gente Flavia Imperatore (Patre coactore argentario nato) dici nequiverat; Conſules præſcripti M. Tillius Frugi, T. Vinicius Julianus, L. Vettius Paullus, T. Junius Monianus, indicium nullum, ipſo Turræo monente, facere poſſunt, cum ſint ex ſuffectis, nec quo anno Magiſtratum geſſerint uſpiam conſtet. Turræus imo, modo ad Veſpaſianum patrem, modo ad Titum Veſpaſianum filium, hanc tribuiſſe Tabulam videtur: hæc enim ſcribit: *Ipſe igitur Titus manum operi admoturus, de more vota prius nuncupari Diis imperii præſidibus juſſit*; & paulo poſt *Formulam ejus nuncupationis refert Tacitus in priori Veſpaſianæa*. Putat inſuper reſtitutionem Capitolii hic enunciatam, eamdem eſſe cum altera, de qua Tacitus loquitur Hiſt. lib. IV. At *primo*, Titum ædes Capitolinas, incendio conſumptas inſtauraſſe, nemo aſſerit; ſed eo imperante, ac morti proximo Capitolium arſiſſe ab Hiſtoricis, a laudatoque Xiphilino ex Dione docemur. *Secundo*, Capitolii dedicatio Tacito affigitur XI. KAL. IVLIAS: Tabula vero VII. IDVS DECEMBRIS. *Tertio*, Tacitus in Capitolinæ inſtaurationis deſcriptione nominat L. Veſtinum Curatorem, Helvidium Priſcum Prætorem, & Plautium Ælianum Pontificem: horum, in Tabula, nulla mentio; mentio e contra C. Vipſtani Aproniani, L. Veratii Quadrati, Q. Tillii Saſſii, P. Salluſtii Blæſi, & C. Tadii Mæſitani, qui nominantur uti vidimus, in ſuperiori Lapide. Quid igitur de hac inſigni Tabula ſtatuendum, me neſcire fateor. Poteram equidem Turræi, Muratoriique veſtigia ſectando Nominum contradictionem ſilentio præterire, eorumque confidentiam pariter, & inconſtantiam imitando, eam, modo illi, ſcilicet Patri; modo huic, nempe Filio, adſignare. Verum haud ignoranti mihi, quam Lectoribus obſequi honeſtum integrumque virum deceat, animadverſiones has intermedias omittere, aut Mileſias retexere fabulas venditareque non licuit. Quare, etſi quæ ſubſequuntur, ad Veſpaſianum pertinere videantur; nihilominus, donec ab aliquo erudito Viro nodus, a repugnantia Veſpaſiani, cum Domitiani nomine obtextus diſſolvatur, mihi an Patri potius quam Filio adſcribi debeat, incertum: nunquam enim, Veſpaſianus, ut innui, *Domitianus* dictus eſt; nec Domitianus unquam *Veſpaſiani* nomen obtinuit. Mea quippe ſententia (quam tamen validioribus edoctus argumentis retractare non erubeſcam) de tertia, h. e. de Domitianæa Capitolii reſtitutione hic agi cenſerem. Quæ enim in Marmore ſignata ſunt, omnia accidiſſe reor L. FLAVIO SILVA NONIO BASSO, & ASINIO POLLIONE COSS. nimirum anno Urbis DCCCXXXIV. Chriſti vero LXXXI. quo anno hos fuiſſe Conſules teſtantur Panvinius, Baronius, Petavius, Anonymus Cuſpiniani, Noriſius, Pagius, Almelovenius, recentioreſque R. H. Anglicani ſcriptores. At anno V. C. 834. Veſpaſianus pater jam biennio ante obierat, nempe anno 832. Titus filius imperabat utique anno 834., ſed eodem anno interiit, idibus Septembris, h. e. XIII. Septembris: cum ergo Tabula hæc noſtra, reſtitutionem Capitolii actam aſſerat anno 834. ſed VII. IDVS DECEMBRIS, ſequitur Titum Capitolinas ædes dedicare minime potuiſſe. A quo die extinctus eſt Titus, frater ejus Domitianus regnare cœpit; id omnes unanimiter teſtantur Hiſtorici; VII. igitur idus Decembris anni 834. Domitianus regnabat: VII. quoque idus Dec. ejuſdem anni vota in Capitolio perſoluta ſunt, Capitolium reſtitutum atque dedicatum: Tabulam ergo Capitolinam pertinere ad Domitianum opinari licet; eo magis quod ab eo plurima & ampliſſima opera incendio conſumpta, (in quibus & Capitolium) reſtituta refectaque eſſe Svetonius tradit, *in Vit.* cap. 5. confirmat Plutarcus *in Public.* Supereſt (neque diſſimulo) magni facienda difficultas, quam ſuperius in medio poſui, videlicet Domitianum nunquam *Veſpaſianum* appellatum fuiſſe. Ad hæc accedunt Vota inferius ſuſcepta pro Imp. Titi. Cæſ. Veſpaſiani ſalute, qui, uti vidimus, idibus Sept. anni C. 81. (quo ſcalptum

ptum istud fuisse Marmor affirmant Turræus pariter, & Muratorius, probantque laudati Consules, jam fato cesserat. Ceterum, si supputationes istas conjecturasque ad meam firmandam assertionem nullius esse momenti Lector eruditus existimabit, eas saltem ad clarissimi Turræi sententiæ absurditatem declarandam validissimas censebit. Muratorius tamen ea confidentia, quam Docti ob ingentia edita volumina sibi palam asciscunt, quibusdam præmissis, sententiæ suæ pro voluntate accommodatis; *nonnè*, ait, *huic sententiæ plenus meridies accedit*? Præclarissimo viro hoc pacto docenti potius quam interroganti respondere supervacaneum puto: gratulor illi quam maxime: si enim meridianus huic Tabulæ radius accedit, in reliquis ipsum mihi lucis auctorem Phœbum occursurum spero. Interim ad illustrationem rerum in Saxo contentarum progrediar; earum potissimum, quas ipsi Turræus, atque Muratorius (non equidem eruditionis defectu, sed forte impatientia laboris) ne indicandas quidem esse censuerunt.

PER FRATRES ARVALES EPVLANTES. Epularum Sacerdotalium in Templis antiquissimum, atque inconcussum perhibet testimonium Danielis liber ex quo (cap. XIV.) discimus BELO per dies singulos appositas esse similas artabas duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoras sex, quæ omnia mox Idoli Sacerdotes per absconditum sub mensa aditum ingressi devorabant. Quæ igitur clausis templi foribus nocturnisque horis faciebant Beli ministri, palam fecisse Gentilium Deorum Sacerdotes innumeri prodiderunt Scriptores. Hinc Lectisternia, hoc est Jovis, Junonis, atque Minervæ in Capitolio convivium, in quo appositas dapes non ipsi profecto Dii, sed septem Epulones comedebant. Hujus lautissimi Jovis epuli, præter Livium, aliosque, meminit etiam antiquissimus Poeta Lucilius *Satyr.* lib. XIV.

Idem epulo cibus, atque epulæ Jovis omnipotentis.

Ab his, festæ dapes, quæ festis conviviis Deorum, & in sacrificiis impendebantur; quisquis enim sacrificabat, cœnam coqui continuo jubebat, & familiares, amicosque ad exta adducebat, a quibus cibi cum Diis partiti absumebantur: unde Plautus in Amphitr. Act. III. Sc. 3.

Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut re divina facta mecum prandeat.

In his Deorum, seu potius Sacerdotum epulis ponebatur catulina: *in cœnis Deorum*, inquit Plinius, *etiamnum ponitur Catulina*, quæ in Adjicialibus quidem cœnis (sic dictæ, quod novi semper cibi adjicerentur) celebris fuit. Hoc ciborum genus fugientes Christiani, *profanam cœnam* appellabant, & *cœnare in Idolio*: vide si vacat Concil. Ancyr. *cap.* 4. item Gangren. *cap.* 2. Ex istis tamen prophanis Gentilium comessationibus, rectiori consilio originem forte duxerunt sancta illa primitivorum Christifidelium caritatis convivia, *Agape* nuncupata, quæ in Nuptiis celebrabantur ipsis intervenientibus Episcopis; in festivitatibus SS. Martyrum; in exequiis; post Ecclesiarum dedicationes; post divinorum tandem Mysteriorum communionem, divitibus Epulas suppeditantibus, ac præterea inopes invitantibus. Hæc deinceps, cum deperdita jam prospiceretur aurea illa primi sæculi Christianorum simplicitas, a Conciliis præsertim Laodicen. & Cartaginen. IV. prohibita fuerunt. At de his perfunctoriè hic exaratis, meum non est prolixius differere. Ceterum cœnæ illæ Pontificales opiparæ erant, & lautissimæ; nam licet lege Fannia cautum fuisset, ne quid volucrum in iis poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis, nihilominus quoties Pontifices exquisitis epulis saginari voluerunt, leges omnes sumptuariæ, nempe Orchia, Didia, Cornelia, Julia, Antia, Æmilia cum Fannia penitus conticuere.

FRVGIBVS. Quasi *fructibus*: Fruges enim docente Prisciano generaliter dicimus omne quod ex Terræ fructibus in alimoniam vertimus: errant igitur qui legumina a frugibus discernunt. Hinc *Frugifer* & *Frugiferens*; & ex hoc, adagium illud Ciceronianum in Tuscul. *quæst.*

quæst. 4. *homines frugi omnia recte faciunt*. Frugum inventrix Ceres; unde de eadem Ovidius

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris; ita Psyche apud Apulejum *Met. lib.* VI. uberi fletu rigans Cereris vestigia: *rogo te*, inquit, *frugiferam tuam dextram istam deprecor*.

MINISTRANTIBVS PVERIS INGENVIS. Pueri ingenui proprie vocantur *Camilli*, ait Festus. Camilli vero dicebantur pueri, qui Pontifici sacrificanti præministrabant; uti expressum visitur in hac Tabula, ex columnæ Trajano erectæ anaglyphis excerpta.



In nuptiis vero Camillus, crepundia in vase operto, quod *Cumera* nuncupabant, infanti nasciturо parabat. Mercurius ipse, cum Diis ministrasset, *Camillus* a Romanis dictus est.

PATREMIS ET MATRIMIS. *Patrimis* legendum, & *Matrimis*. Sacrorum lingua Patrimi, & Matrimi, h. e. ἀμφοτέρυς ουκ γονεῖς ἔχοντες πεεῖονας ut interpretatur Zosimus *Hist.lib.* II. ii quidem dicebantur, quibus uterque Parens superstes erat: *matrimes*, & *patrimes*, scribit Festus, quibus Matres, & Patres adhuc vivunt. *Livius lib.* 37. Decem ingenui, decem Virgines *patrimi* omnes, *matrimique* ad id sacrificium adhibiti. Scaliger, teste Boxhornio *in Quæst.Rom.* illud Catulli ad Minervam, *O Patrona Virgo* legere maluit *O Patrima Virgo*, sed perperam: τὸ *Patrima* enim Virginem non indicat, quæ Matrem nunquam habuerit, qualis Minerva, quæ ex uterino Jovis cerebro erupit, verum quæ Matrem habuit, sed amisit, solo patre adhuc superstite.

SENATORVM FILIIS REFERENTIBVS AD ARAM. Nempe Filii Senatorum fruges è manibus Puerorum susceptas ad Aram retulerunt; quod Sacrificii magnificentiam atque solemnitatem declarat; nam Senatorum liberos, quibus indulgentia Augusti virilem togam, & laticlavum induere, curiæque interesse licebat, inter Reipublicæ proceres fuisse, ac in Civitate è ceteris eminuisse, nemo profecto ignorat.

IN PATERIS. Cum hic de frugibus ad Aram relatis Diisque oblatis agatur, legendum potius *in Patellis*, in quibus Diis ac potissimum Laribus atque Penatibus epulæ apponebantur. Patellam, & Pateram in omnibus fere locupletibus Siculorum ædibus fuisse tradit Cicero in Verrinis. Patera vero vinum libabant in sacris: unde Virgilius Æn. lib. I.

Implevitque mero pateram.

& lib. VII.

Nunc pateras libate Jovi.

Vas enim erat patens, & latum, atque ad bibendum quoque aptum: idem Poeta *lib.* I. de Bitia.

——————— *ille impiger hausit*
Spumantem pateram, & pleno se protulit auro.


Eo vaſe, ſeu poculo Miniſtri victimæ ſanguinem ſuſcipiebant:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suſcipiunt pateris:

quem poſtea inter ejuſdem victimæ cornua ſpargebant:

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:

uti canit laudatus Vates lib. IV. & VI. *Diſcus* vocatur in ſacro Evangelio, ubi caput Johannis Baptiſtæ in *Diſco* allatum legimus; hinc & a D. Hieronymo *Diſcophorus* dictus eſt, qui Danieli prandium portavit. De Pateris filicatis, deque hederatis videre eſt Samuelem Pitiſcum. Pateras gemmatas Diſcum corymbiatum, ſcyphos aureos, patinam hederatam, voleta halieuticum, urceos argenteos, calices Ægyptios, quos ad ſacra facienda Claudio miſit Gallienus, recenſet Trebellius. Licet antiquis Pateris Muſei omnes redundent, placet tamen ſingularem illam muſei Coſpiani ad Etruſcos ſpectantem Pateram ſeu Patellam hic exhibere, quam Præſul humaniſſimus Petrus Franciſcus Fogginius, vir ſane doctrina æque ac modeſtia morumque integritate præclarus, egregiè illuſtravit *in Diſſert. Accad. Corton. tom.* II. Minervam in ea e Jovis cerebro evadentem vides.



IN AEDEM OPIS; quam alii Junonis parentem, alii Junonem ipſam eſſe ſunt arbitrati. Deæ hujus Ædes Capitolinas memorat Livius *lib.* 39. Unum diem ſupplicatio fuit ex decreto Pontificum, quod ædes Opis in Capitolio de cælo tacta erat hoſtiis majoribus Coss. procurarunt: ita Julius Obſequens M. Antonio, & P. Dolabella Coss. ædium Opis valvas per prodigium fractas tradit. Hujuſce Deæ itidem mentionem facit vetus Calendarium aliquando in ædibus Capranicorum extans, ubi

D. IX. C
F. VIII. OPIC. NP. OPI. IN CAPITOLIO
F. VII. C

Ex his patet Opim non eamdem fuiſſe cum Dea Dia, uti ſenſiſſe Fæſchium, & Sponium alias diximus: hæc enim Delubrum habuit via Campana; illa in Capitolio, quod ex laudatis Scriptoribus liquet, at perſpicue ex noſtra Tabula, in qua aperte narratur Sacerdotes conveniſſe in Capitolio in ædem Opis. Alias præter hanc, Opi excitatas fuiſſe ædes conſtat ex Victore, apud quem *Vicus Jugarius, item & Thurarius, ubi ſunt Aræ Opis, & Cereris cum ſigno Vertumni*; & rurſus, *Ædes Opis, & Saturni in vico Jugario*. Has Georgius Fabricius ponit, ubi nunc templum D. Mariæ in Porticu dictæ, vulgo *in Campitelli*.

IN LVCO. *Lucus*, locus eſt arboribus con-

consitus; sed qui propter religionem aliquam cæduus non sit: quoniam autem opacus sit, & sine luce μα ἀντίφρασιμ, *lucum*, ad illud Virgilii Æn. lib. I.

Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra

dictum autumat Montfortius: Alii a crebris luminibus, quod in sacris quibusdam nocturnis funalibus, & tædis illic uterentur. Luci sane nunquam sine religione fuerunt, in quibus plerisque Fana affabre facta proceris vastisque arboribus consita religionem illam testabantur. Sæpissime prope Sepulchra lucos consevisse Gentiles nemini incompertum: *Vos Albani tumuli atque Luci*, fatur Cicero pro Milone, *vos inquam imploro, atque obtestor*. Lucorum insuper Sacerdotes agnoscimus in inscriptione Perusina

C. BETVO. C. E
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR
VMBRIAE

Conlucare tandem est *profanam* silvam, rite *sacram*, (ac tunc incæduam) facere.

DEAE DIAE. Lucus Deæ Diæ, quam alibi eamdem esse ac Heben Juventutis Deam, cum Oderico affirmavimus, extitit Via Campana V. ab. V. L. quod constat ex sequenti Gruterianæ inscriptionis fragmento, p. CXXI. ubi *Fratres Arvales* IN. LVCO. DEAE. DIAE. VIA. CAMPANA. APVD. LAP. V. CONVENER. Viam autem hanc Fabrettus in opusc. *de Aquæduct.* Ch. Topograph. III. inter Ardeatinam collocavit, & Ostiensem.

PIACVLVM FACTVM... QVOD ARBOR A VETVSTATE DECIDIT. Piaculum improprie significat *Peccatum*, propter quod Piaculum debetur: sic *piaculum* ad illud Virgilianum

Quisquis apud Superos furto lætatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem,

crimen interpretatus est Servius. Plautus itidem

Piaculum est misereri nos hominum male rem gerentium.

nempe *flagitium* est. Proprie vero *piaculum* significat Hostiam, seu Victimam, videlicet Sacrificium, & quicquid agitur, vel præbetur pro satisfactione Peccati; hinc Romæ, teste Cluentio apud Festum, Porta *piacularis*, ob quædam piacula, quæ ibidem fieri solebant, denominata; *sacrificium* piaculare, *auspicia* piacularia, *victimæ* piaculares: ita Plautus *in Epid. Act.*

Men' piacularem oportet fieri propter stultitiam meam,
Vt meum tergum stultitiæ tuæ subdat succidaneum?

& Horatius Carm. lib. I. Od. XXVIII.

Teque piacula nulla resolvent:

nimirum *nullis sacris tantum scelus eluere unquam licebit*; seu *nullis hostiis te expiabis*. Hoc sensu Osæas IV. dixit *comedent peccata populi mei*, & D. Paulus CHRISTVM *peccatum* vocavit, scilicet *Hostiam pro peccato*. In hac vero Tabula pro *Piaculum factum* intelligo purgationem peractam; *piare* enim purgare est; & *piari* dicuntur peccata, hoc est *lui* sive solvendo pœnam debitam, sive aliud quidquid, quod pœnæ debitæ in locum succedit: ita *Piatrix*, & *Expiatrix* quæ expiare erat solita. Poeticè *Piamen* quoque, & *Piamentum*, quod idem est ac *Expiatio* vel actus expiandi; unde ab Apulejo piamenta lustralia dicta sunt, quæ in Agris lustrandis quotannis per Fratres Arvales fiebant. Cum ergo Arbor quædam luci Deæ Diæ vetustate decidisset, proinde a Fratribus Arvalibus (quorum officii erat Arboreta Diis sacra curare) ad mala avertenda omina, immolatis victimis piaculum factum est. Quænam fuerit Gentilium (a primis Hebræorum temporibus) religio, colligitur ex Maimonide: *& cæperunt*, inquit, *hoc modo, atque ratione facere sibi statuas in templis, subque proceris Arboribus, atque in capitibus montium, & collibus*. Cyrillus Alex. itidem ad hæc Isaiæ verba Cap. LVII. *Qui consolamini in Diis subter omne lignum frondosum*, ita scribit: *Lucos enim collesque cum occupassent, & pulcræ ingentisque proceritatis arboribus apponentes Idola, altaribus etiam erectis, ceu salutares invocabant inanes Deos*.

Deos . At perjucundum hoc argumentum abundè, atque incredibili eruditione pertractavit doctissimus Johannes Checcotius, magnum Academiæ Cortonensis incrementum; cui tum Hebraicorum Maimonidis, tum Græcorum Cyrilli verborum versiones sunt restituendæ.

PER CALATOREM. Calatores *a Calandis*, hoc est *convocandis* Comitiis curiatis, & centuriatis dicti sunt: in Glossis *Servi publici* appellantur, erantque Libertini, uti ex Tacito perspicuum. Hìc intelligendum de Calatoribus a quibus ea convocabantur comitia, quæ pro Collegio Pontificum, & Regis sacrorum, aut Flaminum inaugurandorum caussa haberentur: sic apud Gellium *lib.15.cap.17.* Lælius Felix: Item, de iis qui a Pontificibus sacra facturis præmittebantur, ut sicubi viderent Artifices assidentes, opus suum prohiberent, ne Deorum cæremonias contaminarent. Cornelium Epicadum Calatorem laudat Svetonius in lib. *de illustr. Grammat.* Calatorem VII. VIR. EPVLON. nominat Saxum ap.Fabrettum p.703. In Lapidibus aliquando cum K. idest KALATOR scriptum notavi, ut in illo Panviniano, in quo

Q. CAECILIO . FEROCI
KALATORI . SACERDOTI
TITIALIVM . FLAVIALIVM
&c.

PORCAM ET AGNAM OPIMAM. Licet Porcinam victimam, Cereris peculiarem dicant plerique, certum tamen est aliis fuisse quoque Diis sacrificatam; nimirum Herculi, Æsculapio, Silvano, Maiæ, Genio, Laribus, ipsæque Veneri; quamvis enim Aristophanes *in Acarnens.* Act.III. Sc.3. v.794. scripserit

At porca Veneri sacrificari non solet,

Antiphanes tamen in *Corinth.* hæc habet:

Deinde an ignoras suillos artus eximiam
Esse Veneri hostiam? in Cypro, here, adeo suibus
Illa sane delectatur, ut illo animali pasci vetuerit
Incolas.

Ita ab Argivis porcam Veneri immolatam tradit Zenodotus apud Athenæum in Deipnosoph. lib.III. Mactabatur etiam ab insanientibus, unde adagium *Porcum immola*; ab initiandis quoque, a morientibus, a Cretensibus auguria captandi caussa, a novis Nuptis Diis tutelaribus, a Patre Patrato in fœderibus feriendis, pro puerorum salute &c. *Porci sacres* legitur in *Rud.* Plautino Act.IV. Sc.6. hoc est *porci puri* ait Lambinus, & ad sacrificandum idonei. Porcos denique, & Agnas altari destinatas domi alere consuevere Gentiles; uti ad illud Plauti *loc. cit.*

Sunt domi agni, & porci sacres

notavit Dacerius. *Il paroit*, inquit, *par ce passage que les Anciens nourrissoient chez eux des petits couchons, & des petits Agneaux, que l'on destinoit aux sacrifices*. Proinde Agna hic immolanda *opima* dicitur, scilicet pinguis, diligenterque domi saginata.

OB FERRI INLATIONEM. Multa in his verbis latent, obscuritate temporum involuta: nullum revera Auctorem reperio, qui mihi in his explanands subsidium vel minimum præbeat. Non Tiurræus, non Muratorius, non Gruterus, neque Fulvius Ursinus, quamquam eorum aliqui hanc nostram, alii vero alteram referant tabulam, in qua pariter de Ferri *inlatione*, & *elatione* est mentio. Author ipse Observationum ad Catonis libros *de Re rustica* cap.134. ed.Lips. ita scribit: *Velim hæc nobis aliquis explicet*. Lux tamen ex ipsis Lapidibus erumpit aliqua. In nostro enim legimus OB FERRVM INLATVM IN AEDEM SCRIPVR (*Scripturæ*) CAVSSA: in Ursiniano perspicuius OB FERRI INLATIONEM . SCRIPTVR . ET . SCALPTVR . MARMOR . CAVSSA. Nimirum *Scripturæ*, & *Scalpturæ marmorum*. Ex his ergo liquet agi hic de Ferro, seu instrumentis ferreis, quibus Actus expiationis, sacrificii, epularumque Pontificalium, & Arvalium nomina marmoreis Tabulis, ad posterorum notitiam scribebantur, & scalpebantur, quæ postea sacrarum Ædium parietibus figebantur. Cum autem piaculum esset ferrum

rum inferre luco, progressa superstitio requirebat, ut expiarentur quoque instrumenta ferrea, licet non arboris violandæ caussa, sed ad scribendos, & scalpendos Lapides inlata. Ita quidem sentio, donec ab aliquo erudito Viro, feliciori prædito ingenio, palynodiam canere, velaque vertere cogar: interea *filum* (verbis Hermippi loquar apud Pollucem) *ductum est*; *opus est acu*. Notandum postremò Actus publicos non constanter *æreis* tabulis insculptos fuisse, verum etiam *marmoreis*, quod ex nostramet, aliisque patet.


LOCA ADSIGNATA. In tertia hac Marmoris parte, non de Amphitheatri dedicatione agitur, ut sensisse videtur doctissimus Turræus, sed de locis tantum, Arvalibus in Amphitheatro adsignatis; nec ista *per Præfectum Annonæ*, quod laudato Scriptori placuit, verum *per Præfecti Annonæ Procuratorem*; Laberius enim, in Saxo, *Procurator Prefecti*, non *Præfectus* vocatur: Amphitheatrum vero Titus dedicavit, ipso VIII. cum Domitiano fratre VII. non sane Plautio, & Frontone coss.

ACCEPTVM. Quid *acceptum*? an Actum locorum adsignationis a Laberio Maximo *acceptum*, scilicet *approbatum*? vel cum Laberii approbatione?

LAELIO PLAVTIO &c. Lælium Plautium Lamiam, & Q. Pactumejum Frontonem (non L. Ælium, neque Pachumejum ut apud Almelovenium) hic primum nominatos Consules fuisse suffectos, nos Fastorum Scriptorumque silentium admonet.

MÆNIANO. I. *Meniano uno*. Ædificium est modo ligneis, modo marmoreis tabulis compactum, quod ex muro prominet, ubi expatiatur; Romanis adhuc *Mignano*. Ex hoc facile percipitur, quale fuerit in Amphitheatro *Menianum* Arvalibus adsignatum, quod nonnulli, sed minus proprie, *Podium* appellant. Denominatio, a quodam *Menio*, qui cum domum suam venderet Catoni, & Flacco Coss. ut ibi Basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tabulatum projiceret, unde & ipse, & ejus posteri spectare munus Gladiatorum possent: hæc Asconius, Porphyrio, Festus, Nonnius testantur. Hinc *Columna Menia*, quam extitisse, ubi nunc ædes S. Mariæ Liberatricis, autumat Nardinius; ex illa igitur columna, ob analogiam, *Menianum*. Cum autem nomen ex *Menio* desumeretur, *Menianum* scribi deberet, non *Mænianum*, neque *Mœnianum*, uti plerique in Martialis, atque Svetonii textibus scribunt; sed cum in hac Tabula triplici ortographia insculptum videatur, nempe MÆNIANO, MENIANO, & MŒNIANO, sequitur utraque scriptura uti licere. De Menianis agunt leges *Malum* ff. *de verb. signif.* & *Meniana* C. *de ædif. priv.* In Circo tandem, prope Carcerum angulos, tria erant Meniana, ex quorum uno committendis quadrigis Circensium signum dari solebat, modo accensa face, modo mappa candida emissa.

CVN. XII. *Cuneis duodecim*. Quidquid sedilium dividitur præcinctionum itineribus, & secatur lateralibus viis, in hoc nomen id venire docet Lipsius *de Amphit.* cap. XIII. Nomen a forma



L l quia

quia reipsa scalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis in altum diffunderetur, redderetque Cunei formam. Cunei Theatrorum crebro a Poetis nominantur. Juvenalis Sat. 6.

—— cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames, quodque inde excerpere possis?

Virgilius, & Martialis; iste lib. 1.

Aerea sed a cuneis ulteriora petis.

ille Æn. lib. 5.

Nuncius Anchisæ ad tumulum, cuneosque theatri
Incensas præfert naves Eumelus.

Cuneatum theatrum dixit Ausonius: *cuneata crevit hæc Theatri immanitas*. In cuneis sedisse quoque Equites & Senatores conjicitur ex Svetonio, qui in Domitiani vita ait: *Die proximo omne genus missilia sparsit; & quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris, ac senatorii ordinis pronuntiavit*. Hinc excuneare, scilicet extra cuneos aliquem ejicere; de iis quoque dicebatur, quibus sedendi in cuneis Theatralibus non erat locus. Eo verbo usus est Apulejus Florid. p. 79.

GRADIB. MARM. VIII. *Gradibus marmoreis octo*: summa vero pedum CXXVIIIS. *centum viginti novem semis*. Alteri (de Gradibus loquor) interiores intra porticus, per quas ad Spectacula ascendebant; alteri exteriores in quibus Spectatores sedebant: Horum CXXI. adsignantur Arvalibus ex quo numero, numerum Arvalium LXXXVI fuisse conjicit Turræus. *Gradus, ubi subsellia componuntur*, inquit Vitruvius lib. V. 6. *ne minus alti sint palmopede, & digitis sex. Latitudines eorum ne plus pedes duos semis, ne minus pedes duos constituantur.*

Quarta Marmoris pars innuit vota suscepta pro Titi, Domitiani, Juliæ ejusdem Titi filiæ, ac Domitiani liberorum salute & incolumitate, votorumque susceptorum precationisque Jovi, Junoni, Minervæ, Salutique publicæ solenni ritu factæ formulam. Quod autem attinet ad Consules ibidem nominatos compertum est istos Magistratum gessisse ann. V. 434. C. 81. Sed emendandi Fasti Græci, Anonymus Cuspinianæus, & Cassiodorus, qui Flavium Silvam *Silvanum* appellant, at præ ceteris Petavius a quo idem Silva, M. *Plautius Sylvanus* vocatur, & Asinius Pollio Verrucosus M. *Annius Verus Pollio*. Utrumque laudant Historici: hunc Capitolinus; illum Dio, & Josephus lib. 7. cap. 28.

Advertendum est denique Marmor istud a doctissimo Turræo (quicquid de sua in eo excribendo diligentia prodiderit) vulgatum fuisse adeo mendis deformatum, ut ea dinumerare plus tædii sit quam utilitatis. Idem assero de eruditissimo Muratorio, qui cum Tabulam exscripsisset e Turræo, eadem punctim menda fidentissime adoptavit.

Tabula reperta est via Ostiensi IIII. ab V. L. jussu Petri Card. Othobonii in Ædes Cancellariæ translata, mox in Museum Albanum, postremo in Capitolinum.

PRO-

Quare Asteriscus, Vid. Praeloquium in fin.

∴NTONINO · AVG · IIII · C · AVFIDIO · VICTORINO · II · COS · I

. . . . VM ARVALIVM
. . . . AVS A PRO SALVTE IMPCAES
. . . . GER MAXIM.PP.COS IIII
. . . . S NEPOS MAG.CN.CATILIVS SEVERVS
. . . . TIVS PRIMA HAG DIE IMMOLAVIT Q. LICINIVS
. . . . MAREM IVNONI REG·BOVEM FEMINAM MINER
. . . . . . I PVBLICAE P·R·BOVEM FEMINAM
. . . . VII IDVS IANVAR
. . . . FRATRES ARVALES SACRIFICIVM DEAE DIAE
. . . . . . Q LICINIVS NEPOS MAG VELATO CAPITE CONTRA ORI
. . . . . MINE QVOD BONVM FAVSTVM FELIX FORTVNATVM SALV
. . . . REQVE SIT IMP CAES M AVRELIO COMMODO ANTONINO AVG PIO SARMAT
. . . GERM MAXIMO P.M.P P COS IIII OPTIMO MAXIMOQVE PRINCIPI DIVI M ANTO
NINI FIL DIVI ANTONINI NEPOTI DIVI HADRIANI PRONEPOTI DIVI TRAIANI
PARTHICI ABNEPOTI DIVI NERVAE ABNEPOTI SENATVI PRQ FRATRIBVSQVE ARVA
LIBVS SACRIFICIVM DEAE DIAE HOC ANNO ERITANTE DIEM XVI KAL IVNIAS
ROMAE ANTE DIEM XIIII K IVN IN LVCO ET DOMI XIII K IVN CONSVMMABITVR
DOMI ADFVERVNT IN COLL Q LICINIVS NEPOS MAG CN CATILIVS SEVERVS
M VLPIVS ASTIVS FR M ANTONIVS IVVENIS
L TVTILIO PONTIANO GENTIANO COS VI ID FEBRVAR
IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG OPERIS IN CHVANDI CAVSA QVOD
IN FASTIGIO AEDIS DEAE DIAE FICVS INNATA ESSET ERVENDAM ET AEDEM REFICI
ENDAM IMMOLAVIT SVOVETAVRILIBVS MAIORIBVS ITEM AD AEDEM DEAE
DIAE BOVES FEMINAS DVO IANO PATRI ARIETES II IOVI BERBICES ALTILANEOS

MARTI ARIETES ALTILANEOS II IVNONI DEAE DIAE OVES II SIVE DEO SIVE DEAE OVES II
VIRGINIBVS DIVIS OVES II FAMVLIS DIVIS VERBECES DVOS LARIBVS VERBECES DVOS
MATRI LARVM OVES DVAS SIVE DEO SIVE DEAE IN CVIVS TVTELA HIC LVCVS LOCVSVE
EST OVES II FONTI VERBECES II FLORAE OVES II VESTAE OVES II VESTAE MATRI OVES II ITEM
ADOLENDAE CONMOLANDAE DEFERVNDAE OVES II ITEM ANTE CAESAREVM DIVIS N XVI VERBEC
INMOLAVIT N XVI M HERENNIO SECVNDO M.EGNATIO POSTVMO COS III ID MAI
IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG OPERIS PERFECTI CAVSA QVOD ARBORIS
ERVENDAE ET AEDIS REFECTAE IMMOLAVIT SVOVE TAVRILIBVS MAIORIBVS ITEM AD AEDEM
DEAE DIAE BOVES FEMINAS II IANO PATRI ARIETES II IOVI VERBECES II ALTILANEOS MARTI
ARIET.·.·ALTILAN.·.·II IVNONI DEAE DIAE OVES II SIVE DEO SIVE DEAE OVES II VIRGINIBVS
DIVIS OVES II FAMVLIS DIVIS VERBECES IIS II LARIBVS VERBECES II MATRI LARIVM OVES II
SIVE DEO SIVE DIAE IN CVIVS TVTELA HIC LVCVS LOCVSVE EST OVES II FONTI VERBECES II
FLORAE OVES II VESTAE OVES II VESTAE MATRI OVES II ITEM ADOLENDAE CONMOLANDAE DE
FERVNDAE OVES II ITEM ANTE CAESAREVM DIVIS N̄ XVI VERBECES IMMOLAVIT XVI
ISDEM COS XVI K IVN IN DOMVM LICINII NEPOTIS MAG FRATRES ARVALES PRAETEXTATI
SACRIFICIVM DEAE DIAE TVRE ET VINO FECERVNT IBIQVE DISCVMBENTES TORALIBVS
SEGMENTATIS MINISTRANTIBVS PVERIS PATRIMIS ET MATRIMIS SENATORVM FILIS
ACILIO AVIOLA ET ACILIO SEVERO ET MARCO VLPIO BOETHO ET C. L SVLPICIANO CVM PVBLICIS
AD ARAM RETVLERVNT ADFVERVNT IN COLLEGIO.Q.LICINIVS NEPOS MAG CN GATILIVS
SEVERVS T FL SVLPICIANVS M ANTONIVS IVVENIS PESCENNIVS NIGER M·VLP·ASTIVS PR
ISDEM COS XIIII K IVN IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG AD ARAM IMMOLAV
PORCILIAS PIACVLARES II LVCI COINCHVENDI ET OPERIS FACIENDI IBIQVE BACCHAM
HONORARIAM ALBAM AD FOCVLVM IMMOLAVIT SACERDOTES IN TETRAS TVLO
CONSEDERVNT ET EX SACRIFICIO EPVLATI SVNT SVMTISQVE PRAETEXTIS ET
CORONIS SPICEIS BITTATIS LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ASCENDERVNT ET PER
Q.LICINIVM NEPOTEM ET CATILIVM SEVERVM PRO FLAMINEM AGNA OPIMA IMMO
LAVERVNT PERFECTO SACRIFIGIO OMNES TVRE ET VINO FECERVNT
DEINDE CORONIS INLATIS SIGNISQVE VNCTIS PETRONIVM PRISCVM EX SATVRNAL
PRIMIS IN SATVRNALIA SECVNDA MAG FECERVNT ET FLAVIVM SVLPICIANVM FLAMINEM

NOMINAVER . . . .
EPVLATI SVNT POS . . . .
SVPRA CARCERES ASCENDIT ET S . . . .
CATVLO SEVERO PRO FLAMINE VICTORIS . . . .
Q LICINIVS NEPOS MAG CN CATILIVS SEVERVS . . . .
NIVS NIGER M VLPIVS ASTIVS PRAETORES ISDEM COS XIII . . . . . .
Q. LICINII NEPOTIS MAG FRATRES ARVALES AD CONSVMMAN . . . S . . .
IBIQVE INTER CENAM LICINIVS NEPOS MAG CATILIVS SEVERVS . . . .
IVVENIS PESCENNIVS NIGER VLPIVS ASTIVS DISCVMBENTES . . . .
ALBIS TVRE ET VINO FECERVNT MINISTRANTIBVS PVERIS PATR . . . .
FILIS EISDEMQVE ET XVI KAL IVN EASDEM FRVGES INLIBATAS . . .
PVERI RICINATI CVM PVBLICIS AD ARAM RETVLERVNT DEIN . . . .
CANIPAS CONTIGERVN QVAS PER CALATORES DOMOS SVAS M . . .
EST SPORTVLIS ✠ TPACTVMEIO MAGNO L SEPTIMIO F . . . . . .
IN CAPITOLIO PRO SALVTE IMP CAES M AVRELI COMMODI ANT . . .
FRATRES ARVALES CONVENERVNT ET IMMOLAVIT CN . . . . . .
O. M. BOVEM MAREM IVNONI REG BOVEM FEMINAM . . . . . .
SALVTI BOVEM FEMINAM PROVIDENTIAE DEORVM . . . .
L COSSONIO EGGIO MARVLLO CN PAPIRIO AELIANO . . . . .
OB FERRI INLATVM SCRIPTVRAE ET SCALPTVRAE M . . . . .
STRVIBVS FERTISQVE PERMVSTIO NARCISSO KAL . . . .
C. OCTAVIO VINDICE XV K IVN ET . . . .
PIACVLVM FACTVM OB FERRI ELATIONI SCRIPT . . . .
RACTI PORCA ET AGNA STRVIBVS FERTISQVE . . . .
KALATOREM ET PVBLICOS FRATRVM ARVALIVM . . . .

Advertendum in hujusce Inscriptionis archetypo, præter litt. T. *ubique ceteras superantem, litteras* A F G L *constanter sic fuisse insculptas* Λ F G L
At septimæ lineolæ (Col. II.) characteres, ex quibus tota constat Inscriptio, hic accipe.

IN LVCO DEΛE DIΛE Q LICINIVS NEPOS MΛG OPERIS PERFECTI

Prolixa hæc,tribus columnis conſtans Tabula, via Oſtienſi reperta, prolixam expoſceret illuſtrationem: verum cum in ea plurima recitentur, quæ jam in ſuperioribus explanavimus, hic proinde de his tantummodo verba faciemus, de quibus alias non occurrerit ſermo. Conſtat equidem ex contentis ſacrificia hic enunciata præ ceteris ſolennia fuiſſe: probat id Deorum utriuſque ſexus invocatorum caterva. Invocantur enim Janus pater, Jupiter, Juno, Virgines Divæ, Famuli Divi, Lares, Larium Mater, Fontes, Flora, Veſta, Veſta mater, Dea Dia, & Salus. Summa vero hoſtiarum immolatarum (præter Verbeces num XVI. totidem Diis bis cæſas) hæc eſt: Boves nimirum 8. Arietes 8. Verbeces 16. Oves 34. Porciliæ 2. Porca 1. Agna 1.

ANTONINO. Nimirum L. Aurelio Commodo Antonino, qui Conſulatum quartò geſſit A. C. 183. cum C. Aufidio Victorino ſecundo. Secundo inquam, uti adverſus cl. Fleetwoodum, qui ſecundum Victorini conſulatum nullibi reperiri aſſerit, ex iſta Inſcriptione liquet. Is eſt Aufidius ille Victorinus, quem M. Aurelius, teſte Capitolino, contra Cattos rebellantes miſerat.

VELATO CAPITE. Sacerdotum caput velandi ritus in ſacris peragendis origo apparet perſpicue ex Virgilianis *Æneid. lib.* 3. carminibus:

Purpureo velare comas adopertus amictu
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet:
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto.

& eodem libro v. 545.

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Æneæ igitur hujus ritus inſtitutio eſt referenda; qui cum ſacrificaret, & vereretur ne caſu ab hoſte conſpecto, turbatis fuga ſacris, operandi copia de integro non eſſet, obnupto capite ſacra perfici juſſit. Sacrificantes, inquit Servius, capita velare conſueſcunt ob hoc, ne ſe inter Religionem aliquid vagis offerret obtutibus: ita Juvenalis Sat. VI. de quadam Citharædi uxore Diis vota fundente

——— *Stetit ante aras; nec turpe putavit,*
Pro cithara velare caput.

Camillos quoque, & Sacrificulos obnupto capite Flamini Diali præminiſtraſſe colligitur, tum ex nummo apud Gutherium *de Jur. Pont.* lib. 2. tum ex columnæ Trajani anaglyphis. Eum poſtea morem in adulationem Principum verterunt qui eos velut Deos colere volebant. Omnium primus id inſtituit Vitellius, qui reverſus ex Syria non aliter C. Cæſarem adire auſus eſt, inquit Svetonius, quam capite velato. Confer Lucretium *lib.* V., Q. Curtium *lib.* IV., Macrobium *Saturn. lib* I. Plutarcum *in Quæſt. Rom.* Velatis denique etiam manibus ſupplicantes incedere innuit Plautus *in Amphythr.* Act. I. Sc. I.

QVOD IN FASTIGIO AEDIS ... FICVS INNATA ESSET. Quamvis Ficus arbor eſſet aliquibus Diis ſacra, atque Priapo in cuſtodiam tradita; licet Ruminalis illa, ad quam ejecti ſunt Romulus, & Remus, maxima veneratione a Romanis in Palatino coleretur; licet denique exſiccatæ Ficuum frondes pro ture crebro in ſacris adhiberentur, tamen cum in ædis Deæ Diæ faſtigio ſponte nata eſſet, faciemque proinde Templi deformaret, illinc eradicandam Arvales cenſuerunt; atque ad Arboris ut ita dicam licentiam, ſeu potius templi Cuſtodum incuriam expiandam Licinius Nepos Arvalium Magiſter, Sueovetauriles hoſtias, *Suem* nempe, *Ovem*, & *Taurum*, immolavit.

BERBICES . II. *Berbeces*, ſive *Verveces* duos. Vervex mas eſt inter Oves, cui adempti ſunt teſticuli, italice *Caſtrato*; nam qui ad gignendam ſobolem integri ſervantur, vocantur *Arietes*. Vervecinum adipem collaudat Plinius: apud Plautum vero in Captivis Servus quidam ſtupidus, *vervecea Statua* dictus eſt.

ALTILANEOS. Licet innumeros evolverim creperæ latinitatis interpretes, nullam prorſus, apud eoſdem hujus vocabuli mentionem

nem

nem inveni. Solus Briffonius *de Formulis* lib.I. cap.20. intonfam bidentem *Altilaneam* vocaffe Pontifices afferit, tefte Servio in Commentariis ad Æneid. manufcriptis. Compofitum puto ex *altili*, & *lana*; ita ut dicatur verveces iftos lanofos quam maxime fuiffe, feu lana præ ceteris abundaffe: *carichi di lana*: Ita Plautus in *fragmentis* Dotem opulentam *altilem* dixit:

Prohibet divitiis maxumis dote altili atque opima.

VIRGINIBVS DIVIS. Quænam fuerint (fi quæ unquam fuerunt Gentilium virgines Divæ) penitus ignoro. Nam etfi Diana a Virgilio dicatur Virgo

——— *tria Virginis ora Dianæ*;

nefcio utrum hujufce Deæ Virginitas ab Endymione probaretur.

FAMVLIS DIVIS; ex quibus *Ganimedes*, Deorum Pocillator; *Heben*, Dearum pincerna; *Mercurius*, Jovis nuncius; *Charites*, Veneris fociæ; *Iris*, Junonis miniftra.

SIVE DEO SIVE DEAE. Diis fcilicet omnibus,omnibufque Deabus: a Paganis enim omnes Deos Deafque in facris invocari folitum docet Gebhardus Elmenhorftius in Obferv. ad Arnobii lib.III. Formula hac frequenter utebantur Sacerdotes inter precandum, in votis fufcipiendis, in feriendis fœderibus, & in Deorum tutelarium evocatione. Servius ad Æneidos illa *Dii Deæque omnes* hæc habet: *more Pontificum per quos ritu veteri, in omnibus facris, poft fpeciales Deos, quos ad ipfum Sacrum quod fiebat neceffe erat invocari, generaliter omnia Numina invocabantur*. Hujus rationem formulæ toti funt, ut interpretentur recentiores: Verum adi doctiffimum Anfaldum in fingulari *de Romana tutelarium Deorum in oppugnatione Urbium Evocatione* libro, Cap.VII. p.117. Ed.IV. Oxon.

FLORAE. Quæ Græcis Χλωεις, Latinis Flora dicebatur. Hanc plerique Meretricem faciunt, quæ ingentis fui Patrimonii Populum Rom.inftituit heredem ea lege,ut quotannis in ejus memoriam feftum celebraretur: hinc *Floralia* fefta, *Florales* ludi: fed alii hæc omnia negant, eamque antiquiffimum Sabinorum Numen fuiffe volunt: alii Zephiri uxorem, a quo in omnes Flores poteftatem acceperit.

ANTE CAESAREVM. *Ante* fcilicet *Palatinas Cæfarum ædes*, h. e. in *Palatino* fitas: quomodo aliter τὸ *Cæfareum* explicari pofsit, non affequor.

TVRE ET VINO. *Ture* fine adfpiratione fcriptum nota; quod tamen nonnullis latini fermonis præceptoribus haud placet. Suffimentum iftud *Vini focium* appellat Arnobius; antiquitus vero folo Ture facrificatum afferit Stuchius. Tura igitur vel adolebant in Turibulis, vel injiciebant focis, & ex ejus fumo, & crepitu futura conjiciebant, uti videre eft apud Senecam in Ædipo. Panchaia Tura laudat in Culice Virgilius; & Æn. lib.2.

Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.

Sabæa idem Poeta

——— *centumque Sabæo*
Ture calent aræ.

Ita Plinius lib.XII. cap.14. *Sabæorum*, inquit, *regio thurifera* Saba *appellatur*. Vinum quoque (nec aqua dilutum) Diis in Sacris *libare*, *dare*, *fundere*, *vergere*, *invergere*, *propinare*, frequentifsimum, cujus rei crebra apud Poetas mentio. Sic Veneri, multibiba illa Plauti Lena *in Curcul.*

Nam tibi amantes propinantes vinum dant.

Statius Theb. lib.VI.

Spumantefque mero pateræ verguntur.

Virgilius lib.VI.

Invergit vina facerdos.

Vafa ad vinum fundendum *Calpar*, *Coturnium*, *Armillum*, *Simpulum*.

TORALIBVS. Toral eft Tori involucrum feu ftratum, quod Itali *materaffo* appellant, Galli *matelas*; ideft congeftæ herbæ, paleæ, arundinis, item lanæ, vel plumæ operimen-

rimentum, teste Varrone de L.L. lib.4. quod & elegantiore rursus stragulo ad pompam contegebatur convivii caussa, aut feriarum. Cicero *Tusc.* v. *Collocari hominem jussit in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto*, ubi tria distinguuntur, *Tectum*, *Toral*, *& Stragulum*: Ovidius Met. lib.VIII.

——— In medio torus est de mollibus ulvis;
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
Sternere consuerant.

Stragula vero quibus Tori sternebantur, &Toralia quæ circumjicebantur pretiosissima, in usu veteribus fuerunt; non tamen aurea: aurea enim primus Toralia texit, Lampridio id monente, Elagabalus. Verum hic magis ad rem videtur quod Toral significat etiam segestria, sive amictum, vel tegmen linteum triclinari lecto circumdatum, quasi munimen adversus Arvalium discumbentium purgamentum, & jactus, atque ad custodiendam a sordibus stragulam pretiosam: quod quidem *Toral* quando sordidum erat lavabatur, ne odore fœdo nares offenderet: sic illud Horatianum

——— ne turpe Toral, ne sordida mappa
Corruget nares

illustratur ab eruditissimo Ludovico Desprez.

SEGMENTATIS. De hoc vocabulo plura Pitiscus; at hic loquitur de Vittis, seu fasciolis versicoloribus, quasi dicas *Toralibus vittatis*: uti in Capitolini Musei Strato illo marmoreo, Alexandri Severi forte, Matrisque sarcophago imposito, expressum apparet. Cunam segmentatam nominat Juvenalis Sat.VI.


Sed quamquam in magnis opibus, plumaque paterna
Et segmentatis dormisset parvula cunis,
Contemsit Pelagus.

PORCILIAS. *Porcellas piaculares*. De hoc vocabulo jam satis superius. Ceterum hostiarum plane seu victimarum (hæc enim nimium forte libere confundimus) aliæ erant *Majores*, aliæ *Lactentes*; quædam *Animales*, quædam *Ruminales*; illæ *Injuges*, & *Eximiæ*, istæ *Succidaneæ*. Erant & *Ambarvales*, & *Prodigæ*, & *Mediales*, & *Caviares*, & *Optatæ*. Nonnullæ *Harvignæ*, sive *Harugæ*: ita *Ambiegnæ*, *Maximæ*, *Confetæ*, *Præcidaneæ*, *Præsentaneæ*, *Honorariæ*; tandem *Aureæ*, & *Argenteæ*, apud Macrobium, Arnobium, Varronem, Festum, Fulgentium, Terentium, Virgilium, Ovidium, aliosque.

COINCHVENDI. *Coinchoandi*, & *operis faciendi*.

BACCHAM HONORARIAM ALBAM. *Vaccam* legendum esse non dubito: B. enim pro V. crebro observavimus. *Albam* ergo *Vaccam*, & *Honorariam*, h.e. *honoris caussa*, Licinius Nepos immolavit.

AD FOCVLVM. Ad Arulam, supra quam modica excitabatur flamma, uti videre est apud Jo. Petrum Bellorium in Admirand. R.A. tab.30.



IN TETRASTVLO. Hic V. pro Y. *Tetrastylo*. De hoc ædificio, quod *Tetrastilium* alias dicitur, jam superius Num. 5. disseruimus.

CORONIS SPICEIS. Coronatos Sacerdotes ad sacrificia incedentes repræsentant, præter innumera Monumenta, columnæ Trajani anaglypha.

SIGNISQVE VNCTIS. Gentiles Deorum signa non solum laureis coronis cingebant, candidisque aliquando vestimentis induebant, sed pretiosissimis sæpe humectabant unguentis; unde Cicero in Verrem 4. scripsit, *omnes Matronas, ac Virgines convenisse cum Diana exportaretur, unxisse unguentis, complesse coronis, & floribus*. Itaque Prudentius adversus Symmachum


———— saxa illita ceris
Viderat, unguentoque Lares humescere nigros.

Lucianus itidem, *quid ergo*, inquit, *saxa coronant, & inungunt?*

SVPRA CARCERES ASCENDIT. Non hic profecto de Custodiis intelligendum in quibus servabantur noxii; verum de quibusdam septis, quibus circumcinctæ Deorum ædes erant. Ita primum Circi septum, unde emittebantur Equi cursorii, & desultorii, *Carcer* dicebatur.

PVERI RICINIATI. De vocis origine non conveniunt Auctores: ex *Rica* seu *Ricinio* h.e. *sudario* desumit Nonnius. Festus, & Varro *Ricinium* modo dicunt *Vestimentum* quadratum, fimbriatum, purpureum; modo *Palliolum* ad tegendum caput factum. Granius apud eumdem Festum *Muliebre cingulum* vocat; alii *vestem* fuisse *lugubrem*, & in rebus adversis luctibusque sumptam opinantur.

CANIPAS. *Cistas* esse, seu *Canistra*, sive *Cana*, quæ in sacris Gentiles adhibebant, ego quidem censeo. Forma hæc est, pro ut notavi in Vase marmoreo anagliphyce insculpto, quod extat in Hortis Justinianæis.



Porro quæ sequuntur, meam tueri sententiam videntur.

SPORTVLIS. *Sportula*, quæ & *Corbis*, fiebatque ex vimine. Cibus, canistro contentus, per metonymiam *Sportula* dicebatur: hinc Svetonius in Ner. cap. 17. *Publicæ Cœnæ ad Sportulas redactæ*. Cibi enim qui a Magnatibus dabantur iis, qui, vel officii caussa comitabantur, vel prima luce in atrium salutandi gratia conveniebant, sportulis ferebantur. Juvenalis Sat. III:

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ, sequitur sua quemque culina.

quæ sic italicè versa edidit Cl. Silvestrius

„ E non vedi con qual fumo importuno
„ La sportula oggidì vien celebrata?
„ Son cento i Convitati, e vien portata
„ La sua cucina dietro a ciascheduno.

Hujusce consuetudinis vestigia remanent ætate quoque nostra potissimum in Principum aulis, cum Cubiculariis, aliisque Principi addictis viris, calidæ illæ Americanæ potiones, & crustula mane circumferuntur. At de aliis nonnullis Sportularum significationibus confer Dempsterum, Budæum, Alciatum, Gutherium.

IVNO-

IVNONI REG. *Junoni Reginæ*. Æquum fuit Junonem (Jovis hominum Deûmque regis sororem, & conjugem) *Reginam* appellare. Hujus simulacrum a Veiis transvectum in Aventinum, & celebri die, summo Matronarum studio dedicatum asserit Camillus in Oratione, quam ad Populum Romanum habuit. Hujus transvectionis historiam copiose descripserunt Livius, atque Plutarcus. Hinc Virgilius

Ast ego quæ divum incedo Regina Jovisque
Et Soror, & Conjux.

Junonis item Reginæ templum fuit in Capitolio, quod Cn.Flaminius bello adversus Ligures voverat. Ardeæ quoque aliud extitisse docet Plinius, picturis a quodam Marco Ludio ornatum, cujus fit his versibus mentio

Dignis digna loco picturis condecoravit
Reginæ Junonis supremæ conjugis templum
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc, & post, semper ob artem hanc
Ardea laudat.

FERTIS. Seu *Fertis* uti scribit Festus: genus libi; qui illud adferebant, *Fertarii*, & *Strufertarii*. Persius Sat.3.

Et tamen his extis, & opimo vincere ferto
Intendit.

Adeundus Cato de R.R. apud quem legitur: *Fertum Jovi moveto*; &, *Jupiter te hoc Ferto obmovendo bonas preces precor.*

STRVIBVS. Strues sunt pariter genera liborum. Struem *commovere* verbum sacrorum est, quod significare arbitror libamina Diis offerre, & ad exaudiendas sacrificantis preces excitare. Ita *Struem movere*, & *obmovere*, eamdem habent significationem: quæ omnia nil aliud sunt quam *libare*, quod est ambabus manibus *struem* Diis offerendo, vel *fertum*, primis quasi labris degustare: *Jane Pater*, inquit laudatus de R.R. scriptor, cap. 135, *te hac strue commovenda bonas preces precor.*

70.

COLLEGIO TIBICINVM
ET FIDICINVM ROMANORVM
QVI SPPS
TIIVLIVS TYRANNVS
:::MMVNIS PERPETVVS ET
:::VLIVS TYRANNVS F
H C D D
DEDICATVM . K . MART
⁝RSO GERVIANO II. L.FABIO.IVST.COS

TIBICINVM.

Tibia non ut nunc orichalco vincta Tubæque
Æmula

inquit Horatius; ex quo patet Tibicines a Tubicinibus, & ita Tibias a Tubis differre. Constat etiam ex eo quod Romanorum religio juberet, ut majoribus mortuis Tuba, minoribus Tibia caneretur, uti asseruit Lutatius Placidus *in Comm.ad Statii Theb.* lib.6. Decretum vero istud posthabitum fuisse testatur celebris illa Musei Kircheriani tabula, in qua & Tibicen, & Tubicen cubili cujusdam defunctæ fœminæ adstant. Monumentum ipsum eruditis consulendum trado, ut simul Tibiæ rectæ, Tubæque, instar Buccinæ, seu Cornu, contortæ, inspiciant typos

Ti-



Tibicen ſimiliter, & Tubicinem ad lectum alterius Fœminæ jam defunctæ canentes videre eſt in inſigni Pariſienſi Anaglypho a cl. Scipione Maffeio illuſtrato *in Obſerv. litter.* T.1. & in *Muſ. Veron.* p.ccccxx. *Defunctæ* inquam, non quidem *morientis*: hos enim Cantores, ſignanter apud Hebræos, *mortuis* non *morientibus* acceſſiſſe liquet (ne nimis a propoſito digrediar) ex illo Matth. IX.23.24. *Et cum veniſſet* Jeſus *in domum Principis, & vidiſſet Tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: recedite, non eſt enim mortua Puella, ſed dormit*. De varietate autem Tibiarum, deque officio Tibicinum confer Roſinum, Bonannum, Quadrium, Academicos Herculanenſes, alioſque de rebus muſicis Romanorum Scriptores. Hic tantummodo notandum Marmor ad Tibicines illos, & Fidicines pertinere, qui Sacris publicis intererant, uti ex ipſa Lapidis inſcriptione colligitur.


FIDICINVM. Fidicen, Græcè κιθαρωδός, ſcilicet qui cythara, vel lyra canit. Horatius Carm. lib.4.


Romanæ fidicen lyræ

& Epiſt. lib.1.

Hunc ego non alio dictum prius ore Latinis
Vulgavi fidicen:

hoc eſt, inquit *Ludov. Deſprèz in Comm. Hor. ad uſum D., ego lyra canens Latinis oſtendi*. Liræ figuram, (quam teſtibus Marmoribus Arundellianis Terpander invenit) præter laudatos Scriptores, exhibuit Laur. Pignorius in Op. *de Servis*, hujuſmodi





at

at eam elegantius expressam vide in hac, ex Mediceis, gemma apud cl. Gorium *Tab.* IV. in qua Musam vides citharæ fides temperantem



A. Gellius consuetudinem memorat ducendi in conviviis Fidicines, ut ad lyram suavi modulatione vocis compositæ epulantes oblectarent. *Fistulatores*, inquit in N. A. lib. I. *Fidicines*, *Tibicines lascivientium delitiæ conviviorum*: hi & lyram fidesque pulsabant, & carmina cantabant. De pueris hæc exercentibus mentio extat apud Claudianum in laudibus Stiliconis lib. 2.

——————— *nullo citharæ convivia cantu*
Non pueri lasciva sonant.

De Fœminis vero apud Hieronym. *in Ep.* ad Furiam: *Fidicines*, *& Psaltrias*, *& hujusmodi chorum Diaboli*, *quasi mortifera sirenarum carmina perturba ex ædibus tuis*. A Fidibus, nempe a chordis, seu nervis musicalibus nomen traxisse Fidiculam, tormenti genus apud Svetonium in Calig. & l. I. & 2. C. Theod. censent nonnulli, Isidori etymologiæ non assentientes: vide Donatum *in Dilucid.* p. 443.

COLLEGIVM. Institutum a Numa docet Plutarcus: *divisit secundum artificia*, *ut suum peculiare corpus haberent Tibicines* (quibus mox adjectos Fidicines, nostrum testatur Marmor) *aurifices*, *architecti*, *tinctores* &c. Eadem confirmat Val. Maximus *Cap. de Institut.* Ab hoc tamen Collegio omnes indiscriminatim cooptari Tibicines, & Fidicines haud credam; sed illos tantum, quibus veluti inferioribus Ministris, Sacris intervenire permittebatur.

QVI SPPS. *Qui sacris publicis præsto sunt*.

:::MMVNIS PERPETVVS. Aliqui ad tempus, alii Immunes erant perpetui, alii Triplicarii. De Immunibus satis loquuti sumus sup. N. 25.

HCDD. *Huic Collegio dedicarunt Julius Tyrannus* pater, & *Julius Tyrannus* filius. At, quid dedicaverint, ignoro: non equidem templum, neque Delubrum, quæ Diis tantum, aut Augustis in numerum Deorum relatis excitabantur, sed potius signum aliquod huic cippo impositum. K. MART. idest *die prima Martii*.

:::RSO GERVIANO &c. Lege SERVIANO. C. *Urso Serviano*; alias C. Julio Servilio Urso Serviano II, & L. Fabio Justo Coss. A. C. III. juxta Panvinium, & Almelovenium, imperante Trajano. Petavius, qui de his ne verbum quidem, ponit hoc anno C. Calpurnium Pisonem, & N. Vestium Rusticum Bolanum, quibus sanè subrogati sunt Servianus, & Justus. Ad L. Fabium Justum Epistola Plinii extat lib. VII. cui scriptorum suorum aliquid promittit: extant & quinque ad C. Ursum lib. 4. 5. 6. & 8. Lapidem vidit Smetius in vinea Franc. Cicchi ad Septizonium Severi.

71.

AV:::
:::ERCENIVSC
L MAGILIV:::
T MERCEL :: V :::: : RALI::::
L TVCCIVSCEL:::
L . ARRVNT::: L HELENVS
C . TITINIV:::: C L ADIVTOR
M . VISINIV M L PHILADELPHVS
Q. POMPONIVS Q L VRBANVS
C . SVLPICIVS C L ∴CTHETVS
C . CALVMELVS C L ERASTVS
L . OTIVS L L COMMVNIS
C . OPPIVS C L SECVNDVS
LVDOS LATINOS ET GRAECOS.FECER.VI.VIIII.III.PR.k ET k MART
ET POPVLO CRVSTVLVM ET MVLSVM DEDERVNT
MASINIO AGRIPPA COSSO CORNELIO LENTVLO ═══ COS

Cujus, quorumve in honorem, quave de cauſſa Ludi ab his Libertis *dati* fuerint, neque ex Lapide conſtat, neque ab Hiſtoricis narratur: quo vero anno, patet ex Conſulum nominibus in ipſo Lapide regeſtis; Marcus enim Aſinius Agrippa, & Coſſus Cornelius Lentulus magiſtratum conſularem obierunt anno V.C. DCCLXXVIII.epochæ Chriſtianæ XXV. Tiberii Imp.XII.

LVDOS &c. Cum Ludi ad ſacra quoque pertinuerint, ideo Inſcriptionem hanc ſacris, ſeu ad Deorum cultum, & religionem ſpectantibus Marmoribus ſociandam cenſui. Porrò Ludi publici celebrabantur vel in ſecundis gratiarum agendarum, vel pro Principis ſalute, vel tandem Populi benevolentiæ ſtudiique conciliandi cauſſa; aliquandoque in Parentum defunctorum honorem. Ceterum Romanorum ludi tot fuerunt, totque adſunt Auctores, qui de iis ſcite diſſeruere, ut mihi quidem laborioſum magis, quam neceſſarium de iis hic agere videatur. Nemini enim non exploratum reor Romanorum ludos, quoſdam *Latinos* ſive *Latiales*, quoſdam *Græcos*, ſive è Græcia Romam translatos, vocari. Eorum alteri *privati* erant, uti Pila, Alea, Trocus, Latrunculi, Tali, Teſſera, Diſcus; alteri *publici*, ſicut Circenſes, ſeu Gymnici, Deſultorii, Scænici, Trojani, Currules ſeu bigarum, & quadrigarum curſus, Navales in Naumachiis, Pugiles, in quibus pugnis, ceſtibus, haſtiſque decertabatur: hi modo a loco, ubi fiebant; modo a Diis quibus dicabantur, dicti; uti, Florales, Apollinares, Capitolini, Conſuales, Votivi, Martiales, Juvenales, Caſtrenſes, Palatini, Megalenſes, Cereales, Votivi, Magni, Seculares &c. Ludrica vero Græcorum ſpectacula, Nemæa, Pythia, Iſthmia, Olympia, Palæſtrica, Athletica.

CRVSTVLVM. Epulum ſcilicet populo dederunt, quod Itali *rinfreſco* appellant, ſed parcum admodum, & plebejum. Cruſtula enim placentarum genus erat ſaccaro confectarum: *Martios panes*, ſive *Maza panes*, ab inventore quodam *Martio* nomine dictos, aſſerit Grapaldus lib.3. *de Cænaculo*: nos hodie dicimus *Marzapani*: qui eos concinnabant, *Cruſtularii*: Lucilius in Satyr.

——————— lactantia Coa
Clam cum melle bibi, guſtavi cruſtula ſolus.

Et

Et Juvenalis Sat.ix.

Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.

ET MVLSVM. Potionis genus ex melle, & vino, *a mulcendo*. Mulsum ex vetere vino utilissimum fieri, quod facillime cum melle corporatur, docet Plinius lib. xxii. cap. 24. Mulsa aqua, h.e. *mellita*.

DEDERVNT. Apud Gruterum similiter, MATERNVS quidam

OB DEDICATIONEM. HONORARIAM
VICANIS. FLVIVM. POPV
LO. CRVSTVLVM. ET
MVLSVM. DEDIT

Legimus & EDIDERVNT. Ita apud Gorium in Appendice Inscript. Etr. p. 124. *Cilonianus* in Clypei dedicatione

POSTVLANTE POPVLO DIEM
LVD::::EPVLVM. EDIDIT. D. D

ADIVTOR. Plures fuisse *Adiutores* liquet ex Lapidibus: nimirum Adjutor *Haruspicum*, Adjutor *ab Epistulis*, Adjutor *scrinarius*, Adjutor *Cornicularierum*, *Quæstoris*, *Tribunorum*, *Præfecti urbis*. Uno verbo, Adjutoris officium erat, Magistratibus, aliisque vel ægritudine præpeditis, vel multitudine negotiorum obrutis, opem ferre.

Notandum in hac Tabula literas V. & K. constanter insculptas esse sic U. & Ꝁ. Quoad lineolas in fine, hæ non in hac tantum Tabula, verum etiam in aliis reperiuntur, uti inferius Cap.II. num. 87.

72.

OB HONOREQVODIESACERDE (*sic*)
. . . .
. . . .
DEDICAT. XVII:.:.:.:.:.:.:.:.
TER. ET. SEMEL.
Cos
LOCVS. DATVS AIVIIO
FAVSTINO PONT VVL. K
.:.AE.:.:.:.:.SACPAR. PERMISIT
.:.ACT.:.:.:.:.:.FL. MOSCYL
SVB QQ C. P
Q. VETVRI FIRMI FELICIS
SOCRATIS ET
L. FLORI EVPREPETI.:.:.:.S
OB CVIVS DEDICATIONE
DEDIT DECVRIONIBVS XIII
CVM oFFICIO BASILICES

Ex tam effracto tamque turpiter inscripto Lapide rem aliquam magni momenti colligere nequeo. Agitur quidem de publica Aræ, seu Ædiculæ dedicatione, deque loco, quem *Flavio Moscylo*, Pontifex Julius Faustinus adsignavit ubi is *Sacra*, seu quæ ad *Sacra* pertinent, *pararet*.

TER ET SEMEL. *Ter*, & semel, *quatuor* pro-

profecto ſignificare nemo contendit : at hujuſmodi dictionis exemplum nullibi (de vetuſtis Marmoribus loquor) reperimus. Doctiſſimus Muratorius p.158. innuit *heic alia eſſe ad eruditionem ſpectantia* ; quod mehercle nemo non videt ; verum ea, *temporis parcus*, Lectori enucleanda relinquit. Ea tamen ſilentio præteriiſſe æquo animo ferrem, dummodo Inſcriptionem ſaltem emendatam edidiſſet : atqui cum ejuſdem Cl.Viri exemplar, cum autographo Capitolino contuliſſem, tot in illo errata notavi, ut vix a doctiſſimo Blanchinio (ut idem Muratorius aſſerit) exſcriptum, atque oculariter inſpectum fuiſſe credam. Menda igitur cum emendationibus exhibeo, ut candidi Lectores, quæ ſit Lapidibus Capitolinis a Muratorio vulgatis præſtanda fides, agnoſcant.

Murat. OB HONOREM = *Lapis* OB HONORE ; neque ſpatium vel minimum video inter E & ſequentem S. ita ut dici poſſit quondam forte ibi extitiſſe M. quæ omnino deſideratur.

Mur. SACERDOT = *Lapis* SACERDE:::

Mur. DEDICAT XV = *Lapis* DEDICAT XVII

Mur. A IVLIO = *Lapis* AIVIIO

Mur. VVLk = *Lapis* VVL. K

Muratorius interpretatus eſt VVLCANI : at primo K longe diſtat ab L. Secundo Latinos ſcripſiſſe VOLCANVM, non *Vulkanum* compertum eſt.

Mur. SAE PAR = *Lapis* SACPAR.

Mur. MOSCHIL = *Lapis* MOSCYL:::

Mur. EVPREPETIS = *Lapis* EVPREPETI:::S

Mur. DEDICATIONEM = *Lapis* DEDICATIONE

Mur. ✻ quod nihil indicat = *Lapis* X quæ ſigla eſt monetaria.

Huic inſuper aliam ſociavit Muratorius Inſcriptionem ad Anubim ſpectantem, quæ nil cum illa commune habere videtur, præter affinitatem inter *Moſchili* & *Moſcyli* nomina. Muratoriana certe in Muſeo Capitolino non extat.

CVM OFFICIO BASILICES. Licet noſtris temporibus Baſilica idem ſit ac templum Deo dicatum, apud Gentiles tamen locum ſignificabat, in quo negotiationes privatæ, conſilia, & judicia exercebantur, dicta Baſilica quaſi *Regia* a voce Græca βασιλεως : hinc Statius Paulli Baſilicam, *Regiam* appellavit in Sylv. lib.1.

Illinc belligeri ſublimis Regia Pauli

Quatuor fuiſſe Romæ Baſilicas legimus. Prima a Catone Cenſorino constructa : ſecunda ab Opimio : tertia ab eodem Paullo Æmilio, quæ deinceps Fulviæ conſecrata eſt : quarta demum Baſilica Julii, cui conſtruendæ præfuit ipſe Architectorum Princeps Vitruvius. Verum quidnam ſit *officium Baſilices* ignoro. Plurimas quidem huius vocabuli ſignificationes recenſent Scriptores, quarum tamen ne unam quidem cum noſtri Lapidis ſententia congruere cenſeo. Adi Gruther. *de Off.* D. A. & Calvin. *Lexic. Jurid.*



CAPUT II.

Imperatores, Augusti, Cæsares, Augustæ, & Reges.

73.

) ANTONIAI	IVLIAIAVG	NERON
AVGVSTAI	AGRIPPINAI	CLAVDIOAVGFCAISF:
DRVSI	GERMANICI	DRVSO GERMANIC::::
SACERDOTIDIꟻI	CAISARISF	PONTIFAVGVRIXVꟻIRS ::::::
AVGVSTI	TICLAVDICAISAR	VIIꟻIR EPVLON
'G MATRI.TI.CLAVDI	AVGVSTI	COS
CAESARIS.AVGPP	PATRIS PATRIAI	PRINCIPI IVꟻENTVT:::::

MUtilum hunc Lapidem in quatuor partes dividere necesse est; quæque desiderantur, hoc pacto, ex Grutero restituere.

I.

DRVSO
CAISARI
TI . AVGVSTI . F
DIꟻI . AVGVSTI . N
DIꟻI . IVLII . PRON
PONTIF . FLAM . AVG
TR . POT. II . COS . II

h. e.

Druso
Caesari
Ti Augusti Filio
Divi Augusti Nepoti
Divi Julii Pronepoti
Pontifici Flaminum Augustalium
Tribunitiæ Potestatis II. *cos.* II.

PONTIF. FLAM. Post Romanæ Reip. casum, cum Romanos Imperatores, & Augustas eorum Uxores, vel Filios, consecrandi mos irrepsisset, plures quoque eorumdem Flamines sunt facti. Mortuo enim, & inter Divos relato, Imperatori Flamen, & Sodales, qui ab eo nomen acciperent, addebantur, templumque, in quo ipsi hymnos in ejus honorem canerent, extruebatur. Sed de Flaminibus inferius.

II.

ANTONIAI
AVGVSTAI
DRVSI
sic SACERDOTI DIꟻI
AVGVSTI
MATRI . TI . CLAVDI
CAESARIS . AVGPP

h. e.

Antoniae
Augustae
Drusi
Sacerdoti Divi
Augusti
Matri Ti. Claudii
Cæsaris . Augusti
Patris Patriæ .

ANTONIAI. Antonia minor, Drusi majoris uxor, Germanici, & Claudii mater: mulier optima, quæ tamen veneno obiit.

SACERDOTI. *Ex Auguſtalibus Sacerdotibus*, ſive *Flamini Sodalium Auguſtalium*, a Tiberio, uti mox dicemus, inſtitutorum.

III.

IVLIAIAVG
AGRIPPINAI
GERMANICI
CAISARISF
TI CLAVDI CAISAR
AVGVSTI
PATRIS PATRIAI

i. e.

Juliae Auguſtae
Agrippinae
Germanici
Caeſaris Filiae
Ti. Claudii Caeſaris
Auguſti
Patris Patriae.

TI. CLAVDII. *Uxori* ſcilicet *Claudii*, qui ſumpto in boletis veneno, conſcia Uxore, periit. Svetonius: *veneno quidem occiſum convenit; ubi autem, & per quem dato diſcrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum Sacerdotibus, per Halotum ſpadonem prægustatorem: alii domeſtico convivio per ipſam* Agrippinam, *quæ boletum medicatum, avidiſſimo ciborum talium, obtulerat*. Hinc Juvenalis Sat.v.

Boletus Domino, ſed qualem Claudius edit
Ante illum Uxoris, poſt quem nil amplius edit.

Hanc, imperandi avidiſſimam, libidinibuſque infamem, interemit Nero filius.

IV.

NERON
CLAVDIO AVGFCAIS::::
DRVSO GERMANIC::::
PONTIF. AVGVRIXVꟻIRS::::
VII ꟻIR EPVLON
COS
PRINCIPI IVꟻENTVT::::

h. e.

Neroni
Claudio Auguſti Filio Caeſari
Druſo Germanico
Pontifici, Auguri Quindecemviro ſacris faciundis
Septemviro Epulonum
Conſuli
Principi Juventutis.

NERONI. Druſus major eſt iſte, Claudii Cæſaris pater, olim Decimus, mox Nero prænominatus. Hunc *Livia*, cum Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit. Adoleſcens multis, magniſque virtutibus enituit. Ob præclare geſta ovandi jus, & triumphalia ornamenta percepit; ac poſt Præturam, teſte Svetonio, confeſtim inito Conſulatu, atque expeditione repetita, ſupremum diem morbo obiit, ex fractura, uti habetur in Epitome Liviana, equo ſuper crus ejus collapſo. De tanto viro accipe Horatii carmina lib.4.

Videre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli,
Nec ſcire fas eſt omnia. Sed diu
Lateque victrices catervæ
Conſiliis juvenis revictæ
Senſere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet.

Paterculus: *Ingenium illius, utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certe dulcedo, ac ſuavitas, ac adverſus Amicos æqua, ac par ſui exiſtimatio inimitabilis ei fuiſſe traditur, tum pulchritudo corporis proxima fraternæ*.

COS. Cum T. Quinctio Criſpino Sulpiciano ann. V. C. 745.

VII. ꟻIR EPVLON. Tres tantum Epulones primum creatos tradit Livius lib.33. anno Urbis DLVIII. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello Coſſ. Hi fuere C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de Epulonibus creandis tulerat, & P. Porcius Lecca. De his Cicero in de Orat. lib.III. *Sed ut Pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem*

tres Viros Epulones esse voluerunt, *quum essent ipsi a Numa*, *ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent*, *instituti*. At posterioribus temporibus septem creatos, ac Septemviros Epulones fuisse vocatos, Historici vicissim, & lapides testantur. Lucanus *Pharf.* lib. I.

Septemvirque Epulis festus, *Titiique sodales*.

De eorum autem munere laudatus Tullius ita loquitur: *Ludos minus diligenter factos*, *pollutosque*. *Quos ludos? te appello Lentule*, *tui Sacerdotii sunt tensæ*, *curricula*, *præcentio*, *ludi*, *libationes*, *epulæque ludorum publicorum*: *vosque Pontifices*, *ad quos Epulones Jovis O.M.*, *si quod est prætermissum*, *aut commissum*, *adferunt*, *quorum de sententia eadem renovata celebrantur*. *Ludi sunt minus diligenter facti? quanto*, *aut quo scelere polluti? respondebis & pro te*, *& pro collegis tuis*, *& pro Collegio Pontificum*, *nihil cujusquam aut negligentia contemptum*, *aut scelere esse pollutum*. Ex quibus verbis intelligimus non modo quod esset Epulonum munus, verum etiam fuisse eorum quoddam Collegium, uti ex Gruteriana quoque inscriptione patet.

IMP. CAES. DIVI. FIL
AVGVSTO
TERRA. MARIQ
VICTORI
SACERDOT. BONAE. DEAE
ET. COLLEG. VII. EPVLON
COMMVN. POP. VOTO
RAVENAT
D. D.

PRINCIPI IVℲENTVT. Tituli hujus author fuit Augustus, qui eum Cajo, & Lucio tradidit, uti docet Tacitus: *nam genitos Agrippa* Cajum, & Lucium *in familiam Cæsarum induxerat*, *nec dum posita puerili prætexta*, Principes juventutis *appellari*, *destinari Consules*, *specie recusantis flagrantissime cupiverat.* Hi erant Imperii *Candidati*; primum *Principes juventutis*, deinde *Cæsares*, tandem *Nobilissimi Cæsares* vocati sunt. Imperatores enim consueverant ex Filiis, vel Nepotibus, vel aliis sanguine junctis, unum atque alterum, quorum præclaram indolem conspexerant, creare, ad quos Imperium transferri volebant. Præsidebant Trojanis ludis ab Ascanio inventis, qui in Circo celebrabantur a pueris majoribus, & minoribus, turmatim congredientibus. Virgilius Æn. lib. V.

Hunc morem cursus, *atque hæc certamina primus*
Ascanius, *longam muris cum cingeret Albam*,
Rettulit, *& priscos docuit celebrare Latinos*.
Quos puer ipse modo secum post Troia pubes
Albani docuere suos, *hinc maxima porro*
Accepit Roma, *& patrium servavit honorem*:
Troia nunc pueri, *Trojanum dicitur agmen*.

DIℲI. Inversa littera F. notum exhibet digamma æolicum, ab ipso Claudio Imp. inventum pro V. consonanti, teste Svetonio: *novas etiam commentus est litteras tres*: confirmat Tacitus; *novas litterarum formas addidit*, *vulgavitque*; & Quintilianus: *nec inutiliter Claudius* æolicam illam Ⅎ ad hos usus litterarum adjecerat. *Hanc tamen*, ait Lipsius (in Not. ad Svet.) *non Claudius solus inter litteras habendam censuit*, *sed & Varro*, *si Annæo Cornuto credimus*. ℲIA. CLAVDIA. ℲALERIA. pro *Via Claudia Valeria* legitur in milliario Lapide apud Fabrettum pag. 475. TERMINAℲIT. AMPLIAℲIT, pro *Terminavit*, *Ampliavit*, apud laudatum Lipsium.

CAISARI. *Ai* pro *Ae*. Id scimus Antiquos scripsisse *Ai*, quod nos per *Ae* afferimus; quod tamen Constantini ætate jam obsolerat.

Lapis hic noster exstabat olim *Via lata* vulgo *il Corso*, ante ædes Alexandri Columnæ, in area, quæ nunc dicitur *Piazza di Sciarra*.

NERO-

74.

NERONI CAESARI
GERMANICI . CAESARIS . F
TI. CAESARIS . AVGVSTI . N
DIVI . AVGVSTI . PRO . N
FLAMINI . AVGVSTALI
SODALI . AVGVSTALI
SODALI.TITIO.FRATRI.ARVALI
FETIALI . QVESTORI
EX . S . C .

Non ad Neronem tyrannum, ſed ad Neronem Germanici, & Agrippinæ majoris Filium, minoriſque Agrippinæ, Druſillæ, Livillæ, Druſi, & C. Cæſaris germanum fratrem pertinet Inſcriptio, perpetuum depravationis, levitatiſque Senatus teſtimonium: Senatus inquam, qui inertiſſimo Principi nobiliſſima excitare monumenta non erubuit. Hunc, re ipſa, Tiberio criminante, cum Druſo fratre, iidem Patres conſcripti, & hoſtem judicavere, & in Inſulam Pontiam deportari juſſerunt: ibi tandem, fame conſumptus miſerè periit. Ejuſdem Neronis mentionem facit alter Lapis in Hiſpania repertus, nempe Ucletii, inquit Gruterus, ab Auguſtalibus VI viris poſitus:

NERONI . CAESARI
GERMANICI . F
TI . AVGVSTI . N . DIVI . AVG . PRON
FLAMINI . AVGVSTALI
SODALI . AVGVSTALI

Urnam quoque cinerariam iſtius Neronis vidit olim Mazzochius in Area Capitolina ſub porticu Domus Conſervatorum cum hac Epigraphe:

OSSA
NERONIS . CAESARIS
GERMANICI . CAESARIS . F
DIVI . AVG . PRON . FLAMIN
AVGVSTALIS.QVAESTORIS

Neronianum tandem ex ære Numiſma exhibent Æneas Vicus, & Petrus Bellorius *in* XII. *prior. Cæſ. num.*

PRO . N . *Pronepoti*. Lineam hanc penitus omiſit Muratorius.

FLAMINI . AVGVSTALI. Flamen a capite velato, inquit Varro de L. L., & quod filo lanæ præcinctum caput haberet. Flamini huic Auguſtali ſacerdotes Auguſtales ſubjecti erant. Flamines, non Romulus, quod ſcripſit Plutarcus, ſed Numa inſtituit; is, ne ſacra tempore belli deſererentur, Flaminem Jovi aſſiduum Sacerdotem creavit. Fuere deinceps Flamines majores, & Flamines minores; at ceteris omnibus, tum auctoritate, tum inſignibus longe Dialis præſtitit. Porro a Julio Cæſare conſuetudo ita invaluerat, ut omnibus pene Auguſtis, quibus ob merita in Remp. divini honores decernebantur, ſimul Flamines cum Sodalibus conſtituerentur. Tacitus *Ann.*14. Sodales cum Flamine, a Tiberio, Auguſto conſecratos ſcribit.

SODALI . AVGVSTALI. Cum nemo, uti opinor, Flaminis dignitatem obtineret, niſi in Collegium Sodalium adſcriptus, ſupervacaneum hic erat Neronis ſodalitatem indicare. Ceterum ſodalitates extitiſſe ante V.C, & ſignanter ſodalitatem Pani, ſeu Fauno in Palatino, a Latinis priſcis ſacratam, probavit in ſuo veteri *Latio* profano cl. S. R. E. Card. Corradinus. Sodales tamen Auguſtales a Tiberio in honorem D. Auguſti excogitatos, ſuperius Taciti verbis, diximus. Hujus vocabuli etymon colligitur ex Feſto: *Sodales dicti ſunt, quod una ſederent, & eſſent; vel quod ex ſuo dapibus veſci ſoliti eſſent, vel quia inter ſe invi-*

vicem suaderent, quod utile esset; & ex Cajo J.C. *Sodales, qui ejusdem Collegii sunt.*

SODALI. TITIO. Collegii *Titialium*, seu *Titiensium* origo incerta est. Tacitus enim, qui duobus in locis eorum meminit, non uno modo de iisdem loquitur. A *Titiis* avibus (italice *Colombi selvatici*) dictos tradit Varro lib. 4. Ast a *Tito Tatio* Sabinorum Rege, quemadmodum *Titiensis* tribus, ita appellatos esse autumant nonnulli - De Sodalibus Titiis perperam scripsere Pomponius Lætus, & Onuphrius Panvinius, cum Titiales extra Urbem habitasse, & in tuguriis servasse auguria opinarentur. Nero enim ipse, de quo hic sermo est, certissime inter Urbis mœnia commorabatur. Præter Lucanum, qui Titios sodales nominat *lib.* 1. uti vidimus

Septemvirque epulis, Titiique sodales.

antiquæ supersunt inscriptiones, a laudato Panvinio exscriptæ.

P. CORNELIO
DOLABELLAE
COS
VII. VIRO. EPVLONVM
SODALI. TITIENSI

item

. . . .
M. F. CL. PRISCO
SACERDOTI. TITIALI
PR. INTER. CIVIS. *sic* ET
PEREGRINOS. TR. PL
QVAESTORI. PROC
AVG. XX. HERED

FRATRI. ARVALI. De Fratribus Arvalibus jam satis num. 69.

FETIALI. Sic frequenter in antiquis marmoribus pro *Feciali*. Fidei publicæ inter Populos Feciales præerant; nam per hos fiebat, ut justum conciperetur fœdus, & ut fœdere fides pacis constitueretur, inquit Lætus. Eos, bellum Fidenatibus indicturus Numa, creavit. Formam vero feriendi per Fecialem fœderis, latissime retulit ex Livio L. Fenestella, seu potius sub Fenestellæ nomine (licet id neget Simon Leewius *de Orig.* J. C. p. 45.) personatus Dominicus Floccus.

QVAESTORI. A verbo QVAERO *Quæstores* initio dicti, & a servanda publica pecunia; capitalibus rebus præsidebant; Cives Romanos capite punire his licebat; Provincias sortiebantur: primum Patritii, & Plebei indistincte creati. Romulo & Numa regnantibus Quæstores non fuerunt, sed sub Tullo Hostilio extitisse asserunt Historici. Origo Quæstoris creandi, teste Ulpiano, antiquissima est, & pene ante omnes Magistratus. Apud Livium tamen non est Quæstorum mentio ante consulatum T. Quintii Capitolini, & Agrippæ Furii anno V.C. 309. Post, lege Syllæ, viginti creabantur Quæstores, supplendo Senatui, cui judicia tradiderat. Et licet ad Equites judicia rediissent; Quæstura tamen gratuito concedebatur; donec, sententia Dolabellæ venumdaretur. In plures ordines divisi erant, diversoque fungebantur officio: hinc Quæstores Urbani, Provinciales &c. Confer, si placet, Nicolaum Grucchium, Sigonium, Cellarium, & Jo. Kaal *in Lexic. Jurid.*

Hæc igitur Sacerdotia, & Magistratus Neroni, Germanici F. credita fuere ex S. C. uti patet ex hac Capitolini musei inscriptione, quam in uberrimis Mazzochii, Reinesii, Gruteri, Fabretti, Donii, Gudii, Goriique collectionibus non reperi. Eam profecto Lipsius, & Muratorius retulerunt; at in Muratoriana, quarta, ut dixi, desideratur linea; in Lipsiana, septima, octava, & nona, atque in tertia, *Cæsaris* titulus.

75.

::R . MANICO CAESARIIICAESARIS . F . DIVI . AVCVSTI :
C . IVLIVS CHIMARVS . IDEM · STATVAS ET AEDICVLAM
FFECIT . SEDES . MARMOREAS . POSVIT H

R. MANICO. *Germanico Cæſari Ti. Cæſaris Filio, Divi Auguſti* Nepoti; C. *Julius Chimarus*, in honorem Germanici Cæſaris *Statuas*, *&* *Ædiculam* (de Ædiculis vide ſi lubet inferius) *Refecit*.

SEDES MARMOREAS. Pilas ſcilicet ad ſedendum, ſive Sedilia circulatim, juxta Ædiculam *poſuit*. Hinc Virgilius Æn. lib. 1.

Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus antrum;
Intus aquæ dulces vivoque ſedilia ſaxo
Nympharum domus.

ita Plin. ep. 1. 7. *Locis pluribus diſpoſita ſedilia e marmore*: at ubi hæc poſuerit C. Julius, ignoramus. Locum enim, quo reperta eſt Inſcriptio (quæ ex Muſeo Albano in Capitolinum adſportata eſt) nemo ex antiquorum lapidum Collectoribus indicavit.

H. Solitariam hanc ſiglam extralinearem (quæ alias *Heredem* indicat) hic quomodo interpreter, non video.

76.

SVAVI . AGRIPPINAE
GERMANICI . CAISAR . F
DISP
VGRAMMVS . ET RVSTICVS
ARCARI . B . M . F

SVAVI. Agrippinæ Liberti, aut Servi nomen, vel cognomen.

AGRIPPINA. Julia Agrippina (de qua alias) Agrippinæ majoris, & Germanici filia; deſponſata prius Paſſieno Criſpo, inde Cn. Domitio Ænobarbo Neronis Patri, tandem Tiberio Claudio Imperatori. Hæc optimi Parentis peſſima filia, in Caii fratris fœdiſſimo conturbernio vixit. In exilium acta, cum rediiſſet, patruo ſuo Claudio, poſt Meſſalinæ necem inceſtis nuptiis conjuncta, parto, tot parricidiis, Neroni filio, Romanoque carnifici, Imperio, crudeli morte periit; eo tantum memoranda, quod in oppidum Ubiorum, ubi edita fuerat, Veteranorum Coloniam deduci curaverit, quæ hodie quoque ejus nomen ſervat: *Colonia Agrippina*.

DISP. *Diſpenſatori*. Apud Grecos οἰκονόμε, apud Latinos *Oeconomus*: Italice *Maeſtro di Caſa*, cujus olim munus fuit æs, ſive nummos *expendere*, non *numerare*, inquit Vulpius *in Tab. Ant.* ex Matthæo Radero *ad Mart. not.* Ex pendendo nomen hauſit. At juxta T. Poppam, alioſque Etimologos ſcriptores, Servi erant, familiæ rationes diſpenſabant, & peculii adminiſtrationem habebant. Hinc Epigrammaticus Vates lib. v.

Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amica.


Cicero apud Nonnium: *quid tu, inquam, ſoles, cum rationem a Diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non probare*? tandem Juvenalis Sat. 1.

Prælia quanta illic Diſpenſatore videbis
Armigero?

Thoantis Auguſti Diſpenſatoris teſſeram, quam multopere depravatam retulit Muratorius p. 1015.

p.1015. ex Archetypo excerptam dedit diligentissimus Odericus *in Syllog. vet. Inscript.* p.230. Eam æque diligenter delineatam heic accipe.





VGRAMMVS. Forte *Eugrammus*, ut in duobus Saxis a Jacobo Mazzochio in *Epigr. ant. Vrbis* exscriptis.

ARCARI. *Arcarii*. Ab arca denominabantur ii, qui non tantum vestimenta ad balnea gerebant, verum etiam qui reliqua omnia vestimentorum genera adservabant. Apud Scævolam tamen, Arcarius Servus est, cui Arcæ, in qua Domini pecunia condita, procuratio committitur. *Stichus*, inquit, *Arcarius, probante Domino nomina fecit, & rationes a Domino scriptas exhibet*. Arcariorum meminit Lapis alter Capitolinus, quem videbis cap.v. Mazzochius p.114.

DIIS MANIBVS SACRVM
D.FABIO.D.F.CLA.ARCARIO VIX.ANN.XIIX
MEN.IIX.D.XXVII.H.VI
FABIA FVSCA FILIO PIISSIMO

In Museo Kircheriano Collegii Romani hanc anno 1773. urnulam exscripsi:

D. M
HERMEROTI
ARCARIO
VIX.ANN.XXXIV

De Rerumpublicarum Arcariis, quos nos *Thesaurarios* appellamus, extat Inscriptio a Francisco Ficoronio in agro Labicano reperta, atque in *Mem. di Labico* relata p.50.

D.M
PARTHENIO.ARCARIO
REI.PVBLICAE
LAVICANORVM
QVINTANENSIVM
.·.VAE.

77.

.·.VAE . DRVSILLAE
SACRVM
:::VBELLIVS.C.F.BLANDVS
DIVI.AVG.TR.PL.PR.COS
::: O.COS PONTIF

:::VAE. *Divæ Drusillæ sacrum Rubellius Blandus Caii filius* Legatus *Divi Augusti* , *Tribunus plebis* , *Proconsul*, *Consul*, *Pontifex*. Lapis inventus est Tibure anno 1727. in pavimento Ecclesiæ S.Silvestri.



DRVSILLAE. Drusillam, Germanici, & Agrippinæ majoris filiam, a fratre Cajo Caligula in domo Antoniæ aviæ vitiatam, Tiberius L. Cassio Longino consulari in matrimonium collocavit. Sed Cajus eam adeo adamavit, ut in modum uxoris propalam haberet, & heredem Imperii æger instituerett. Eadem defuncta iustitium indixit, in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge, liberisve, capitale fuit. Imò mœroris impatiens, cum repente noctuque profugisset ab urbe, transcurissetque Campaniam, Syracusas petiit. Rursusque inde properè rediit, barba, capilloque promisso. Nec unquam postea quantiscumque de rebus, nec pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillæ dejeravit. Urbes per omnes divinis eam coli honoribus jussit, Livioque Germinio juranti se eam vidisse in cœlum ascendentem, decies sestertium donavit; hæc ex Svetonio, & Dione, a quibus etiam narratur eam habitu Veneris cognomine *Pantheæ* consecratam. Qua propter in eadem sum Lipsii sententia, qui veterem hanc Inscriptionem

VENERI. CAELESTI. AVGVSTAE
SACR
MVMMIA. C. F. DORCAS
S. P. F. C

Drusillæ referendam censuit. Incestuosæ hujus fœminæ Numisma publici juris fecit Martinus ab Ebermayer

Plumbeum item nummum edidit Car.Patinus, in quo Drusilla cum Sororibus Agrippina, atque Julia, habitu Concordiæ repræsentatur.



Ejusdem imago, in aversa parte Caii nummorum, non semel apparet cum græca epigraphe ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ. Sed & alterum Inscriptionis fragmentum inveni Augustæ Taurinorum, ex quo, ut in isto, Drusillam *Divæ* titulum obtinuisse dignoscitur.

::A. M. F. SECUNDI. ASPRI
::INICA (Flaminica) DIVAE. DRVSILLAE
::VM(Balneum)ET.PISCINAM.SOLO.SVO
::CIPIBVS (Municipibus) SVIS. DEDIT

::VBELLIVS. *Rubellius*. Rubellium Blandum, omisso prænomine laudat Tacitus, his verbis: *solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit*. Vir igitur consularis fuit, Tribunus plebis, Pontifex, Triumvir monetalis, atque proconsul, uti patet ex hoc Lapide, quo suppletur Historicorum de Rubellii Proconsulatu silentium. Consulatum quoque gessisse colligeretur ex hoc Marmore; nam post notas PRO. COS. denuo legitur COS., sed littera O. quæ præcedit, adeo tenebras affert,

fert, ut nihil certi affirmari possit. An mendosa Proconsulatus repetitio, nempe *prO*. COS.? videant eruditi. Divi Augusti Legatum Rubellium facit Ant. Lupus *in Epitaph.* S. Severæ, sic

R (:: VBELLIVS . C . F . BLANDVS
Legatus (DIVI . AVG. .

In saxo, forsitan ætate sua minus effracto, Siglas aliquas Rubellii legationem indicantes viderat. Nummum subjicio, quem ad Rubellium istius Inscriptionis auctorem pertinere, contra Morellium censeo, a quo, nescio quare *Rubellio Plauto* tribuatur, cum plane in eo, ac perspicue legatur C. *Rubellius Blandus*, & circum incudis typum, *Auro*, *Argento*, *Aere*, *Flando*, *Feriundo*.



Nummum hunc exhibent tum Morellius, tum Patinus *in Fam. Rom.* De Rubellia gente, quæ origine Tiburtina fuit, satis dixere, præter laudatos familiarum Romanarum scriptores, Rocchus Vulpius, & Antonius Regius; eamque nobilissimam, atque Neronis affinitate conspicuam testatur ipse Juvenalis, licet in Rubellium Blandum aspere atque vehementer invehatur.

. . . . tecum est mi sermo Rubelli
Blande: tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aere texit.

Gallus quidam anonymus, postremum versum quem incuriose legerat, sic gallice vertit, seu potius vitiavit. *Tu es*, inquit, *enflè des hautes qualitez de Drusus, comme si tu avois fait quelque chose pour la quelle tu fusses noble, ou sorti de cette Dame que le sang de Jule rend illustre, au lieu* que tu es nè d'une Femme *qui gagnoit sa vie sur le rempart de Tarquin a faire de la toile.* Gratulor interpreti huic, quod ei, locus ipse, ubi Satyrici imaginaria Textrix telas conficiebat, innotesceret. Interea Genealogiam a Cammillo Silvestrio Rhodiginio ordinatam accipiat, qua præclarissimum Rubelliorum genus delucide explicatur; nisi quod eruditissimus Auctor, ubi Juliam minorem nominat, Seniorem scribere debuerat.

C.Julius Cæsar —	Julia *minor*, Attii Balbi uxor —	Attia C. Octavii uxor —	Antonia Neronis Drusi Tiberii fratris uxor —	Livilla Drusi Cæsaris Tiberii filii, uxor —	Julia C.Rubellii Blandi uxor —	Rubellius Plautus de quo Juven.

— C. Julius Cæsar Dictator perpetuus, & Imp.

Scio a plerisque legi *Plaute*, pro *Blande*, laudarique C.Tac., qui scribit: *destinavisse Rubellium Plautum*; At primo Juvenalis, Rubellium suum aperte *Blandum* appellat. Secundo si Taciti auctoritas magni facienda est in Hist. l.14. ubi Rubellium *Plautum* vocat, quare minime attendenda, ubi eumdem, *Blandum* nominat? Ut ut rès sit, gens ista Villam habuit in agro Tiburtino, quam eo stetisse monte, qui dicitur *Monte di Ripoli*, asserunt nonnulli. Ibi certe veterum Ædificiorum ruinæ, ferme ad ipsam usque Urbem, Tibur progredientibus occurrunt. Vide Antonium Regium, sive *del Re* Hist. *di Tivoli*.

78.

NERONE . CLAVDIO . CAESARE
AVG . GERMANICO . II
L. CALPVRNIO . PISONE   COS
C. POPILIVS . PRIMIO
VNGENTARIVS . FECIT

Legatur

NERONE . CLAVDIO . CAESARE . AVG. GERMANICO . II
L. CALPVRNIO PISONE   COS

NERONIS Consulatus II. incidit, juxta Almeloveriium, & Petavium, in annum V.C. 809. Panvinius tamen Taciti auctoritate ductus, Consulatum Neronis secundum A.810. rectius ponit; Christi vero 58. Petavius insuper, Pisonem hunc cum Nerone consulem, C. prænominat, non L., ideoque, Lucium confundit cum Cajo illo Calpurnio Pisone, qui conjuratione in Neronem facta, interfectus est. Ceterum, Neronis cum Pisone consulatus semestris tantum fuit: iisque suffecti Ducennius Geminus, Pompejus Paullinus.

VNGENTARIVS. Lis inter Grammaticos, quorum aliqui *Vngentum*, & *Vngentarium* scribunt; alii *Vnguentum*, & *Vnguentarium*. Auctoritates pro utraque scriptura refert Dausquius: in vetustis Lapidibus profecto sæpius *Vngentarius*, & ab *Vngentis* legimus, uti notavit Fabrettus *Cap.*III. *p.*219. qui septem hoc pacto inscripta Saxa vulgavit, quibus octavum hoc nostrum addatur. Manutius tamen, Lapidum auctoritate posthabita, *Vnguentarium* recipit, *Vngentarium* expellit. Unguentarii iidem quibusdam sunt ac *Vnctores*: mihi vero Unctores, qui corpora ungebant; Unguentarii, qui unguenta conficiebant, vendebantque, quorum ars *Vnguentaria* dicebatur, uti innuit Plautus *in Poen.* Act.III.

——— faciam ubi tu laveris
Ibi ut Balneator faciat unguentariam.

At pro Unguentis non illæ intelliguntur compositiones tenaces, quibus curantur vulnera, sed diversorum odorum commistio, addito oleo, ad ungenda corpora, deliciarum atque mollitiei causa inventa. Porro officinas in quibus Unguenta conficerentur, necessarias fuisse perspicuum est, attento potissimum Romanorum immodico unguentorum usu in Balneis, ubi *Cella unguentaria* (de qua Sidonius Apollinaris *lib.*II. *ep.*2.) in Conviviis, in Funeribus, in Ludis. Balsamum, & Crocum in honorem Trajani per theatri gradus fluere jussisse Hadrianum, e Spartiano discimus. Frustra enim Licinius Crassus, & Julius Cæsar exemplo Lacedemoniorum, qui Unguentarios urbe exegere, ne quis unguenta exotica venderet, pœnis inhibuerant. Fœminas ipsas *Vnguentariam* exercuisse constat ex Plinio qui H. N. *lib.*XII. de quadam Unguentaria, a Juba adamata, mentionem facit. Hinc *Vicus unguentarius*; ubi extiterit incertum. Ex his enim Horatii carminibus *Sat. lib.*2.

——— pomarius, auceps
Vnguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniet.

vicum Tuscum habitasse Unguentarios conjicitur, immo circa Velabrum, *ubi cuncti simul,* inquit ad hunc Vatis locum Ludov. Desprez, *cupediarum, ac deliciarum artifices, & ministri.* At Sextus Rufus in Urbis Regionum descriptione, Vicum istum Unguentarium aperte collocat in Regione V. hoc est Exquilina. Bulengerus de Conv. lib.III. ad illud Plauti:

Non omnes possunt olere unguenta exotica

unguenta a Persis reperta asserit: verumtamen ea in usu fuisse apud Hebræos, ipsa remotissima Aaronis ætate, constat ex his Psalmi 132. versiculis: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: Quod* Un-

descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Unguentorum innumera fere genera, quæ adhibebant Antiqui, recensent Athenæus *Deipnosoph*. lib. xv. & Plinius *loc. cit.* Ex recentioribus vero, confer Iosephum Lanzonum *de Unguentis* apud Sallengrium *Tom.* III. atque eruditissimos Academicos Herculanenses.

79.

IVNDC.·.·.·
.·.·.O. ⅄DSVERV
.·.·.CIVS T⅄VRVS.·.·.·
COS. IIII. IDVS.·.·.
.·..O. SER. G⅄LB⅄E. IM.·.·.·
.·.·.O. COLLEG. F
.·.·.PLIONE

ADSVERV. *Adsuerunt*, uti superius Cap. I. Num. 69.

:::CIVS TAVRVS COS. Nemo ex Consulibus, quorum cognomen *Taurus*, nomen habuit desinens in CIVS. Porro Galba eodem anno nempe C. 68. quo occupavit Imperium, ad lacum Curtii interfectus est; regnavitque septem vix menses. Agitur hic ergo de Consulibus ann. C. 68. Petavius hujus anni consularem dignitatem tradit C. *Silio Italico*, & M. *Celerio Trachalo Turpiliano*. Fasti Græci, liber Cuspiniani, & Damasus in vita S. Lini, nominant L. *Fontejum Capitonem*, & C. *Julium Rufum*. Almelovenius, & sequens Musei Capitol. marmor, C. *Bellicum Natalem*, & P. *Cornelium Scipionem Asiaticum*. Iste tamen Lapis hujus anni Consulem dicit quemdam :::CIVM TAVRVM: at imperante Galba consulem cognomine TAVRVM nullibi legimus. Esto quod perperam Quadratarius ::::CIVS posuerit pro :::LIVS, h. e. STATILIVS, difficultas tamen non solvitur; nam T. *Statilius*, *Taurus* consulatum gessit ann. V.C. 717. alter T. *Statilius Taurus* ann. 764. T. *Statilius Sisenna Taurus* Ann. 769. *Titius Statilius Taurus* 728. alter 797. Opinor igitur nostrum hunc::CIVM (puta *Castricium*, seu *Bellicium*, *Sulpicium &c.*) *Taurum*, istius Musei Capitol. fragmenti testimonio, Consularibus fastis, attento Scriptorum silentio, quorum authoritati Marmorum fidem antepono, restituendum. Forte *Taurus* iste, inito vix Consulatu periit, ideoque nullus de eo penes Historicos sermo. Reliqua exesi turpiter Marmoris verba, mutila nimis ad nos pervenere, ut ea recte enucleare quis possit. Fragmentum tamen inter votiva mihi collocandum videtur.

80.

HORRIORVM
⁝ ER. GALBAE. IMP. AVGVSTI
C. BELLICO. NATALE CoS
P. CORNELIO. SCIPIONE. ASIATICO

HORRIORVM. *Horreorum*. Supplendum necessario est, GENIO, vel FORTVNAE, hoc est *Genio*, sive *Fortunæ Horreorum Galbæ*. Fuerunt & Horrea Galbiana ab horreis Galbæ longe diversa: hæc enim ab Imperatore Servio Galba ædificata; illa a quodam Galbione, quem Valentinianus, teste D. Prospero, contra Bonifacium Africæ tyrannum mi-

misit. Ad istius horrea spectare autumant quidam sequens Inscriptio, quam in vinea Marcelli Capizucchi effossam tradunt Fulvius, atque Marlianus.

NVM. DOM. AVG
SACRVM
FORTVNAE. CONSER
VATRICI HORREOR
GALBIANORVM
M. LORINVS FORTVNA
TVS MAGISTER
S. P. D. D.

Sic in alia, in eadem pariter vinea reperta, idem Larinus Aram GENIO CONSERVATORI HORREORVM GALBIANORVM dedicavit.

Alii vero non ad Galbionem (nam *Galbioniorum* tunc inscribi debuerat) sed ad aliquem ignotum Virum *Galbianum* nomine pertinere contendunt. Quidquid sit de his, Marmor certe, de quo verba facimus, non *Galbionis*, neque *Galbiani*, sed Imp. Servii Galbæ Horrea manifestè commemorat, in quibus frumenta populo per tesseram frumentariam distribuenda condebantur. Ædificium (quod Antiquarii Regioni XIII. adsignant) quadrato Lapide constructum asserit Bulengerus *de* I. R. *lib.* VI. *cap.* V. ubi de Horreis vinariis, oleariis, frumentariis, de Horreorum etymologia, & usu, deque Horreorum Curatoribus plusquam satis. Adi etiam Jo. Savaronem *in not.* ad Sidonii Apollinaris *lib.* I. *epist.* 6.

C. BELLICO. Nempe C. Bellico (uti constanter in Lapidibus ad eumdem spectantibus, non vero *Bellicio*) Natale Tebaniano. Perturbatissimam jampridem Consulum seriem, magis ac magis, tot inter se pugnantibus sententiis, perturbarunt ipsi Fastorum Consularium collectores. Marmor hoc nostrum manifeste Consulatum laudat C. Bellici Natalis, & P. Cornelii Scipionis Asiatici, quos falso Auctores illi suffectos dicunt mense Septembri ejusdem anni quo Galba interfectus est: falso inquam, nam ex hac Inscriptione, aliisque liquet Bellicum, & Scipionem Consules fuisse adhuc superstite Galba, ut *Augusti*, atque *Imperatoris* tituli quibus nominatur, satis probant. Altera insuper extat apud Panvinium inscriptio, in qua Bellicus, & Scipio, regnante Galba Consules dicuntur.

IMAGINVM. DOMVS. AVG
CVLTORIBVS. SIGNVM. LIBERTATIS
RESTITVTAE. SER. GAIBAE
IMPERATORIS. AVG. CVRATORES
ANNI. SECVNDI
C. TVRRANIVS. POLYBIVS
L. CALPVRNIVS. ZENA
C. MVRDIVS. LALVS
C. TVRRANNIVS. FLORVS
C. MVRDIVS. DEMOSTHENES
DEDIC. IDIBVS. OCTOB
C. BELLICO. NATALE COS
P. CORNELIO. SCIPIONE. ASIATICO

ex his patet Consules istos suffectos potius eodem anno quo Galba imperium occupavit; nam anno sequenti idibus Octobris Servium Galbam (qui regnavit tantum menses septem, totidemque dies; a die scilicet 17. Junii A. C. 68. vel 69., ad diem 23. Januarii A. C. 69. vel 70.) jam vita functum unanimiter docent Historici. Emendandus (quoniam occurrit sermo) Dionysius Petavius, qui Servium Galbam, *Cajum* prænominavit. Id adversus Petavium notavit Norisius in *Epist. Consul.* p. 45. In novissima tamen *Rationarii Temporum* editione Veneta 1758. recte habetur *Ser. Sulpitius Galba*. Corrigendus est potius, doctissimus licet, Petavius, quod (posthumi Consulatus inventor) eumdem Galbam in Fastorum suorum tabulis Consulem dixerit A. C. 69. quem in chronologica Augustorum serie obiisse tradit A. C. 68. Muratorius hunc Lapidem, sed hoc pacto, pro arbitrio, divisum refert p. CCCVII.

C. BELLICO NATALE COS P. CORNELIO SCIPIONE ASIATICO	HORRIORVM SER. GALBAE. IMP. AVGVSTI

81.

IVLIO RVFO COS	CAVIDIVSOCTA:::
::VSPRISCVS IIIIVIRI . D	MCLODIVS::
RVFVS	IMPVESPASIANO:::
:::VALERIO .... ACHALO CoS	KAPRCAVARIVS::
::IVS . TIRO QVINQ	AVIDIVS IVS::
PAVLVS	DOMITIANO II CA:::
::ALBA. II TIVNIO CoS	KAPR. TITVSETDOM::
::::NIVS . VERVS IIIIVIRI.D	CN.MVMMEIVS:::
::RVILVS IIIIVIRP.L.P	MBARRONIVS:::
::ALVS NIGER IIIIVIR.P.L.P	IMP. VESPASIANO:::
::)II TITO FILIO CoS	KAPRC. TITEDIV:::
::::IVS MACRO IIIIVIR P.L.P	PCORNELIVS:::
:::IVS IONGVS	IMPVESPASIANO:::
:::S MARCELLVS IIIIVIR P.L.P	C. VIBIVS . TIR:::
::ARITIMVS	C. SAFINIVS . CF
::NO III MCOCCEIONERVA CoS	

Marmoreum hoc insigne amplioris Tabulæ fragmentum, in agro Casinati effossum, sedente Innocentio PP.XII., dono dedit doctissimo Præsuli Johanni Ciampinio eruditissimus Erasmus Gattola: distractum, post Ciampinii obitum, Franc.Blanchinius redemit, posuitque in Museo Albano, ex quo in Capitolinum (nobilissimam inscriptorum Marmorum huc illuc distractorum peregrinationis metam, constantisque quietis portum) Clemens PP.XII. transferri curavit. Partem continet Fastorum municipalium per annos singulos ordinariis Consulibus distinctos, ac nomina enunciat *Quatuorvirum* Juridicundo, & *Quinquennalium*, sub Impp. Nerone, Galba, Othone, Vitellio, ac Vespasiano, in eodem oppido, seu Colonia magistratu functorum. Nomina, & cognomina, licet fœde corrupta, ad vindicandas ævi, adversos tot illustres viros in Marmore laudatos, injurias, Historiæ, aliorumque Lapidum subsidio, restituere conabor.

IVLIO RVFO. Quanta Marmoris pars desideretur, ex hac prima linea conjicitur: nimirum spatium saltem quo L.Fonteii Capitonis nomen comprehendebatur. C. Julius Rufus consulatum gessit anno æræ Christianæ LXVII. vel LXVIII. cum L. Fontejo Capitone: his Consulibus passos esse DD.PETRVM & PAVLVM autumant, immo pro certo habent nonnulli Viri doctissimi. Sed circa annum & diem Apostolorum martyrii, & Consulum nomina, & cognomina adeo discrepatur inter Auctores, ut de his differere inane mihi videatur. Annales enim Pontificatus D. Petri, horumque auctoritate fultus Franciscus Pagius, Apostolorum cædem statuunt anno Æræ Christianæ LXV. Panvinius LXVII. h. e. V. C. 820. Ciacconius, Binius, Labbæus, & Blanchinius LXVIII. Baronius LXIX. Eusebius in Chronico, anno Neronis imperii XIV. Cassiodorus, post Neronis mortem. Insuper aliqui necatos asserunt Capitone, & Rufo, alii vero Coccejo Nerva, & Attico Vestino Coss. Itaque nil certi affirmari posse, nihilque mihi (attentis tot clarissimorum Virorum disceptationibus) pronunciandum, Lectoribus perspicue liquet. Certum est tantum PETRVM & PAVLVM martyrii palmam esse consequutos imperante Nerone, ideoque longe aberrasse Cassiodorum qui eos, uti notavimus, post Neronis suicidium interfectos tradit. Quoad Capitonis prænomen non constat ex antiquis Monumentis, an *Lucii* potius quam *Marci* sit retinendum. Ligorius

 sane

ſane hanc refert Inſcriptionem, in qua Fontejus iſte Capito *Marcus* prænominatur..

DD.XVIII.KAL.MAII
M.FONTEIO CAPITONE
ET C.IVLIO RVFO

at quam Ligoriana fides in veteribus Lapidibus exſcribendis male apud Antiquarios oleat, omnes norunt.

::VS PRISCVS. *Priſcorum* cognomina in VS deſinentia plura in Conſularibus faſtis reperiuntur; ſcilicet P.Servilius Priſcus, Q.Servilius Priſcus, T.Numicius Priſcus, Neratius Priſcus, Cornelius, & Q.Cornelius Priſcus: nemo ex his tamen noſtri Lapidis ætate vixit, quod conſtat ex ipſis Faſtorum tabulis, præter C.Cornelium Priſcum, qui Conſulatum exercuit A.C. LXXVIII. quique facile hoc anno Chriſti 68. vel 69. *Quatuorviri juridicundo* dignitatem obtinuerat.

RVFVS. T. Virginius Rufus, uti opinor, qui deinceps A.C.83.conſul fuit cum L.Memmio Regulo.

VALERIO ::ACHALO. M. Valerio Trachalo Turpiliano, quem in Faſtis Conſulem habemus cum C.Silio Italico A.C.68.Perperam Petavius M. CELERIVS pro M. VALERIVS. Tacitus, quem ſequuti ſunt Panvinius, Baronius, atque Noriſius, hunc GALERIVM nominat; idque recte, eo magis quod Trachalum Galeriæ Fundanæ Vitellii uxoris affinem dicunt Hiſtoriographi. Ceterum ambos egregios fuiſſe viros conſtat: Silium enim ab *Italica* Pelignorum metropoli, vel ab *Italica* Hiſpaniæ urbe *Italicum* dictum, inter latinos Poetas recenſent Gyraldus, & Crinitus. Opus non vulgari carmine compoſuit libris XVII. de bello Punico II. qui diu latuere, at tandem eruti in Germaniæ comitiis, Domitii Calderini ætate, ex antiqua Turri fuerunt, uti tradunt Gyraldus, & Raderus. De hoc poemate, Martialis, in Silii laudes omnino proclivis, hæc *lib.*IV. *epigr.*14.

Sili Caſtalidum decus ſororum
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidoſque
Faſtus Hannibalis, leveſque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis.

Ter Conſulatum eſt aſſequutus, teſtibus Calderino, Gyraldo, & Panvinio; tertium videlicet ſub Domitiano, cui gratiſſimus fuit. De tertio Silii conſulatu audi eumdem Epigrammaticum lib.VIII.

Auguſto pia thura victimaſque
Pro noſtro date Silio Camœnæ.
Biſſenos jubet en redire faſces
Noto Conſule, nobilique virga
Vatis Caſtalium domum ſonare.
Rerum prima ſalus, & una Cæſar
Gaudenti ſupereſt adhuc quod optet
Felix purpura; tertiuſque Conſul.

Verum, eruditiſſimus Raderus tertium Silii conſulatum validiſſimis quippe argumentis aperte reſpuit: hunc adi in Notis ad ejuſdem Libri epigramma LXII. Commendatione dignum recte Silium dixit Plinius lib.III.Ep.7. quod Virgilii natalem religioſius quam ſuum celebraret, tantique Vatis monumentum quotannis Neapoli, ut templum, adire ſoleret. Silii mortem Caninio Rufo municipi ſuo narrat idem Plinius *loc. cit.* Galerius autem Trachalus clariſſimus Orator, & Juriſconſultus fuit (quod ignoravit Tortorellius in opuſc.*degli Ant. Giureconſulti Romani*) uti ferunt H. R. Anglicani Scriptores. *Ut in conſiliis militiæ* (inquit Tacitus Hiſt. lib.I.) *Svetonio Paulino, & Mario Celſo, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur; & erant qui genus ipſum orandi noſcerent, crebro fore uſu celebre, & ad implendas populi aures, latum, & ſonans.* Huic, quem tamquam militarium Othonis orationum Auctorem mori juſſerat Vitellius, vitam remque ſervavit Galeria Fundana, ſecunda Vitellii, uti diximus, Uxor. Fragmentum ex quo Trachali hujus memoria emergere videtur, retulit Muratorius p.306.

:::::I. TRACHALO
::::PLEBIS. PR. COS
:::::VIR. EPVLONVM
::OS. PROVINC. AFRIC.
:::::RONO. DD

::AL-

::ALBA . II . TIVNIO . Servio Sulpitio Galba II. Cos. cum T. Junio . Hujus Galbæ in Consulatu socii cognomen, diu disceptandi inter eruditos argumentum præbuit: Nam quidam T. Vinium, quidam vero T. Junium cognominatum fuisse contendunt. Adi Panvinium in Fastis, & Norisium in Epist. Consul. p. 45. Utramque sententiam Lapides tuentur, & Codices . Pro *Junio* enim habes priores Taciti, atque Plutarchi editiones, nostrumque non dubiæ fidei Marmor Capitolinum; ita ut adversus Almelovenium scribentem.

T . VINIO . ; *male* T . IVNIO

retorquere pari confidentia possim

T . IVNIO ; *male* T . VINIO

Panvinius Taciti textum hujusmodi refert: *Initium mihi operis Ser. Galba* II. T . VINIVS, *non* IVNIVS ; *ita enim ex antiquo Lapide emendavi* , *Consules erunt* . At primo Panvinius erravit quod pro *Hist.* lib. I., laudaverit lib. XVII. Annalium , quorum sexdecim tantum extare compertum est. Secundo , verba hæc Tacito tributa non leguntur , ne in hoc quidem (de Editionibus loquor quæ nunc mihi ad manum sunt ; Amstelodamensi scilicet 1631. & Parisina 1699. ex Lipsii recens.) primo *Historiarum* libro . Tertio, esto C. Tacitum VINIVM non IVNIVM in antiquo Lapide legisse, quid tum ? lapis pro lapide : sciendum etenim an fides Marmoris a Tacito inspecti præponenda sit nostri testimonio , in quo aperte T. IVNIO non VINIO . Interdum religio mihi non erit antiquissimi nostri Saxi scripturam sequi .

:::NIVS VERVS . *Annius Verus* : hujusce nominis & cognominis Consules fuere nonnulli cum Aur. Augurino , L. Vario Ambibulo , & Neratio Prisco ann. C. 121. 126. 179.

RVILVS . *Rullus* . IIII VIR . P . L . P *Per legem Pompejam* ; idest per legem quam de jure Magistratuum tulit Pompejus tertium Cos. cum L. Cæcilio ann. V. C. 700. Confer Paulum Manutium *de legib.* lib. 1. & Jo. Calvinum in *Lexic. Jurid.*

:::) II. TITO FILIO Cos. Vespasiano II. Tito filio consulibus A. C. 70. & sic deinceps

71. IMP. VESPASIANO III. M. COCCEIO NERVA
72. VESPASIANO IIII. T. FL. VESPASIANO IMP. F. II. *i. e.* TITO
73. DOMITIANO II. CAESARE . M. VALERIO MESSALINO
74. IMP. VESPASIANO . V. T. FL. VESPASIANO F. III.
75. IMP. VESPASIANO . VI. T. FL. VESPASIANO F. IIII.

Vide Almelovenium & Cuspiniani Anonymum post Syromacedonum Epochas apud Norisium .

:::SMARCELLVS . Aut *Cornelius Marcellus* , quem *in Galba* nominat Svetonius , aut *Neratius Marcellus* cujus meminit Plinius lib. III. ep. 8.

:::IVS MACRO :::IVS LONGVS .·ARITIMVS idest *Maritimus* ; cognominibus istis nomina, & prænomina assignare, divinare est.

CAVIDIVSOCTA:: C. *Avidius Octavius* . MCLODIVS , M. *Clodius* , Quatuorviri *juredicundo* , seu *per legem Pompejam* , ut supra .

KAPRCAVARIVS . *Kal. Aprilis* . C. *Avarius* : ita KAPR. TITVS ET DOM. *Kal. Apr. Titus* , *& Domitianus* .

CN. NVMMEIVS . *Cn. Mummius Pius* . M. *Barronius* : & KAPRC. TITEDIVS . *Kal. Apr.* C. *Titedius* , P. *Cornelius* , C. *Vibius Tiro* , C. *Safinius Caii filius* . Hanc Inscriptionem retulit etiam clarissimus Blanchinius *in Comm. ad Anastas.* Tom. 2. sed perperam VINIO pro TIVNIO , & ALVIVS VERVS pro NIVS VERVS . h. e. *Annius* : in prima pariter secundæ columnæ linea male AVILIVS , & lin. 3. AVEDIVS pro AVIDIVS: levia tamen hæc, non equidem in odium tanti Viri , sed ad meam dumtaxat in exscribendis marmoribus diligentiam, Lectori comprobandam , notavi .

IMP.

82.

IMP. CAESAR
VESPASIANVS . AVG
PONTIF. MAX. TRIBVNI
POTEST. VI. IMP. XIIII P. P.
COS. VI. DESIG. VII. CENSOR
LOCVMVINIAE . PVBLICAE
OCCVPATVM . A PRIVATIS
PER . COLLEGIVM PONTIFICVM
RESTITVIT

VESPASIANVS . T. *Flavius Vespasianus*, Titi imperatoris pater.

IMP. XIIII. h. e. Imperator *decimumquartum*. Ita alibi IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. IMP. XXI. *Imperator Cæsar Divi Filius Aug. Imperator Vicesimum primum*; & in nummis Valentiniani atque Theodosii Imp. XXXXII. Imperator quadragesimum secundum. Notandum obiter, Vespasianum vicies fuisse Imperatorem ab exercitu acclamatum; Titum vero septies supra decies &c.

P. P. *Pater*, sive *Parens Patriæ*. Julio Cæsari, Patriæ eversori, primo decretum est *Patris Patriæ* cognomen. *Plebs*, inquit Svetonius, *solidam columnam prope* XX. *pedum lapidis Numidici*, in honorem Julii Cæsaris *in Foro statuit*; *scripsitque* PARENTI PATRIAE. Sero hoc Patris Patriæ cognomen delatum Augusto idem Auctor narrat. Cum tandem *Patriæ Patrem* eum, Senatus, populique nomine consalutaret in Curia Valerius Messala, hæc aurea sane verba fecit: *Compos factus votorum meorum* P. C. *quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?* Inscriptionem hanc ad ultimos Vespasiani imperii annos pertinere censeo, quia in ea appellatur P.P. quam appellationem, quemadmodum Augustus, laudato Historico testante, sero recepit.

COS. VI. *Consul sexto*, qui sexties Consul fuerat.

DESIG. VII. *Consul designatus*; nimirum ad gerendum septima vice Consulatum. Designati vero Consules dicebantur, qui jam electi, nondum Magistratum inierant. Designabantur autem ad finem Mensis Julii, & initium Augusti, sed Magistratum non sumebant ante Kalendas Januarias. De primo Januarii die, Ovidius *Fast.* I.

Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.

CENSOR. Nomen Censoris, & dignitatem, quæ florente Rep. summæ auctoritatis erat ac honoris, Augustus, arrepto Imperio abolevit extinxitque, potestatem vero, & vim Censoriam sibi adscivit; ita ex privatis post P. Æmilium Lepidum, & L. Munatium Plancum sub ipso Augusto nemo est amplius Censor designatus. Censorum officium erat describere facultates cujusque civis, observare singulorum hominum, etiam eorum, qui Senatorii, aut Equestris erant Ordinis, mores, & vitam; notare ignominia civem quemcumque, Senatorem loco movere, & Equiti adimere Equum, & annulum, si quid in vita ejus deprehenderent honestati contrarium; tollere omnia, quæ probitati morum pestem, & perniciem illatura videbantur, unde Magistri morum solebant nominari. *Si quis etiam*, ait Gellius lib. 4., *agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat, neque purgaverat, sive quis arborem*

borem suam, vineamque habuerat derelictui, non is sine pœna fuit, sed erat opus Censorium, Censoresque ærarium faciebant. Hoc autem officium honoris tantum gratia retinebant Imperatores, eo enim fungi (tot curiis, totque magnis negotiis implicati) quomodo poterant?

VINIAE. *Vineæ* sanè legendum: verum in autographo, VINIAE, ut in Muratoriana cl. XIX. p.366. num.9. *Huic monumento cedit Rosarium cum* VINIOLA *sola sub fine* VINIAE. Mendum (si tamen mendum est) extra Lapidem corrigi debuerat a J. Lipsio, & Grutero. At cum uterque, Marmora, quæ evulgabat, adnotationibus fulcire neglexerit, Scriptionis vitia, quoties libitum ei fuit, in ipso Lapide emendavit.

PVBLICAE. *Publica* inquit *in not. ad Svet.* Levinus Torrentius *propriè dicuntur ea, quæ Populi Romani sunt, quorum usus communis est*, proprietas nullius.

PER COLLEGIVM PONTIFICVM. Hoc est, interposita, seu interveniente Collegii Pontificum auctoritate, sive *Pontificibus authoribus vineam in sulcos propagare permisit*. Universus Pontificum cœtus *Collegium* vocabatur, quemadmodum ex Cicerone *in Orat.* ad Pontifices *pro Domo &c.* liquet. Collegium istud Romæ fuit, usque ad Theodosii Senioris tempora; quibus Religione Christiana omnia jam obtinente, Imperatoribusque antiquæ superstitioni adversantibus, uno Edicto Sacerdotiorum omnium redditus Fisco applicati sunt. Quare postea Pontifices, Augures, & reliqui Ethnicorum Sacerdotes fieri desierunt, quum redditibus omnibus mulctati essent.

RESTITVIT. Samuel Pitiscus ad hanc Inscriptionem, *quomodo*, inquit, *Princeps per Collegium Pontificum locum* Vineæ publicæ *restituerit, jure nostro civili non satis notum. Latent illa omnia crassis occultata, & circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quæ omnia videre, & assequi possit*. Omnia profecto neminem assequi posse, quis umquam negavit? verum, quid hic per illud *Restituit* intelligi debeat, ego quidem (licet omnium imperitissimus) non magni esse studii, multive laboris existimo. Censeo igitur τὸ RESTITVIT (quamvis *Restituere* potissimum in Lapidibus sit *restaurare*, sive *renovare*) hic idem esse ac *Reddidit*: legendum proinde VINEAM REDDIDIT; ita ut dicatur Vespasianum *Vineam* contra jus *a Privatis occupatam* mediantibus Pontificibus *Publico*, seu *Populo reddidisse*, vel *adjudicasse*. Ita apud Lipsium.

T. QVINTIVS. CRISPINVS.
VALERIANVS
C. CALPETANVS. STATIVS. RVFVS
C. PONTIVS. PELIGNVS
C. PETRONIVS. VMBRINVS
M. CRASSVS. FRVGI
CVRATORES
LOCOR. PVBLICOR. IVDICAND.
EX. S. C. CAVSA COGNITA
EX. PRIVATO IN PVBLIC. RESTITVER

Terentius in Eunucho *Act.1. Sc.2.*

——————— *præterea ut suis*
Restituam, ac reddam.

Svetonius demum in Augusto: *loca in Vrbe publica juris ambigui Possessoribus adjudicavit*.

83.

IMP. CESAR NERVA
DACICVS·GENTEM·DACOR.ET.DECEBALVM
BELLO.SVPERAVIT.SVB.EODEM DVCE.LEG.PRO.PR
AB.EODEM.DONATO.HASTIS.PVRIS.VIII . VEXILLIS.VIII
CORONIS.MVRALIB.II.VALLARIB.II.CLASSICIS.II
AVRATIS.II.LEG.PROPR.PROVINCIAE.BELGICAE
ET.INTERIBVNATV.PLEB.QVESTORI.PROVINCIAE
ACHAIAE IIII.VIRO.VIARVM.CVRANDARVM
HVIC.SENATVS.AVCTORE.IMP.TRAIANO.AVG.
GERMANICO.DACICO.TRIVMPHALIA.ORNAMENT:
DECREVIT.STATVAMQ.PECVN.PVBLIC.PONEND.CENSVIT

NERVA. Trajanus Augustus Germanicus.

Nomen hic desideratur illius qui tot præmia meruit, Trajanique munificentia est consequutus. Non aspernenda tamen conjectura J.Lipsii, qui L.Licinium Suram hoc Saxum innuere excogitavit. Licinius enim Sura vir clarissimus fuit, & ditisimus: adversus Decebalum, Duce Trajano, pugnasse pro certo habeo. Eum præterea, cujus studio imperium arripuerat, mira benevolentia prosequutus est Trajanus; ob ejus honorem publica lavacra, Teste Victore *in Epist.* condidit, eique jam vita functo, Statuam erigi curavit. Omnia igitur, quæ Lapis noster enunciat, apprimè Licinio Suræ conveniunt. Unica, at haud parvi momenti superest difficultas; quod nempè ibi Suræ munera dignitatesque enumerentur, de ejus vero triplici, cum C.Sosio Senecione, Consulatu, nulla sit mentio.

DECEBALVM . BELLO . SVPERAVIT. Bis Decebalus a Trajano est superatus. Anno nempe V.C. DCCCLIV, in quo quartum is consulatum gerebat cum Sex. Articulejo Pæto. Victus ad Danubium Decebalus durisimis conditionibus pacem obtinuit, atque Trajanum in Suggesto sedentem, genuflexus adoravit, uti in anaglyphis celeberrimæ Columnæ Trajano excitatæ conspicitur.




Ve-

Verum cum Decebalus præter conditiones icti fœderis multa ad rebellionem ſpectantia pararet, Trajanus denuo cum eo bellum ſuſcepit anno V.C. DCCCLVII. Tib. Julio Candido, & Aulo Julio Quadrato Coſſ. Tandem anno Imperii ſui VIII. poſt varias militaris fortunæ viciſsitudines, integram de perduelli Rege victoriam reportavit, totamque Daciam ſubegit, eamque Romanis Provinciis addidit. Tunc Romæ Columnam, quam memoravimus, in Trajani Foro Senatus collocari juſsit, in qua fortiſsimi Imperatoris adverſus Decebalum, Dacoſque geſta inſculpta viſuntur. Fragmentum alterum ex ipſa Columna depromptum, ſub Lectorum oculis ponere placet, in quo Decebali, (qui ſuapte manu perierat) caput, terribile viſu, in Caſtris publice conſpiciendum, Dacis captivis, Romaniſque copiis, Milites triumphantes exhibent.



At de iis quæ ad Decebalum ſpectant, adi eruditiſsimum *Jo. Bapt.* BRASCHIVM Archiep. Niſibenum in Opuſc. *de Tribus Statuis*. Romæ 1734.

HASTIS PVRIS. Vide ſup. ad Inſcrip. 10. VEXILLIS VIII. *Vexillum a velo* inquit Feſtus: ſignum militare rubri coloris, in quo Flammulæ, & Pinnæ; inde quæſtio cur Auguſtus Agrippam potius vexillo *cæruleo*, quam *rubri* coloris donaverit, quod tradit Svetonius. Ecce Vexilli Romanorum effigiem, prout eam centies in antiquis monumentis, potiſsimum in averſa Numiſmatum parte expreſſam animadvertimus. Attamen notandum Haſtam longiorem procul dubio fuiſſe ea quæ hic effingitur.



A Ve-


A Vexillò, *Vexillarii*, & *Vexilliferi*, qui Labarum, vexillum pariter militare, gemmis ornatum, ante Imperatorem geſtabant. Hujus deinde loco piiſsimus Conſtantinus Dominicæ Crucis ſignum, in quo hoſtes deinceps profligavit, conſtanter præferri juſsit.

CORONIS MVRALIB. II Corona muralis, ex auro, vel argento facta, murorum pinnas referebat.



Dabatur illi, qui primus hoſtium muros conſcendiſſet. De Corona Vallari, ſeu caſtrenſi, vide Notam ad inſcript. 20.

CLASSICIS. II. Claſsica, quæ & *navalis*, & *roſtrata*, navium roſtra imitans, donabatur illi, qui primus in hoſtilem navem inſiliiſset: imaginem ſuppono ex Martini Guiſchardi *Noct. Granzov.*



AVRATIS. II. Coronæ triumphales antiquis temporibus propter paupertatem *laureæ* fuerunt, poſt modum, augeſcente luxu, eas Romani *aureas* fecerunt. Urbes omnes Provinciarum Pop. Rom. ſubjectarum ſolebant certam auri quantitatem perſolvere, quo exercituum Ducibus, ſeu Imperatoribus aureæ Coronæ pararentur, quas, parta victoria, in triumpho geſtarent. Nonnulli tamen Imperatores liberalitatis cauſa, auri hujus *coronarii* tributum Italiæ remiſerunt: hi fuere Hadrianus, Alexander Severus, & Antoninus Pius, teſtibus Spartiano, Lampridio, & Ammiano Marcellino, quorum primus hæc de Antonino: *Aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, Provincialibus medium reddidit.* Dabantur enim honoris gratia coronæ aureæ Principibus Romanis a Regibus Sociis, ſeu Amicis, in convivio, quod docet Tacitus *Annal.* lib. 2. ubi Germanico, & Agrippinæ coronas aureas magno pondere, leves Piſoni, & cæteris oblatas in Convivio a Rege Nabateorum tradit. Unde & aurum Coronarium dici potuit, quod in hujuſmodi coronis conflandis a Regibus, & Provinciis inſumebatur. Exempla paſsim apud Livium, ſed præſertim *lib.* 38. ubi ait ab Aſiæ Civitatibus ad Cn. Manlium legationes miſſas, non gratulatum modo, ſed coronas etiam aureas pro ſuis cujuſque facultatibus deferentes; & *lib.* 40. in triumpho L. Manlii Acidini coronas aureas 134. translatas. Habuerint ne coronæ aureæ formam, ſive ſpeciem peculiarem, & allegoricam, nullibi invenio; ideoque in ipſa materia earum pretium conſtitiſſe opinor. Animadvertendum nunc eſt, quod in noſtro lapide, coronæ, anonymo Duci decretæ dicuntur *auratæ*, non vero *aureæ*. Legimus utique *auream* Domum, *aureum* Currum, portam *auream* pro *aurata*, at numquam *auratam* pro *aurea*: hinc coronas iſtas ex aere, aut argento confectas, ac dein *inauratas* fuiſſe crediderim, eo magis quod in aliis inſcriptionibus, traditionem aurearum Coronarum enunciantibus conſtanter legitur *Aureis coronis &c.* numquam *Auratis*. Romæ equidem non Aurifices tantum, ſed & *Inauratores* fuiſſe teſtantur Plinius *lib.* 33. *Cap.* 8., & Firmicus *lib.* 3. *Cap.* 4. Dempſterus ſane in *Paralip. ad* Roſin. *lib.* x. duplicem Coronam, auream unam, & ſolidam; alteram inauratam agnovit, cujus ſententia confirmatur Tertulliani verbis *de Coron. Mil.* cap. 12. *Triumphi laurea foliis ſtruitur, hæc adumbratur lemniſcis, inauratur lamulis.*

LEG. PROPR. *Legato Proprætoris*. Hi, Proprætores in Provincias euntes, comitabantur. Vicarii quidem erant Proprætoris, ad molem rerum provincialium ſuſtinendam, unde etiam ipſi Lictoribus, ac faſcibus utebantur. Jus nullum habebant animadvertendi in caput cujuſquam, nec atrociter verberandi:

di: Si tamen contigisset Proprætorem abesse a Provincia, tunc Legatis committebantur, quæ animadversionem postulabant; Sed & hoc notandum, si Proconsules, aut Proprætores, ante successoris adventum, de Provincia decederent, eos Legatos, vel Quæstores interim Provinciis præfecisse; qui & ipsi tum Proconsules, aut Proprætores appellabantur.

PROPR. Proprætores dicti sunt illi, qui ab Imperatoribus in eas Provincias, quas sibi reservabant, mittebantur: hi majorem quam Proconsules habebant potestatem. Dio *lib.* 53. *Qui neque Consulares, neque Prætorii erant, Augustus delegit*, ac *Legatos suos, & Proprætores nominavit.*

LEG. LEG. Ī. MINERVIAE. *Legatus Legionis primæ Minerviæ*; nimirum a Minervæ insigni, seu imagine, quam loco Aquilæ hujus Legionis Signiferi gestabant, vel ut alii malunt a *Minervio* Provinciæ oppido. Eam, *Piam*, *Felicem*, *Flaviam*, *Fortissimam* dicunt vetusti lapides. Quot Minerviæ Legiones incertum: unam saltem supra viginti fuisse constat ex Gudio, apud quem vigesima prima notatur p. 131. ubi lego. Q. MANLIVS. BALEANVS. MIL. LEGION. XXI. MINERVIAE. Ptolœmeus *lib.* II. in Galliæ descript. Legionem primam Minerviam, ad Bononiam, haud procul a Caletibus collocare videtur.

CANDIDATO CAESARIS. *Candidati*, communiori appellatione, dicebantur antiquitus Magistratuum, seu Dignitatum Petitores *a Veste Candida*, qua induebantur postulationis tempore, quod clare colligitur ex Valer. Max. *lib.* 4. *Cap.* 5. ubi mentio fit de Cn. Africano, & Cicerejo Scriba, Præturæ competitoribus. *Ci cerejus enim, cum vidisset omnibus se centuriis Scipioni anteferri, abjecta Candida toga, competitoris sui suffragatorem agere cœpit*. Plinius *lib.* 7. *Cap.* 34. *Scipio Nasica toga candida bis repulsa notatus a Populo*. Vide & Livium *lib.* 27., ubi de M. Livio Salinatore; & *lib.* 37., ubi de Catone Censuram petente. Cur autem postulantes veste alba uterentur, docet Plutarcus *in Vitis* Pauli Æmilii, & Coriolani fusiusque in *Problematibus*. Quomodo vero peterent Candidati Magistratus, explicat late Cicero *pro Plancio*. Hæc de Candidatis in genere. Candidatos Principis observamus apud Svetonium in Augusto, erantque quos Principes populo commendabant in Magistratuum petitione. *Quoties*, inquit, *Magistratuum comitiis interesset, tribus cum Candidatis suis, circuibat, supplicabatque more solemni, ferebat & ipse suffragium in Tribu, ut unus e Populo*; hinc est ille jocus apud Quintilianum amphibologicus; nam Galba homini Pilam negligenter petenti, *sic* inquit *petis tamquam Cæsaris Candidatus*: illud enim *petis* ambiguum est. Apud Jurisconsultos tamen Candidatos Principis alios notamus: Nam Ulpianus l. *ult.* ff. *de off. Quæst.* Candidatos Principis eos appellat, qui Epistulis sive Orationibus Principis in Senatu legendis vacabant, quos, & Quæstores Candidatos vocat *in Alex.* Lampridius.

IN PRAETVRA. Ante Syllæ dictaturam, sex in Civitate Prætores jus dicebant, quod tribus hisce continebatur verbis *Do, dico, Abdico*; post, octo, deinde decem; sedecim C. Cæsare, & M. Antonio Coss., octodecim imperante Nerva. At hic de Prætura Urbana intelligendum non ambigo, cui Reipublicæ temporibus, Peregrina quandoque addita est. Prætor *Urbanus* (cujus insignia Sella Curulis, trabea, lictores sex) Civibus inter se jus dicebat: *Peregrinus* inter Cives & Peregrinos, & inter Peregrinos & Peregrinos.

IN TERIBVNATV PLEBIS. *In Tribunatu*. Ttibunorum Plebis author fuit Menenius Agrippa. Is, dissidentibus Patribus a Plebe, litem composuit, ita ut concordia inter partes acta, Plebi concessum fuerit, ut illi essent Magistratus sacrosancti. *Hæc fuit Reipublicæ pestis*, inquit Pomponius Lætus; *hinc civile nefas ortum habuit, & quemadmodum propter seditionem esse cæpit seditiosus Magistratus, semper fuit consulare jus imminutum. Sacrosanctos enim voluit suos Tribunos vulgus: hi sedebant primi ad limen, & acta Senatus modo probabant, modo scindebant*. Tribunitiam hanc potestatem tam cupide appetiverunt Imperatores, ut eam non

ſolum per conſtitutum tempus, ſed etiam perpetuo obtinerent, ſicuti conſtat ex Lapidibus & Numiſmatis; ex quo Tribunorum poteſtas admodum debilitata eſt, qua antehac Conſules ipſos in Carcerem conjicere poterant, quod paſſi ſunt Q.Marcius Philippus, M. Bibulus, Tit.Menenius, L. Licinius Lucullus, & A.Poſthumius Albinus, uti teſtantur Livius, Valerius, Florus, Cicero, aliique.

QVAESTORI PROVINCIAE. Quæſtores provinciales erant, qui una cum Proconſulibus, aut Proprætoribus in Provincias exibant. In ſingulas enim Provincias, ſinguli Quæſtores mittebantur, in Siciliam vero duo, unus qui Lilibæi, alter, qui Syracuſis res curabat. Munus horum erat publicam pecuniam, quam ex ærario a Tribunis ærarii accipiebant, quæque *attributa pecunia* dicebatur, curare, & inde ſtipendia & viaticum Legatis, cohorti Prætoriæ & Exercitui ſuppeditare; tum etiam vectigalem pecuniam ex re frumentaria, & ex portoriis cæteriſque, quæ Publicani exercent, vectigalibus, exigere, & Romam in ærarium referre.

BELGICAE. *Belgium* antiquum, ampliſſimam Romanorum Provinciam, ſæpe commendant Hiſtorici. Urbes vero, & Oppida quibus olim conſtabat, enumerare, admodum difficile, ob diſcrepantiam Geographorum.

ACHAIAE. Quæ & *Hellas*: terminatur meridie ſinu Corinthiaco occidentem verſus, & ſinu Saronico verſus ortum, Iſthmo intercedente. Verum de alia Achaja Peleponeſi, hic agi arbitror, in qua Urbes præcipuæ Corynthus, Sycion, & Patræ.

IIII. VIRO. VIARVM. CVRANDARVM. Viarum curandarum munus primum Cenſoribus a Senatu commiſſum fuit: poſt verò cum Cenſores huic muneri ſollicite vacare nequirent, ex SC. Magiſtratus alii, ſpeciatim ob eam cauſam, creati ſunt. Ii, *Quatuorviri viarum curandarum* vocabantur, quod viis, vel muniendis vel ſternendis preæſſent. Erat autem eorum munus diſcretum a IIII. VI. RIS, & mox VI. Viris: nam hi vias Urbis curabant; illi eas, quæ extra Urbem. Etiam Curatores extra ordinem reperi, quos deſtinabant ſingulis viis. Ita Cæſar Curator *Viæ Appiæ*, Plutarco dicitur; Thermus *Flaminiæ*, Ciceroni; Cornutus Tertullus *Æmiliæ*, Plin. *lib.*v. *Epiſt.*19. *Duo viri* quoque viarum Curatores in antiquis Saxis memorantur. Vide de his Pomponium, Dominicum Floccum, & Barnabam Briſſonium.

AVCTORE. Interveniente ſcilicet ipſius Trajani *auctoritate*, ſive *juſſu*; quod ſummopere honorificum iis erat, quibus publica, publiciſque impenſis Monumenta excitabantur.

TRIVMPHALIA ORNAMENTA. Quæ ſcilicet Triumphantibus dari ſolebant, quibus ornamentis Scipio Maſſiniſſam Regem honeſtavit apud Livium *lib.*30. ubi ita legimus. *Ibi, Maſſiniſſam primum Regem appellatum, eximiiſque ornatum laudibus, aurea Corona, aurea Patera, Sella Curuli eburnea, ſcipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat.* Hæc triumphalia ornamenta, quibus addendus eſt locus adſignatus in Circo ad ſpectandum cum laurea, & Sella Curuli inter viros Triumphales, & Conſulares; demum veſtis triumphalis, & Statua in Foro.

STATVAMQ. In honorem nempe ignoti, nobis, Viri erectam, cum epulis, & ludis ſcenicis, qui in dedicatione ſtatuarum plerumque dabantur. Nomen, quod diximus in hoc marmore deſiderari, fortaſſe in altera baſis facie extabat; at hanc integram nuſquam vidi. Statuam verò, Baſi impoſitam nemo hactenus quod ſciam, invenit; propterea nominis, & Statuæ defectus, magis magiſque incertum facit, cui videlicet ex tot Imperatoris Trajani neceſſariis, & amicis inſcriptio noſtra tribui debeat.

IMP.

84.

IMP. CAESARI
DIVI . NERVAE . F.
NERVAE . TRAIANO
AVG. GERMANICO
DACICO PONTIFICI
MAXIMO . TRIBVNIC
POT.VII.IMP.IIII.COS.V.P.P
TRIBVS XXXV
QVOD . LIBERALITATE
OPTIMI . PRINCIPIS
COMMODA . EARVM . ETIAM
LOCORVM . ADIECTIONE
AMPLIATA . SINT

TRIBVS XXXV. Non ſane tribus *trigeſima quinta*; tunc enim intelligi deberet de *Velina*, aut *Quirina*; ſed Tribus omnes triginta quinque, in quas univerſus Populus Romanus diſpartitus erat, quarum aliquam inquit Aſconius, neceſse erat,cujuſcumque eſſet ordinis,civis Romanus obtineret. Alias tamen poſt bellum Marſicum ſuperadditas fuiſſe docent Paterculus, & Appianus, ex quibus *Camilla*, *Cluentia*, *Cluvia*, *Dumia*, *Minucia*, *Ocriculana*, *Papia*, *Sapinia*, &c. Vide Panvinium in C.R. p.251. & ſeq. Hæ igitur Tribus XXXV. ſtatuam Trajano erexere (invito ipſo modeſtiſſimo Imperatore, qui teſte Plinio *in Panegyr.* ſua beneficia publicis monumentis celebrari vetuerat.) quod commoda earum, locorum etiam adjectione, ampliaverit.

COS. V. Quintus Trajani Conſulatus incidit in annum C. 103. cum L.Appio Maximo, ab V. C. 856. Hoc anno Trajanus magnificum Centumcellis portum ædificavit, appellavitque *Portum Trajanum*, quem eleganter deſcripſit Rutilius p.132.

P. P. Patris Patriæ cognomen, præ cunctis honorificentiſſimum, atque a pleriſque ex ſuis Prædeceſſoribus avide uſurpatum, Trajanum conſtanter per biennium recuſaſſe tradunt Hiſtoriæ R. Anglicani Scriptores, quod tandem, obteſtantibus Senatu, exercitu, Populoque Romano, aſſumpſit anno Imperii ſecundo.

85.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE . F.
NERVAE . TRAIANO . AVG. GERM.
DACICO PONT. MAX. TRIB. POT. VIII
IMP. VIII. COS. V. P. P. OPTVMO PRINCIPI
SAGARI T.∴TRI MÆCELI
CVLTORES . DOMVS . AVG

Imperatori Cæſari Divi Nervæ Filio Nervæ Trajano. Filio ſcilicet per adoptionem. *Patri Patriæ*.

IMP. VIII. COS. V. Mendum aut in annis Trajani imperii, manifeſtum; aut in numero, Conſulatum ejuſdem indicante. Tra-

Trajanus enim regnare cœpit A.C. 98. Consul II. Tertium Consulatum suscepit A.C. 100. Quartum A.C. 101. Quintum A.C. 103. Imperii VI. Si ergo Marmor dedicatum est Trajano Cos. V. tunc signandum erat Imp. VI., Si vero dedicatum anno Imp. VIII. tunc nullus indicandus Trajani consulatus; nam anno Trajani Imp. VIII. h. e. Christi 105. consulatum gerebant Tib. Julius Candidus, & A. Julius Quadratus. Neque attendendus Bulengerus, qui in Opusc. *de Theatro* lib. 1. scribit IMPER. IIII. COS. omisso Consulatus numero. Annus enim quartus imperii Trajani, erat Consulatus ejusdem pariter IIII. cum Sex. Articulejo Pæto, quibus subrogati sunt C.Plinius Secundus, & Cornutus Tertullus.

OPTVMO. Recte *Optumo*, seu *Optimo*. Trajanus enim, teste Dione, OPTIMI cognomen cæteris prætulit, libenterque assumpsit anno Imperii, non equidem XIII. (uti arbitrati sunt Anglicani R. H. Scriptores, & Fabrettus *de columna Traj.* cap. 9.) sed VIII. quod ex hoc Marmore patet. At de hac OPTIMI appellatione Trajano plaudente Senatu populoque Romano decreta, multa habentur in Pliniano *Panegyr.* nimirum: *Adoptavit te* Optimus *Princeps in suum*, *Senatus in* Optimi *nomen*: *hoc Tibi tam proprium*, *quam paternum*, & paulo inferius; *quo præclarior laus tua*, *quem non minus constat* Optimum *esse*, *quam Maximum*, & rursus, *quotiesque Posteri nostri* Optimum *aliquem vocare cogentur*, *toties recordabuntur quis meruerit vocari*.

SAGARI. *Sagarii Theatri Marcelli.* Sagariorum *munus aliquod in Theatro fuit*, inquit Bulengerus *de Theatr. lib.* 1. At quodnam fuerit, nemo mihi indicat; itaut Bulengeri munus istud imaginarium putem: neque de munere aliquo Theatrali hic agi opinor, sed potius de loco, ubi Sagarii isti Sagariam negociationem exercebant. Revera *Sagarios negociatores*, a Sago militari, ac bellico indumento denominatos laudant Ulpianus, Ferrarius, Rubenius, &c. nimirum *Sagorum venditores* ex quibus illi fuere L. *Arlenius Demetrius* NEGOT. SAGARIVS, & L. *Arlenius Artemidorus natione Paphlago* MERCATOR SAGARIVS apud Gutherium *de Offic.* D.A. p. 610. Sagarii ergo isti, quorum cura, & impensa Trajano Statua erecta est, prope Theatrum Marcelli habitabant, h. e. ad Forum Olitorium hodie *Piazza Montanara*, ubi Marcelli theatrum fuit; olim Sabelliorum, nunc vero nobilissimæ Ursinorum gentis ædes. Ita in alia Capitolina de qua alibi. *Q. Cornelius Philomusus* SAGARIVS A THEATRO MARCELLI *fecit sibi*, *&* *suis*. Domicilii locum, in Saxis præsertim ad Artifices, & Negociatores spectantibus expressum, frequenter legimus: sic in alia Muratoriana inscriptione p. 1097. L. Salivius Suneros SAGARIVS DE VICO LICINIANO, & apud Bulengerum loc. cit. C. Terentius Pamphilus SAGARIVS POST AEDEM CASTORIS. Notandum, prope easdem Ursinorum ædes, seu uti diximus, juxta theatri Marcelli reliquias, venditorum Sagorum (Romanis nunc *Sariche*) plurimas hisce quoque diebus extare apothecas.

CVLTORES DOMVS AVG. Cultorum *Imaginum* domus Augustorum, qui Larum Magistro obtemperabant, mentio est in lapide apud Guth. p. 661.

IMAGINVM, DOMVS
AVG. CVLTORES. SIGNVM
LIBERTATIS. RESTITVTAE
SER. GALBAE. IMPERATORIS AVG
CVRATORES. ANNI. SECVNDI
C. TVRRANIVS POLYBIVS
L. CALPHVRNIVS. ZENA
C. TVRRANIVS FLORVS
C. MVNDIVS DEMOSTHENES
S. P. D. D

At quo sensu Sagarii, seu Sagariam exercentes, domus Augustæ Cultores fuerint, non assequor: nisi dicatur ideo Cultores domus Augustæ fuisse nuncupatos, quia forte Sagaria indumenta Servis, Libertisque Augustorum familiæ suppeditarent; vel his verbis venerationem, & obsequium erga Augustos, palam facere voluisse; quemadmodum italico sermone nos cultores esse ac Servos dicimus domus e. g. Austriacæ, Sabaudæ, Hispanicæ &c. nempe *addictos*.

IMP.

86.

IMP.CAESAR.DIVI.TRAIANI.PARTHICI.FILIVS.DIVI.NERVAE.NEPOS
TRAIANVS.HADRIANVS.AVG.PONTIFEX.MAXIMVS.TRIB.POTEST.V.COS.II
AEDEM.FORTVNAE.VETVSTATE.CORRVPTAM.RESTITVIT

Trajani per adoptionem, Plotinæ artibus, filius fuit Hadrianus. Vir humanissimus, atque beneficentissimus. Nullus unquam Imperator tantis deditus studiis, aut felicius peregrinatus est, aut magnificentius populos ditavit; quare omnes fere Nationes in ejus honorem aut Nummos cuderunt, aut erexere inscripta Monumenta: inter optimos denique Principes forte collocandus, si nunquam Claudiopolitanum illum Antinoum agnovisset, quem in deliciis habuit, quemque, uti ait Spartianus, Nilo absorptum, muliebriter flevit. Bellum nullum movit, mota composuit. Tiburtinæ villæ ab eo immenso sumptu ædificatæ veneranda rudera, quæ supersunt, ex quibus his diebus (an.1775.) nonnulla eruta sunt Philosophorum, atque Musarum capita, & protomæ; Moles quam vocant Hadriani, Pons Ælius, Basilica Neptuni, Panthæum instauratum, innumeræque ædes Romæ forisque, Hadriano curante, excitatæ, Augusti hujus animi mentisque magnitudinem mire testantur. Sabinam asperam, atque morosam fœminam, nedum infœcundam, uxorem habuit. Sanguinis profluvio tandem apud Bajas periit, sepultusque est in Villa Ciceroniana Puteolis. Vixit annos 62., imperavit 20.

COS. II. A. C. 118. cum Tib. Claudio Fusco Salinatore.

AEDEM. FORTVNAE. Tot in locis Fortuna Romæ cultum obtinuit, ut impossibile sit (attento potissimum de hac Hadriani restitutione, Nummorum, Lapidum, nec non Historicorum silentio) de qua hic æde agatur, declarare, Fortunæ OBSEQVENTIS, PRIMIGENIAE, BARBATAE, MAMMOSAE, MVLIEBRIS, PLEBEIAE, ADIVTRICIS, TVTELLAE, EQVESTRIS, SEDENTIS, SEIAE, TARPEIAE, DVBIAE, FORTIS, VIRGINIS, PVBLICAE, REDVCIS, PRIVATAE, SALVTARIS, VIDENTIS, BIFRONTIS, MASCVLAE, OPIFERAE, MANCAE, MALAE, FELICIS, MANENTIS, STATAE, ædes, ædiculas, delubra, aras, sacella, fana, simulacra, & templa commemorant Scriptores quamplurimi, at præsertim Fabricius, Gyraldus, Chartarius, Stuchius, & Rycquius.

Notandum denique in hoc, imo in omnibus Musei Capitolini marmoribus, Hadriani nomen cum adspiratione inscriptum reperiri, quam ex ejusdem Imperatoris nomine, Græci pellunt.

87.

IMP.CAES.DIVI.TRAIANI
PART.F.DIVI.NERVAE.N
TRAIANVS.HADRIANVS.AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. XX. COS. III. P. P
I.S.M.R.STATVAM.EX.DONIS.AVREIS
ET.ARG VETVSTATE.CORRVPTIS
FIERI.ET.CONSECRARI.IVSSIT
EX.AVRI.P = III.ET.ARG.P CCVI =

Pantheum, Septa, basilicam Neptuni, sacras Ædes plurimas, forum Augusti, Agrippæ lavacrum, Pontem, Sepulcrum, ædemque Bonæ Deæ aut ædificavit aut restauravit Hadrianus: hæc narrat Spartianus; verum de Statua Junoni consecrata ne verbum quidem.

Historici hujus silentium supplet Lapis iste anno circiter 1733. effossus ubi *Civita Lavinia* (oppidum Junonis Sospitæ templo celeberrimum, in quo Signum extitit, quod nunc in Museo Capitolino adservatur) donatusque eidem Museo ab Emo S.R.E. Card. Alexandro Albano, præstantissimo Viro, animique magnitudine, nec Hadriano ipsi secundo.

COS. III. Anno nimirum epochæ Christianæ 119. cum Q. Junio Rustico. Inscriptio igitur nostra non ad annum C.136. aut 137. uti Muratorio Tom.1. p.147. placuit; sed ad annum C.119.est referenda; V.C.871. De tertio Hadriani consulatu, ita Spartianus: *ipsum tertium Consulatum, & quatuor mensibus tantum egit, & in eo sæpe jus dixit*.

I.S.M.R. *Junoni Sospitæ Magnæ Reginæ*: Quam & *Argolicam*, & *Feroniam* dicunt, & *Fluoniam*, & *Salutarem*. Hanc coluisse Lanuvinos tum ex antiquis Scriptoribus, tum ex recentioribus constat. Confer Corradinum, & Vulpium, utrumque *in vet.Latii* descript. Ea igitur religione qua olim Augustus, Mœcenatis consilium sequutus, argenteas statuas sibi positas conflaverat omnes, exque iis, teste Svetonio, aureas cortinas Apollini Palatino dedicaverat; ita Hadrianus conflatis Denariis aureis, & argenteis, quæ Junonis templo oblata jamdudum fuerant, statuam ex iis Deæ isti fabricari jussit. Hunc Imperatorem imitatus deinceps Alexander Severus, cum auro undique fulgentia Templa conspiceret sæpissime, id narrante Lampridio, ex Persio Sat.2. ajebat

in sacris quid facit aurum?

Verumtamen sententia hæc, quæ sane Paganos, idolorumque Delubra atque Fana decebat, Christianorum templis applicari nequit; nam ut verbis D.Thomæ P.1I. Q.102. art.4. utar, *totus exterior cultus Dei ad hoc præcipue ordinatur, ut animi hominum ad majorem Dei reverentiam adducantur*.

EX AVRI P. III. *Pondo*, hoc est Libra. Summa fuit librarum ex auro 3. ex argento vero 206. Adi Budæum, Lucam Pœtum, Robertum Cenalem, Bernhardium, aliosque de Ponderibus, & Mensuris Romanorum Scriptores.

88.

∴RALITATES PVB.∴
∴RAIANI HADRI∴
∴X. COS. III. P.P. IM.∴
∴SPANIAM BAETIC.∴
∴EBILO . APRONIANO COS III::
∴NIO ATILIANO COS

LibeRALITATES PVB*licæ* TRAIANI. HADRIANI *Aug. Trib. Pot.*xx. cos. III. *Patris Patriæ Imp.* III. Celebrantur hic Hadriani publicæ liberalitates. De hujus Augusti munificentia hæc Lampridius: *Posthæc profectus in Galliam, omnes causariis liberalitatibus sublevavit*. Notandum tamen Hadrianum, eodem id monente Historico, modo liberalem fuisse, modo tenacem; ait enim: *idem severus, lætus, comis, gravis, lascivus, cunctator, tenax, liberalis, simulator, sævus, clemens, & semper in omnibus varius*. Quæ fuerint beneficia in Hispanos Bæticos ab Hadriano conlata, ex hoc Fragmento colligi nequit. Textus tamen Lampridii lumen aliquod ad Saxi intelligentiam adfert; nam in ejusdem Imperatoris vita sic legimus: *Post hæc Hispanias petiit, & Tarracone hyemavit, ubi sumptu suo ædem Augusti restituit, omnibus Hispanis Tarraconem in conventum vocatis*.

P.P. *Patris Patriæ nomen sibi delatum*, Hadrianus (scribit idem Auctor) *statim, & iterum distulit, quod hoc nomen Augustus sero meruis-*

ruisset; quod refert Svetonius *cap. 59.*, nosque alias notavimus.

::::EBILO APRONIANO. Imperante Hadriano nullum, cognomine *Apronianum*, Consulem reperio; qui nomen prætulerit in EBILO desinens, quod insuper Romanum nomen mihi non videtur. Præterea Aproniani omnes in Historia noti modo *Cassii*, modo *Lutii* vocantur, modo *Vipsanii* seu *Vipstanii*, modo tandem *Ventidii*, quæ sane prænomina, aut nomina nullam prorsus præferunt cum EBILO analogiam. Qua propter Consulem hunc C. Ventidium Apronianum esse censeo, qui solus Apronianorum, regnante Hadriano, Consulatum obtinuit ann. C. 123. cum Arrio Pætino.

ATILIANO. Hujus nulla in Fastis consularibus mentio; sed in Lapidibus in quibus non semel *Acilianus* vocatur - V. Fabr. *de col. Trajani*. Cap. VII. p. 197. & 198.

Saxum invenit Tibure in restauratione Ecclesiæ S. Petri apud Carmelitas, cl. Cornacchiolius Ex-Gen. Carmelitarum, Episcopus Bobiensis, uti narrat Antonius Lupus *in Epith. S. Severæ p. 23. not. 1.*

89.

IMP. CAESARI
DIVI. HADRIANI
AVG. FILIO. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
NEP. DIVI. NERVAE
PRoNEPOTI. TITO
AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO
TRIB. POT. COS. DES II
SCRIBAE
ARMAMENTARI

Omnia hæc ad Antoninum cognomine moribusque PIVM spectant, qui Consul designatus II. fuit anno v. c. 891. vel 892. Christi vero 138. seu 139. cum Bruttio Præsente, uti testatur etiam Censorinus de D. N. cap. 21. *Quique* inquit, *hoc* anno fuit (de anno loquitur V. C. 891.) *ante diem* VII. *Kal. Julii*, *ab hinc annos centum*, PIO, *&* BRVTTIO PRAESENTE *coss. iidem dies fuerunt ante diem* XII. *Kal. Augusti*. Vir fuit forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ litteraturæ, præcipue sobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens, & omnia hæc cum mensura, & sine jactantia. Hæc Capitolinus.

PIO. *Pius* cognominatus est a Senatu, vel quod eos, quos Hadrianus occidi jusserat, reservavit; vel quod Hadriano contra omnium studia, post mortem infinitos atque immensos honores decrevit; vel quod (ejusdem Capitolini sunt verba) quum se Hadrianus interimere vellet, ingenti custodia, & diligentia fecit, ne id posset admittere: vel quod vere natura clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit. Præter has, alteram adfert idem Historicus hujus adpellationis originem; nimirum quod præsente Senatu, manu Socerum, fessa jam ætate, levaverit, quod non satis magnæ pietatis argumentum ipsi Capitolino merito videtur, *quum impius sit magis qui ista non faciat, quam pius qui debitum reddat*. Positam

tam hanc Basim opinor Antonino nondum P. P. appellato; compertum est enim nomen illud primo recusasse, deinde cum ingenti gratiarum actione suscepisse.

SCRIBAE ARMAMENTARI. *Armamentarii*. Armamentarium est omnis generis armorum, machinarum, tormentorumque bellicorum repositorium, italice *Arsenale*. Juvenalis Sat.10:

Quidquid habent telorum armamentaria cæli.

Armamentarium alterum erat in secunda Regione, h. e. Cælimontana: alterum prope fanum Telluris, uti liquet ex Cicerone qui in *Arusp. resp.* cap.14. *putant nonnulli*, inquit, *ad me pertinere Armamentarium Telluris aperire*. Armamentarii Severi in ripa medii alvei Rheni ad littus Oceani in Batavia memoriam tuetur lapis Wassenerius apud Bergierum *de vita Milit.* IV. 21. §.8.

IMP. CAES. L. SEPTIMVS. SEVERVS
AVG. ET. M. AVRELIVS. ANTONI
NVS. CAES. COH, XV. VOL. ARMA
MENTARIVM. VETVSTATE. CON
LAPSVM. RESTITVERVNT. SVB
VAL. PVDENTE. LEG. AVG. PR. PR

SCRIBAE. Quemadmodum fuere apud Romanos Scribæ cubicularii; publici, ab Epistulis, Ædilitii, Libellorum, Quæstorii, Senatus, Navales, ita & Scribæ *Armamentarii*; qui scilicet Armorum, & machinarum numerum in tabellas referebant.

90.

S. P. Q. R.
::MP. CAESARI. T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. P. P.
::ONTIF. MAX. TRIB. POT. VI. COS. III. OPTIMO
::AXIMOQ. PRINCIPI. ET. CVM SVMMA
BENIGNITATE. IVSTISSIMO. OB. INSIGNEM. ERGA
CAEREMONIASPVBLICASCVRAMACRELIGIONEM

Tertius hic Antonini Pii consulatus enunciatur, quem inivit cum M. Aurelio Cæsare anno Christi 140.V.C.893.Ex contentis manifeste apparet Senatum Populumque Romanum PIO Imperatori statuam erexisse, quod publicas cæremonias, forte neglectas, vel prætermissas in integrum restituerit. Porro consentanea hæc Capitolini sunt narrationi, qui Antoninum rite Numæ Pompilio comparatum asserit, *cujus pietatem*, inquit, *securitatem*, *&* CAEREMONIAS *semper obtinuit*. Ita *Augustus*, uti refert Svetonius, *nonnulla ex antiquis cærimoniis paullatim abolita restituit*.

ERGA CAERIMONIAS PVBLICAS. De Cærimoniis Pontifex Maximus (qua dignitate tunc fungebantur Imperatores, uti hic Antoninus Pius) edicebat. Ex Collegii vero sententia in albo proponebant nonnulla translatitia, inquit Pitiscus, & nova, quæ ad Deorum cultum pertinebant, ut de festis, feriis, supplicationibus, quibus diebus, ad quæ Templa, cui Deo, & de ceteris omnibus, quæ per annum servarentur. *Cærimoniæ* enim sunt externi Deorum cultus, quorum ope sacra possent commode riteque expediri. *Conservatorem Cærimoniarum publicarum* nominat vetus apud Manutium inscriptio: *Magistrum Cærimoniarum*, Gutherus *de Jur. Pontif.* cap.12. vocem hanc cum diphtongo scribunt præcipui linguæ Latinæ cultores. Quidam ejusdem etimologiam deducunt a *Caritate*; at quæ inter Caritatem, & Cærimonias analogia? alii a *cælo*, quod scilicet ad Cœlestium honorem pertineant; quasi *Cælimoniæ*: D. Augustinus, & Isidorus a verbo *careo*. Stuchius a quodam Hebræorum vocabulo, quod Latinis est *devoveo*. Ego quidem cum Livio, & Valerio Max.


Max. a *Cærete* antiquæ Etruriæ urbe, hodie *Cerveteri*; quam vocat Livius *Sacrarium* populi Romani, *Diverſorium* Sacerdotum, ac *receptaculum Romanorum ſacrorum*. Notandum inſuper a quibuſdam ſcribi *cæremoniæ* pro *cærimoniæ*; ſed & *cærimoniorum* pro *cærimoniarum* uti in lapide ab eruditiſſimo Ord. D. Bened. Abbate Petro Aloyſio Galletti vulgato in Opuſc. cui titulus *Capena Municipio &c.* p. 9. ubi legitur OB HONOREM CAERIMONIORVM HONESTISSIME PRAEBITORVM. In ſingulari vero *cærimonia* apud Macrobium *Saturn.* lib. 3. cap. 3. *Ritus* denique pro *Cæremoniis* uſurpari in Lipſiana cenſeo, in qua Veſpaſianus *ſacrarum Ædium Reſtitutor*, ET RITVVM ANTIQVORVM *Conſervator* eſt dictus.

91.

M. AVRELIO CAESARI
COS. II.
IMP. CAESARIS
T. AELI. HADRIANI
ANTONINI. AVG. PII
PONTIFIC. MAXIMI
TRIBVNIC. POTEST. VIIII
IMP. II. COS. IIII. P. P. FILIO
DECVRIALES. PVLLARI
ET. HV:.:..:.:.:

M. Aurelius Cæſar, qui poſtea Imperator, & Antoninus Pius nominantur in hoc lapide. Julius Capitolinus quartum Pii conſulatum cum M. Aurelio II. perſpicue teſtatur his verbis: *Pius Marcum iterum Conſulem deſignavit, quum ipſe quartum conſulatum pariter iniret*. Errant Faſti Græci, & Cuſpinianæi qui Antoninum conſulem ponunt cum Aureliano; fortaſſe AVRELIANO ſcripſerunt pro AVRELIO.

DECVRIALES PVLLARI. Pullarios Decuriales alias nominatos hactenus non reperi. Decuriones fuiſſe cenſeo qui Pullariis præſiderent, nempe quibuſdam Sacerdotibus qui exercitum ſequebantur, locum prope ſigna, in mediis caſtris habentibus: horum officium erat ex Pullorum paſtu Auguria captare. Quotieſcumque enim de inchoanda re quapiam exequendaque, Deorum placita exploratum ibant, pultem aut offam pullis objiciebant. Quod ſi ad oblatam eſcam mox pulli è cavea (quæ *Anguraculum* vocabatur) non proſilirent, vel relicto cibo oberrarent, id magni terroris omen erat; Si vero avide in eſcam proruerent, inde ſpe, hauſta Pullarius proſpera omnia cœpta negotia a Diis ſpondebat. Hunc augurandi modum deriſiſse præter Flaminium, P. Claudium Pulchrum, narrat Valerius Max. *lib.* 1. Cum is bellum navale committere vellet, & Pullarius Sacerdos non exire pullos e cavea nunciaſſet, abjici ſtatim eos in proximum mare juſſit dicens: *quia eſſe nolunt, bibant*. Caveæ pullariæ cum Pullis auguralibus typum ex vetuſtis monumentis excerptum lectoribus exhibeo



Atimeti liberti Pullarii mentio fit in vetusto Lapide apud Panvinium *de Civit.Rom.* pag. 171. Vide etiam Livium *lib.* 10. Tullium *de Divinat.* lib. 2. omnesque, tum antiquos, tum recentiores, qui de priscorum Romanorum auguriis differendo, hoc abunde sciteque pertractarunt argumentum.

ET HV:::: Fortasse HA. nempe & HA*ruspices*, cum adspiratione, ab *Haruga* ait Donat. ad Terentii *Phorm.* sive *Hostia*, sic dicta ab *Hara* in qua concluditur, & servatur.

92.

IMP. CAES. P. HELVIO
PERTINACI AVG.
COS. II. PONTIFICI
MAXIMO . TRIB. POT.
P. P. PRINCIPI SEN
FORTISSIMO DVCI
ET OMNIVM VIR
∴VIVVM PRINCIPI
∴APENATES FOEDER:::
∴PR . CLICINIO SPERANDO

Quamvis duos tantum menses diesque xxv. (non menses quatuor uti Patinus asserit) regnaverit Pertinax, ejus tamen memoria pluribus est celebrata monumentis; scilicet Historiis, Marmoribus, Numismatis, antiquarumque figulinarum sigillis, uti videre est penes Reinesium, Panvinium, Gruterum, Occonem. Eadem Kal. Januarii nocte, qua interfectus est Commodus, studio Læti Præfecti Præt., & Electi Cubicularii, P. HELVIVS PERTINAX, P. Successi libertini viri filius, natione Ligur, Domi suæ Imperator est designatus, atque in castra adductus, mane a Militibus Augustus est consalutatus. Hujusce humanitatem probitatemque, optimam rei familiaris administrationem, prudentiamque in publicis rebus gerendis collaudant ad invicem Historici, Dio, Herodianus, Capitolinus, Aurelius Victor, commemorantque aurea illa, ætate hac obsoleta, verba, ab eodem cuidam Senatusconsulto addita, nimirum: *Sanctius est*, P. C. *inopem Rempublicam obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discrimina, atque dedecoris vestigia* per-

pervenire. Attamen vir iste optimus a quodam Taufio hasta percussus, invocato Jove Ultore, togaque capite operto vitam in Palatio cum Imperio nondum trimestri amisit.

COS. II. Cum Aurelio Commodo VII. anno C. 192.

PRINCIPI SEN. *Principi Senatus*. Dum vellet popularis videri, *Principem quoque Senatus vetere consuetudine* se Pertinacem cognominasse tradit Dio. Olim enim unus, ex ordine Senatorio legebatur, *Princeps* Senatus dictus, quod honoris genus iis tantum deferebatur, qui auctoritatem & gloriam maximis in Remp. meritis rebusque præclare gestis essent adepti. Livius lib. VII. Dec. 3. morem fuisse tradit, ut qui primus Censor fuisset, ex iis qui viverent, is Princeps Senatus legeretur, qui dignitate omnes Magistratus anteiret. *Cornelius*, inquit, *morem traditum a Patribus sequendum ajebat, ut qui primus Censor ex iis qui viverent, fuisset, eum Principem legerent. Is* T. *Manlius Torquatus erat*. At de hac dignitate fuse pertractantes adi Zamoscium *de Sen. Rom.* lib. I. & Henr. Kischium *de Magistrat.* R. R. apud Clausingium T. III.

FORTISSIMO DVCI. *Cassiano motu composito* (de Pertinace tradit Capitolinus) *e Syria ad Danubii tutelam profectus est, atque inde Mœsiæ utriusque, mox Daciæ regimen accepit. Bene gestis his Provinciis, Syriam meruit ... Seditiones quoque in Britannia compescuit*.

OMNIVM VIR. Licet post τὸ VIR nulla appareat in Marmore literarum mutilatio, sunt tamen qui legant OMNIVM VIRo; hoc est omnium *Amico*, seu *Comiti*; ast ego mendum esse in literis censeo, legendumque OMNIVM VIRTVTVM PRINCIPI: ita in acclamationibus, quibus eumdemmet Pertinacem jam vita functum Populus Romanus est prosequutus, OMNIVM BONORVM PATER est, Victore teste, appellatus: ita licet impiissimus, Elagabalus inter Muratorianas p. 250. PIETATE IVSTITIA FORTITVDINE ET PLENO OMNIVM VIRTVTVM PRINCEPS dictus est.

::::APENATES FOEDER::: Ita in alio Marmore apud Cl. P.A. Galletti op.cit. p. 21. Imp. Cæs. Aurelio Antonino &c.

CAPENATES . FOEDERATI
MANLI . CRESCENT . PRAET

Qui autem Urbes fœderatas illas dictas asserunt, quæ nec Coloniæ essent nec Municipia, longe errant: nam *Capena* Municipium, & tamen cum Populo Romano fœderatum fuisse constat ex sequenti, uti monet laudatus Auctor p. 23.

V . M . SELICI CLE
MENTIS . SEVIRI
MVNICIPIO . CA
PENAT . ARAM
POSVERVNT PII
LIBERTI

ita ex alia apud eumdem

T . FLAVIO . T . F . QVIR . FLAVIANO
AEDILI . QVSTORI . *sic* DESIGNATO
MVNICIPIO CAPENAE . FOEDERATO
T . FLAVIVS AVG . LIB . &c.

Ceterum Capenæ oppidum egregius Auctor ponit ubi nunc *Civitucula*; ibique Inscriptionem nostram (quam Muratorius, & Fabrettus mendosam ediderunt) effossam tradit.

PR. Forte *Præfecto C. Licinio Sperando*: at de Municipiorum Præfectis vide Rosinum in A.R. lib. X. cap. 22.

::EDI-

93.

⁝ EDICATA . XIII kAL APR
::VRPSEX ΓILIO PROSPECTOQV...
::MVCIO MVCIANO
::LCONE . ET . CLARO . COS

Monitum lectorem volo Inscriptionem hanc, licet seorsim in Museo Capitolino (a quo nescio) perperam collocatam, ad præcedentem pertinere, nimirum Pertinacem.

DEDICATA (Statua, aut ara, aut ædicula) XIII. Calendas Aprilis Curante P. Sextilio Prospecto Quæstore; Q. Sosio Falcone, & C. Julio Erucio Claro coss., qui eo die quo Pertinax a Prætorianis occisus est, anno scilicet C. 193. Consulatum inierunt. *Natus* Pertinax, inquit Capitolinus, *Kalendis Augustis, Vero, & Bibulo Coss. interfectus est quinto Kalendas Aprilis, Falcone, & Claro Coss.* Almelovenius innuit, hic corrigendum esse Capitolinum: at in quo Historicus erraverit non video. Constat ex his, Tabulam hanc fuisse dicatam (cui ignoratur) octavo ante Pertinacis obitum die; die nimirum vigesima Martii, ann. C. 193. In aliis Lapidibus, atque apud Dionem Falco nominatur Q. *Sosius*, seu *Sossius*; & Clarus, C. *Julius Fructus*.

De Q. Sosio Falcone abunde loquitur Capitolinus, ejusque animi constantiam laudat. Cum enim Pertinax, Læto Præfecto Prætorio (quo auctore Imperator est factus) gratias egisset, Falco consul dixit: *Qualis Imperator es futurus, hic intelligimus, quod Lætum, & Marcium, ministros scelerum Commodi, post te videmus*; cui Pertinax respondit: *Juvenis es Consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inviti Commodo, sed ubi habuerunt facultatem, quid semper voluerint, ostenderunt*. Liquet etiam ex Capitolino, Falconem, cum ad imperium aspirasset, insidias parasse Pertinaci, cui tamen Imperator pepercit, ejusque impunitatem a Senatu petiit. De ejus morte hæc Historicus: *Denique Falco in rebus suis securus vixit, & herede Filio periit, quamvis multi Falconem nescisse dixerint Imperium sibi parari*. Dio tamen, insidiis Læti, in Magistratu occisum tradit.

94.

IMPCAESLSEP: SEVEROPIOPERTINAVGN
IIIEIMPMAVRELIo ANToNINoAVGFILCOS

Consulatus hic enunciatur tertius L. Septimii Severi Pii Pertinacis Augusti cum M. Aurelio Antonino Bassiano Caracalla Augusto Filio, qui incidit in annum C. 202. Hujus meminit in Severo Spartianus; *Deinde quum Severus, Antiochiam transiisset, data virili toga majori Filio, secum eum Consulem designavit, & statim in Syria Consulatum inierunt*.





IMPP · SEVERO · ET ANTONINO · AVGG ·

BRITTANICA · PP · ET IVLIAE · AVG MATRI · AVGG · ET · CASTROR
. . . .
CV - II: : : : : : : : : : : : : : : : : : :II- CoS- C- IVNIO RVFINO PR C- IVNIO BALBO SPR
M - VLPIO - CONSTANTINO FR - CATTICIO SPERATO 7
GENIO - 7 - II QVI FRVMENT PVBL INCISI SVNT - KAL - MARTIS
DE SVO POSVERVNT - QVORVM - NOMINA - INFRASCRIPTA SVNT MILITES FACT

ANULLINO · II · ET · FRONTONE · CoS

T·SCVTRIV S· LIB· FAB SABINIANVS· ROM· M·F· PR· K·IVN· MAGNO PREPADX·T·CXLIVI
N·ANNIV S M·FIL· FAB. PRIMITIVS S· ROM· M·F· VIII· K· AVG· MAGNO PREPADK·T·CXLIVI
T·FLAVIV S·T·FIL·MAEC· ALEXANDE R·NEAP· M·F· VIII· K· AVG· MAGNO PREPADXTCXILVII VI
A·CERVIDIV S·A·FIL·IVL· REPOSTV S·VTIN· M·F· VIII· K· AVG· MAGNO PREPADX TCXLI S
L·LAELIV S·L LIB·THARS· IVLIANV S·CILIC· M·F· VII K·I·AVG· MAGNO PREPADKI IXLV C
Q·VALERIV S·Q·FIL·IVL· FELI X·KARTH.M·F· VIII· K· AVG· MAGNO PREPADKICXLIVI A
C·SATRIV S·C FIL·FAB NEPTVNALI S·ROMA· M·F· IIII· ID·AVG MAGNO PREPADXTCXIIII
Q·M:·:NVCIV S Q·FIL· ARN· FLAVIANVS S·KARTA·M·F· XVI·K·NOV MAGNO PREPADXTCXLVVc
M·GARGILIV S·M·FIL·FAB· IANVARIV S·ROMA· M·F· VI· K·NOV MAGNO PREPADNCXIIVI
M·CALVISI· S.M·FIL·VLP· FORTVNATV S·HADR· M·F· ID· NOV MAGNO PREPADXTCXIICI
T·MVTILIV S·T.FIL·.:.:.:.:.:.:.:.:.:.OSIMV S·MACED M·F· VIII·ID·DEC·MAGNO PREPADXTXXIV C
C·AVFIDIV S·C.FIL·ARN· RESTITVTV S·KARTH·M·F· VIII·ID·DEC·MAGNO PREPAPXTCXIIV
M·ARRIV S·M.FIL,FAB· CA.:.:I.:.:O.:.:B ROMA· M·F·VIII ID DEC·MAGNO PREPADXTIXIIVR C
L·CASSIV S·L IB AGOP LEPIDV S·REGIO· M·F·IIII K· IAN· MAGNO PREPADXICXLIVI


SEVERO ET VICTORINO CoS

Q·SOSIV S·Q·LIB· IVL · HEOMENESIVS REGIO· M· F· K FEB MAGNO PRE AD ×TD'IIIVI' C
L·SEPTIMIVS·L·LIB· FAB· HYGINV S·ROM· M· F· ID· FEB· MAGNO PRE.:.:.:.:DXTCXIV
ITEM · PRINCIPALIBVS QVIBVS · HONOREM · HABVERVNT
P· TVTICANIO HERMETI B PR P· AELIO STEFANO · LIBR · I · D
L·CORNELIO · HONORATO · VEX · 7 · L · CORNELIO · HERCVLANO OPT · 7
M·SENTIO · VITALI TESS · 7 · CVRA AGENTE
L·CORNELIO · L · F · HONORATO VEXIL 7
ET · L · CORNELIO · L · F · HERCVLANO OPT 7


Majorum, minorumque elementorum, quibus hæc constat Tabula, exemplum accipe

CoS·C·IVNIO RVFINO PR C·IVNIO BALBO SPR &c.
PR·K·IVN·MAGNO PREPADX·T·CXLIVI

Eximiam hanc Tabulam æneam edidit in *Columm. Troj.* cap. 2. eruditissimus Raphael Fabrettus. Eamdem vulgavit in *Museo Veronen.* p. CCCIX. Scipio Marchio Maffejus. Verum dum Fabrettianum exemplar emendare aggreditur, in maximi momenti errorem illapsus est ipse. I. Protomas in summa Tabula effictas sic ordinavit







SEVERVS GETA ANTONINVS

At ad Getæ sinistram, imago, non viri, sed Fœminæ perspicuè conspicitur, Juliæ scilicet Severi uxoris, atque Antonini Caracallæ & Getæ Matris. Exploratum insuper est omnibus Getæ nomen ex Monumentis, Caracallæ jussu, erasum fuisse. Audiatur Xiphilinus lib. 22. *Capitale enim fuit, si quis vel solum nomen Getæ scripsisset, aut pronunciasset, adeo ut ne Poetæ quidem in Comœdiis eo nomine deinceps uterentur; fuereque proscripta bona eorum omnium, in quorum Testamentis ejus nomen inventum est scriptum.* Quomodo igitur Caracalla intactam Fratris in eodem monumento reliquisset effigiem, ex quo ejusdem Nomen eradi jusserat? Tertia ergo Protome, Juliæ Domnæ restituenda est; secunda, in medio sita, *Antonino*: neque valet Cl. Maffejo, Tabulæ exemplar, a Blanchiniano, uti asserit, desumpsisse: nam si celebris ille Blanchinius tertiam Tabulæ imaginem *Viro*, scilicet Antonino, non *Fœminæ*, ideſt Iuliæ tribuit, suis hercle oculis deceptus, erravit. II. Cl. idem Musei Veron. Auctor hæc habet: *Ubi Fabrettus* BRITTANICA PS. *quæ explicari nequibant, Blanchinius* BRITTANICIS PP. erravit quippe Fabrettus in siglis PS., in autographo enim PP. sed recte scripsisse BRITTANICA, ex eodem autographo liquet, in quo palmaribus elementis BRITTANICA. PP. ET IVLIAE &c. Demum quamvis censendum sit, in tertia linea deletum fuisse Getæ nomen, falsum tamen omnino est, in quarta ejusdem Getæ nominis Consulatusque II. cum Antonino III. vestigia remansisse. Revera quomodo ex siglis C. V. II:..·..·:II cos Antonini nomen tertiusque Consulatus, nomenque Getæ dignosci possit, non assequor. Quippe nisi horum Fratrum Consulatus ex Fastis, aliisque monumentis colligeretur, ex Siglis istis conjici nequiret. Ceterum ænea hæc lamina veluti grati animi monumentum apposita est Augustæ Severianæ domui, non ab universo exercitu, sed a paucis selectioribus Militibus, in quos Imperator frumentum è publico erogaverat, absque ullo rei publicæ detrimento; nam Severus Rei frumentariæ ita, teste Spartiano, consuluerat, ut excedens ipse è vita, septem annorum Canonem populo Romano relinqueret.

Quod autem attinet ad cognomentum *Brittanicorum* Septimio Severo atque Antonino Caracallæ traditum; notandum, in quibusdam aliis Inscriptionibus pariter reperiri, deque ab iis Augustis in Brittania gestis plurima narrasse Spartianum: quod vero spectat ad Getæ nominis è publicis Marmoribus remotionem, advertendum inter Sponianas *Miscell.* sect. VIII. unam, eamque infelicissimo Adolescenti honorificentissimam legi, quæ Caracallæ Ministrorum inquisitiones fugit, quamque (licet forte in Severi Fratris honorem collocatam) æque abstulisent.

L. SEPTIMII GETAE
SAECVLARIA
SAECVLI FELICITAS
P. PETRONIVS FAVSTVS
AVGVR

Vide *Differt.* Guilhelmi Mufgrave, cui titulus *Geta Brittanicus*.

Quæ fequuntur, nomina, patriam, Tribumque recitant eorum Militum, in quos diftributum Frumentum fuerat. De Tribubus Fabia, Arnenfe, & Julia vide cap.III. & IV.

T. FLAVIVS. T-FIL. MAEC. Ex tribu *Mæcia*, fic dicta a quodam Latinorum oppido, quod *Mæcium* nominat Panvinius: de hac Tribu non femel Livius, Cicero, Valerius Maximus.

M. CALVISIVS. M. FIL. VLPIA. Tribuum omnium noviffimam hanc fuiſse conjicio ex eo, quod in Trajani memoriam fic denominata fuerit.

L. LAELIVS. L. LIB. THARS. Libertos Tribubus adfcriptos negarunt Gudius, Gorius, atque Maffejus; validiffimis vero argumentis probavit doctiffimus Zaccarias *in Inft. Lapid.* lib.2. p.130., cujus fententiam ideo fidentiffime fequor, quia id mire ex noftra etiam Tabula liquet, in qua perfpicue legitur

T-SCVTRIVS. T. LIB. FAB
L. SEPTIMIVS. L. LIB. FAB
L. LAELIVS. L. LIB. THARS
L. CASSIVS. L. LIB. AGON

Si enim aliqua infurgit ambiguitas quoad Lælium THARS, (tribus nomen prorfus ignotum) nullum omnino fupereft dubium quoad Scutrium, & Septimium utrofque Libertos, utrofque ex tribu FABIA hic enunciatos.

VTIN. Ideft *Domo Utino*, vulgo *Udine* urbe fub Venetorum ditione fatis nota.

HADR. *Hadria* quæ *fecundus Europæ finus* dicitur a Suida, & Stephano, inter Lacinium & Acroceraunium; iftud Epiri, illud Italiæ promontorium irrumpens: Hinc Maris *Hadriatici* nomen. Fuit item Hadria oppidum in Piceni finibus, Romanorum colonia, a qua proximus ager *Hadrianus* dictus eft.

REGIO. De geminis hoc nomine Oppidis vide cap.IV.

M.F.PR.K.IVN. *Miles factus pridie kalendas Junii*, MAGNO *Prætore*.

FPAD. X. T. CXL. IVKC. *Frumentum publicum accepit die decima Titulo* (OSTII fcilicet, ut docent Infcriptiones apud Fabrettum *de col.Traj.* cap.2. p.36.) *incifus urbis Kartaginenfis condito*. Ita has figlas omnes interpretatus eft laudatus Raphael *loc.cit.*

Ƀ. Nota hæc eft *Beneficiarii*, Caftrenfe vocabulum; nam cum *Promotiones* in Militia apud plures Magiftratus efse cæpifsent, qui Miles ab Magiftratu aliquo ad altiores ordines *promoveri* mereretur, ejufdem *Beneficiarius* dicebatur.

VEXIL. OPT. *Vexillario*, *Optioni*. De *Vexillario*, deque *Optionis* in militia munere, alibi.

TESS. *Tefserario*. Qui Tefseras per Militum contubernia nunciabant, *Tefserarii*, Vegetio auctore, dicebantur. Ita Servius ad illud Æn. lib.VII.

——————— *it bello teffera fignum*

Symbolum, inquit, bellicum, quod ad pugnas exeuntibus datur, confufionis evitandæ caufsa. Vegetius duplicem facit, Vocalem, & Mutam. Vocalis ea fuit, quam hodie Circitores flagitant, quod dicitur il *Santo*, feu *dare il Santo*, cui adjungitur alicujus urbis nomen, uti D. PETRVS- *Roma*. D. PIVS - *Cæfena*. D. AVGVSTINVS-*Alexandria* &c. Vocalium Tefserarum exempla diverfa referunt Hiftorici, Appianus, Svetonius, Xenophon, Hirtius, Vopifcus, Cedrenus. Ita Tefsera

CYRI maj. *Jupiter belli focius*.
CYRI min. *Jupiter Servator*.

POM-

POMPEI M. *Hercules invictus*.
MARII. *Lar Deus*.
SYLLAE. *Apollo*.
CALIGVLAE. modo *Venus* modo *Priapus*.
PERTINACIS. *Militemus*.
SEVERI. *Laboremus*.
AVRELIANI. *Manus ad ferrum*.
ANTIOCHI. *Bene valete*.

De Tesseris *mutis* adi Turnebum *Adverſ.* lib. 30. cap. 35. & Thomaſin. *de Teſſeris hoſpital.* cap. XIV. De Tesserariis Militibus crebra in vetuſtis lapidibus mentio.

ANVLLINO . II . ET . FRONTONE . COS. Nimirum. P. *Cornelio Anullino* II. & M. *Aufidio Frontone*, qui Conſulatum exercuere A. C. 199.

SEVERO . ET . VICTORINO . COS. *Tib. Claudio Severo* cum C. *Aufidio Victorino* conſulibus A.C. 200. Binas ergo Tabula hæc Capitolina exhibet Frumentarias Severi largitiones: primam nempe Anullino & Frontone, ſecundam vero Severo, & Victorino Coss. Siglam demum illam in tertia linea ꟸ Scribam indicare opinor, aut Centuriam: Vide Urſatum *de not. Roman.*

7. Procul dubio *Centuriæ* nota.

96.

.·.·.::I C . IMPP DOMI.:.:·:.:
·..·..:I . SEVERI PII PERTE::
.·.·.·.::INI . PII . FELICIS AVG
ET IVLIA

Ad Septimium Severum, Caracallam, & Juliam Domnam ſpectare hoc fragmentum pro certo habeo. Revera Lapides in quibus conjunctim Julia Severi uxor, Severus ipſe, & Antoninus Caracalla filius nominantur, notavi ſæpius, præſertim in Arcu Severi ad radices Capitolii, in monumento eidem Auguſto, Filio, & Uxori in foro olim Boario ab Argentariis excitato & in ænea Tabula, quam dedimus Num. 97. Julia fuit natione Syra, fœmina formoſiſſima, PIA etiam vocata licet adulteriis famoſa, & conjurationis in Maritum conſcia. Commendatur ab Ægidio Menagio *de Mulier. Philoſoph.* cap. 16. ob favorem erga bonarum literarum cultores, quibus & ipſa operam dediſſe fertur.

97.

IVLIAE DOMNAE
AVG
MATRI . AVG N
ET CASTROR.

Juliæ Domnæ Auguſtæ Matri Auguſti Noſtri, ſcilicet Antonini Baſſiani Caracallæ, cui tamen juxta Capitolinum Julia Domna non Mater fuit, ſed Noverca. Caracallæ enim Mater, *Marcia*, prior Severi uxor, de qua hæc Hiſtoricus: *Uxorem tunc Marciam duxit, de qua tacuit in hiſtoria vitæ privatæ; cui poſtea in Imperio ſtatuas collocavit.*

ET CASTROR. *Et Caſtrorum*. Vide inferius num. 101.

D M

98.

D M
ABGAR
PRAHATES
FILIVS . REX
PRINCIPIS
ORRHENORV
HODDA
CONIVGI BENE
MERENTIFE

Abgari ſeu *Abagari* plures inveniuntur apud Hiſtoricos. Sextus Rufus eum nominat, qui in Parthia Craſſum prodidit. Alterum Edeſſæ dominum ſub Claudio Imp. vixiſſe refert Tacitus. A Xiphilino, & Suida Abgarus alter laudatur, qui Trajanum muneribus placavit. Euſebius tandem, Nicephorus, & Cedrenus alterius Abgari meminere, quem CHRISTO Syriace ſcripſiſſe D.Hieronymus aſſerit, negantque innumeri Auctores. Hunc, uti Chriſtianæ religioni addictum commendat S.Epiphanius *ad Hær.* LVI. ubi *Bardeſanes* inquit, *Abgaro Edeſſenorum Principi viro ſanctiſſimo familiaris fuit*. Ad quem noſtra pertineat Inſcriptio, incertum. Ego tamen ad illum arbitror, de quo hæc *in Severo* Herodianus: *Sed & Rex Oſrhoenorum Abgarus ad eundem transfugit, ac liberos obſides tradens, fidem ſuam auctoravit*. Abgari caput Perſica tiara ſeu Cydaride, & diademate ornatum exhibent nummi Patiniani; nempe p.192.



& iterum inferius inter Numiſmata Gordiani Pii p.301.



PRAHATES. In Seraſpadanis vero, & Rhodaſpis epitaphio, in Hortis Mediceis ſito, ſcriptum habemus PHRAATIS.

ORRHENORV. Alibi OSRHOENOS nuncupatos invenies. Adverte hic illam mutæ M omiſſionem, non mendum eſſe Quadratarii, ſed Latinæ plebis ſcripturam; ita in Marmore Kircheriano *Cuſpidius*... *vixit*.. *& dies* VNDECI. Vide *Quintil.* lib.9. cap.4.

Oſrhoene autem Meſopotamiæ Provincia fuit, cujus Metropolis *Edeſſa*.

HODDA. Uxoris nomen, a qua *Conjugi benemerenti* columella hæc quadrata collocata eſt; quam repertam fuiſſe anno 1728. prope ſiniſtram Tiberis ripam non procul a Ponte Milvio, monet Ant. Lupi in Epitaphio S. Severæ p.112.

IM-

99.

IMPERATORI CAESARI
M. AVRELIO ANTONINO
AVG F
L. SEPTIMII SEVERI PII
PERTINACIS AVG. FILIO
DOMINO INDVLGENTISSIMO
PAEDAGOGI PVERORVM A CAPITE
AFRICAE QVORVM NOMINA INFRA
SCRIPTA SVNT

TRYFERVS VER	LIB.	PETIZACE	S. LIB
EVPERILEMPTV	S. LIB.	ZOILLA	S. LIB
EVTYFRO	N. LIB.	FREQVEN	S. LIB
TROFIMVS VER.	LIB.	MODESTV	S. LIB
POLLVX VER.	LIB.	PATROCLV	S. LIB
CHRYSOMALLV	S. LIB.	HERME	S. LIB
PHILETERVS VER	LIB.	NICOMACHVS.VER	S. LIB
EVTYCHE	S. LIB.	PAEDICV	S. LIB
SPENDO	N. LIB.	HERMOGENE	S. LIB
PERSEV	S. LIB.	NE::ON VER	S. LIB
HERME	S. LIB.	ANEMVRIV	S. LIB
FELIX	LIB.	EVTYCHE	S. LIB

PROCVRANTIBVS.SATVRNINO.ET.EVMENIANO
DEDIC . IDIB . OCT . SATVRNINO . ET . GALLO
COS

M . AVRELIO . ANTONINO . Ideſt M. *Aur. Antonino Baſſiano Caracallæ*, ſeu *Caracallo*.

PAEDAGOGI PVERORVM. Quaſi *Præceptores*, cujus curæ tum pueri, tum adoleſcentes tradebantur uſque ad ætatem, qua Magiſtratus petere licebat. L. Ælius Peregrinus, T. Flavius Anicetus, L. Lævius Nicephor Ganimedes, Artemiſius, Hilarius, omnes puerorum Pædagogi apud Gorium, Vignolium, Gruterum, & Sponium. Hos aurea periſcelia, cæteraque pedum, & crurum vincula ex auro geſtaſſe docet Harduinus ad Plin. *lib.* 33. *cap.* 12. Imaginem vero vulgavit Boldettus p. 334. ex anaglypho ætate ſua juxta ædes S. Mariæ Monticellianæ reperto



Duos hic vides Pueros, quorum alter Pædagogo chartæ fasciculum exhibet; alter ad thema, stylo conscribendum, animum intendit. Vocabantur etiam COMPAEDAGOGITAE; ex his fuit apud Gorium C. Valerius Myrisma, & COMPAEDAGOGII, uti in Schædis Berberinianis legit Sponius. Item DE PEDAGOGIO apud Mazzocchium p. 136.

PHILONICVS
TI. CAESARIS. GERM
DE PAEDAGOGIO
VIXIT ANN. XIIX

Tandem SVB PEDAGOGO absque diphtongo profert Florentinus lapis in nobilissimis præclarissimæ RINUCINIAE gentis ædibus adservatus; cujus exemplar mihi tradidit eruditissimus Ab. Hieronymus Tanninius

D. M
T. FLAVIO
ANICETO. SVB
PEDAGOGO
PVERORVM
CAS. N. V. A. LX

Pædagogium vero cubiculum erat Puerorum: hinc Plin. Ep. lib. 7. *Puer in Pædagogio*, mistus pluribus dormiebat. De Pædagogis puellarum, & domus Augustæ vide not. ad N. 46.

A CAPITE AFRICAE. Ita in Museo Kircheriano

D, M
sic
M x VLPIO
AGATHONICO
PAEDAGOGO
ACAPVTAFRI
CE

Et

Et inter Gruterianas DLXXXV. P. Ælius Lycus Pædagogus AC APVT AFRICAS, h. e. *A Caput Africæ* ut emendavit doctissimus Ant. Lupus. Caput vero *Africæ* vicus erat Romanus a Victore, & Rufo apertis verbis in secunda Regione situs, nempe in Cælimontana. Neque attendendus Nardinius qui *Caput Africæ* cum *Vico Africo* confundit, quem in Regione quinta Varro collocavit, a nostro longe diverso. Eodem modo denominatos alios legimus in descriptione Urbis vicos; uti *Caput Vici Publicii*, *& Caput viæ novæ*. Nomen desumptum a quodam capite mulieris Africam referentis Pancirolus censet *in descript. Reg. Urbis* p.4. ita vicum, *Caput Gorgonis dictum*, sic a capite Medusæ in eo loco sito nominatum asserit. Ex his colligitur antiquis Romæ temporibus non Regiones tantum; sed & vicos peculiaria nomina a Simulacris, aut Ædibus, Templisve iis proximis, ut hisce diebus, obtinuisse.

QVORVM NOMINA. Sequuntur nomina Pædagogorum, qui omnes Liberti erant

DEDIC. IDIB. OCT. Nempe Basis, aut Statua cum Basi (quæ reperta est anno 1663. non procul ab Ecclesia SS. Johannis, & Paulli.) die xv. Octobris.

SATVRNINO. ET. GALLO. COS. T. *Aterius* seu *Haterius* (a Petavio *Tiberius Alterius* perperam dictus) Consulatum iniit cum C. *Annio Trebonio Gallo* ann. C. 198. eodem scilicet anno, quo Caracalla *Augustus*, Geta vero *Cæsar* a Patre creantur.

Literæ E. F. G. T. & Y, in Marmoræ sic E.F.G.T.Y.

100.

IMPCAE.:.
ANTONIN.:.
L. SEPTIM.:.
PONT.:.
IMPCA.:.

Forte IMPeratori CAEsari M. *Aurelio Antonino* L. SEPTIMii *Severi Filio Pontifici Maximo* &c. Supplementum tamen istud Lectorum judicio subjiciendum fateor, quamvis cum præcedenti, ad eumdem Imperatorem spectanti, consentiat.

101.

.:LIAE . SEVERAE . M
.:MAE . AVG. Ð N
.:ASTRORVM Ð P
.:AC PATRIAE

Putabam inscriptionem pertinere ad Juliam Aquiliam Severam, quam Elagabalus, repudiata Julia Cornelia Paulla, in uxorem duxit: itaque effractum Marmor hoc pacto restituebam

IVLIAE . AQVILIAE . SEVERAE

At quomodo tunc interpretarer illud MAE in secunda linea, ignorabam. Si *Mammææ* (supplemento tamen concesso alterius Æ.) sciendum Aquiliam numquam *Mammæam* esse dictam: Si ad Juliam Mammæam Lapis referatur, hæc, Alexandri Severi mater, numquam *Severæ* cognomen prætulit, quod ex Historicorum, Numismatum, atque Lapidum silentio probatur. Hujusce igitur disceptationis Le-

Lectorem ipsum judicem volo. Interea obiter dicam, Aquiliam Severam Elagabalo nupsisse; cum verò hujusmodi nuptias, cum Virgine scilicet Vestæ dicata, Senatus execraretur, Imperator id se fecisse dixit, ut ex ipso, Solis Pontifice, & ex Sacerdote Vestali, liberi divini nascerentur: hanc tamen, posthabita prolis divinitate, paulo post remisit; tandem ad eam rediisse, ac usque ad necem retinuisse fertur. Julia Mammæa (ad quam probabilius Lapis noster spectat) Aviti Lupi filia fuit, ac primum Marciani V.C. uxor, è quo Alexandrum Severum peperit, deinde Claudii Juliani. Hanc laudant Herodianus, Lampridius, Zosimus, & Nicephorus Callistus lib.v. cap.xvii. ubi Ἦν γὰρ ἡ γυνὴ θεοσεβὴς μᾶλλον, καὶ τὸν τρόπον εἴπερ τις μάλιστα εὐλαβής. *Pie enim divina colebat, moribusque, si qua alia, & ipsa maxime castis, & modestis erat*. Pecuniæ tamen, vetularum omnium more, avidissima; quapropter a Maximini satellitibus, cum Alexandro in tabernaculo, laqueo suffocata est. Matris filiique sarcophagus (prout autumant nonnulli) visitur in Musei Capitolini atrio; hic, ex Patino pag.274., nummum accipe, in cujus aversa parte felicitas perpetua.





Nonnulli Mammæam Christianam dicunt, atque Origenis discipulam, a quo veritate Christianæ Religionis imbuta atque ad divini verbi, disciplinæque amorem excitata est. Verum avaritia, regnandique cupiditas, quibus ad supremum usque diem inserviit, nos in gravissimum de hujusce Augustæ Christianismo dubium inducunt.

:::ASTRORVM. *Matri castrorum ac Patriæ*. Ita in alia Inscriptione apud Grut. p.271. Mammææ posita, in qua nomen primo loco absque diphrongo.

IVLIAE MAMMEAE
AVG. MATRI
IMP. CAES. M. AVRELI
SEVERI. ALEXANDRI
PII. F. AVG
M. CASTROR

COL. IVLIA. ACCITANA
DEVOTA

NVMINI
M. Q. EIVS

Gn. Piso, primus, ob indulgentiam erga milites, *Legionum Parens* est appellatus. Mox Caligula *Castrorum Filii* titulum usurpavit, quod in Castris natus esset, atque educatus, unde versiculi apud Svetonium

In castris natus, patriis nutritus in armis,
Jam designati Principis omen erat.

Quod autem Augustas spectat, jam Sextiliæ, Vitellii Imp. Matri, Patres conscripti, fœda adulatione, *Matris Senatus*, ac *Patriæ* titulum detulerant; quod patet ex ejus Nummis, in quibus legitur MATRI AVGVSTAE. MATRI SENATVS. MATRI PATRIAE. Mater verò *Castrorum*, cæterarum Augustarum prima, dicta est Faustina, M. Antonini uxor. *Divam Faustinam*, inquit Capitolinus, *a Senatu appellatam gratulatus est* (Antoninus), *quam secum & in æstivis* (castris) *habuerat, ut Matrem Castrorum appellaret*.

PRO

102.

PROS.CAES.M.AN::::::::::::::IVI.GORDIANI.PII.FELICIS.AVG.ET
TRANQVILLINAE.SABINAE.AVG.VENATORES.IMMVN
CVM.CVSTODE.VIVARI.PONT.VERVS.MIL.COHVI.PR.CAM
PANIVS.VERAX.MIL.COH.VIPR FVSCIVS CRESCENTIO
ORD.CVSTOSVIVARI.COHHP::::ETIEVRBBDIANA.AVGDSEX.VP
DEDICATA XII KAL NOV IMP.DNGORDIANO.AVG.ET.POMPEIANO CO:: :

PROS . *Pro salute* . GORDIANI . Non duos, ut quidam imperiti Scriptores dicunt, sed tres fuisse Gordianos probat Capitolinus. Hic vero agitur de M. Ant. Gordiano cognomento PIO, cujus elogium vide in Notis ad Inscriptionem num. 103. Antonii an Antonini nomen ei fuerit, ejusdem Capitolini ætate disceptatum est; quæstionem tamen dirimit Lampridius his verbis: *Hic* (Elagabalus) *ultimus Antoninorum fuit; neque postea hoc nomen loco Principum in Republica frequentatum est; etiam illud addendum, ne quis oriatur error, quum duos Gordianos narrare cœpero, Patrem, & Filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, sed prænomen; deinde, ut plerisque in libris invenio,* ANTONII *dicti sunt*, non ANTONINI. In hac autem Tabula sermo est de ferarum Custodibus, a quibus Bestiæ in Amphitheatrum producendæ curabantur, nec non de Venatoribus immunibus, qui eas aliquando cædebant. Custodiebantur illæ in Vivario, quod Antiquarii ponunt Via Prænestina extra Portam, quæ hodie *Maggiore* vocatur, inter Castrum Prætorianorum, & Servianos Aggeres, ubi Saxum istud repertum est. Opinio hæc mire Procopii testimonio confirmatur, qui *de Bell. Goth.* lib. 1. *Acie instructa*, inquit, *circa Prænestinam portam, ad eam muri partem, quam Romani* Vivarium *dicunt, unde expugnari mœnia perquamfacile poterant*; & paulo post: *Bessas interea Parteniusque, Vitige ipso e regione* Vivarii *validissime his insistente, eodem ad se Belisarium evocant*. Ceterum Vivaria pro ferarum septis sumi innuunt Gellius *lib.* 2. Columella *lib.* 9. & Tzetzes *Chil.* 4. C. 173. περβολον, inquit D. Hieronymus *in Act.* S. Marcelli *transtulerunt, quod nos* Vivarium, *& conclusum locum dicere possumus*. Collegium Venatorum commemorat lapis Muratorianus sic

M. ATTIO M. F
SER . DRACONI
CLODIANO
ANNAVO RVFO
COLLEGIVM
VENATORVM

Venatorum insuper Pollentinorum Collegii meminit etiam cujusdam Inscriptionis fragmentum ab eruditissimo Jacobo Durando nuper editum in Dissert. cui titulus: *Del Collegio degli antichi Cacciatori Pollentini* pag. 2.

: : : A : : :
: : TANAE . NEMORENSI
::OLLEGIVM VENATOR.POLLENTINORVM
: : : : : : : : : : : : : : : :
:::DEDECAV:::
:::::DVS . SEX:::::
L . D . D D

Verum hos lapides ad Venatores in nostro laudatos spectare haud credo; eo magis quod Pollentiæ vivarium, quo feræ ludorum caussa alerentur, extitisse minime censendum.

IMMVN . *Immunes*: h. e. Prætoriani immunitate donati, ut assidue commodeque Ferarum curæ vacarent.

PONT . VERVS . *Pontius Verus miles Cohortis* VI. *Prætoriæ*.

COHH P::: *Cohortium Prætorianarum*, & VRBB *Urbanarum*. M. Aurelium Mucianum *Venatorem Duplarium*, & simul *Prætorianum militem* laudat Saxum ap. Muratorium p. 798.

ex quo liquet, Venatoris munus officio Militis licet Prætoriani haud repugnasse.

DIANA AVGDSEX . VP. Dianæ Augustæ de suo ex voto posuerunt; nimirum pro salute Gordiani, & Tranquillinæ.

DEDIC. XII. KALNOY. Dedicata die 21. Octobris, ipso vero anno quo Gordianus *Tranquillinam* (Græci numi in ejus honorem cusi ΤΡΑΝΚΤΛΛΕΙΝΑ) *Sabinam*, seu *Cabinam*, ut apud Angelonum, uxorem duxerat. De hac præclarissima Fœmina rursus in not. ad Inscriptionem sequentem.

GORDIANO. ET. POMPEIANO. CO. Gordianus Pius consulatum iniit cum M. Aur. Claudio Pompejano (male Capitolinus, aut forte Capitolini Historiæ editores PAPINIANO) anno C. 241. Emendetur quoque Muratorius, qui in postrema linea scripsit C. S. pro *Co*, idest *Cos*. Saxum extabat olim in Museo Sabbatino, illustravitque cl. Paullus Alexander Maffejus. Advertendum denique (quod Maffejus silens præteriit) numerum Consulatus Gordiani nempe II. in Marmore desiderari: primum enim gesserat cum Man. Acilio Aviola, ann. C. 239.

103.

DEDICATA . IIII . IDVS . MART
IMP . DOMINO . N̄ . GORDIANO . AV̄G
ET . M̄ . ACILIO AVIOLA . CŌS
PER
Q. VETVRIO FELICISSIMO ELEC
QQ
C. IVLIo EVVANGE E MARCIO CRYSOTOM
T. AVRELIO EVTICHETE
CVRATO RIBVS
P. AELIO EVTYCHETE IVN. L. TRAIANO ARAB
C. ANNIO BASILIDEN C. IVLIO TERTVLLO



DEDICATA. Scilicet Statua, in Gordiani honorem. Verumtamen cum Præfericulum in basi effictum ad sacra pertineret, opinari licet agi hic de Ara alicui Deo, imperante Gordiano, dedicata.

IIII. IDVS. MART. Die duodecima Martii, A. C. 239. quo M. Antonius Gordianus Aug. Pius consul fuit cum Manilio Acilio Aviola. Maximo, & Balbino militari seditione interemptis, Gordianus, ex Gordiani Africani filia natus, a militibus, & populo, & Senatu, & omnibus gentibus, uti tradit Capitolinus, ingenti amore, ingenti studio, & gratia Augustus est appellatus, annos agens ut plerique afferunt XI., ut nonnulli XIII., ut Junius Cordus dixit XIV. ut demum, perperam, Carolus Patinus XV. *Juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in litteris nobilis, prorsus ut nihil præter ætatem deesset Imperio.* Contra Persas profectus, Saporem vicit, Antiochiam, Carras, & Nisibin recepit: quas ob causas Quadrigæ Elephantorum decretæ sunt ei a Senatu, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet. In Gordiani nummis tamen, licet frequentissimis, Currum triumphalem quatuor ab equis vectum vidi; Quadrigam vero cum elephantibus, nunquam. Sed non prætereunda quæ juvenis iste Augustus, adulti viri dignissima, egregiamque animi sui indolem testantia, ad Senatum scripsit, in Epistola de rebus a se gestis adversus Persas: *Si Dii faverint, Ctesiphonta usque veniemus. Valeat tantum*

Misi-

Misitheus præfectus, & parens noster, cujus ductu, & dispositione, & hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos Diis commendare, Misitheo gratias agere. Misithei enim viri doctissimi, atque prudentia morumque integritate insignis, unicam Filiam, nomine Tranquillinam, uxorem duxerat; quam *Sanctissimam* dicunt Lapides, nummi vero modo *Flaviam*, modo *Furiam Sabinam*, interdum *Valeriam* Tranquillinam. Gordianus igitur cognomine PIVS; Misitheus a Senatu, publico titulo, EMINENS VIR ac REIP. TVTOR appellatus; Tranquillina, fœmina SANCTISSIMA, Romanum Imperium armis invicem, consilio, & moribus, felicitare assidue conabantur. *Sed felicitas ista*, inquit Capitolinus, *longior esse non potuit*: Misitheus enim extinctus est fraudibus M.Julii Philippi, qui tandem, ob regnandi cupiditatem, ipsum Gordianum sexto imperii anno trucidavit. Milites, optimo Principi, sepulcrum apud Circejum in finibus Persidis cum hoc titulo Græcis, Latinis, Persicis, Judaicis, & Ægyptiacis literis inscripto, erigi curarunt.

DIVO . GORDIANO
VICTORI . PERSARVM . VICTORI . GOTHORVM
VICTORI . SARMATORVM . DEPVLSORI . ROMANARVM . SEDITIONVM
VICTORI . GERMANORVM
SED . NON . VICTORI . PHILIPPORVM

Quæ, licét notissima, hic silentio præterire nequivi, ea sensim ductus voluptate, qua tenetur animus, cum de præclaris egregiisque Principibus fit mentio, ex quorum numero, forteque cæteris laudabiliorem fuisse Gordianum III., nemo profecto negabit.

QQ. *Quinquennalitiis*. E. *Et*.

104.

CORNELIAE
SALONINAE
SANCTISSI
MAE ❦ AVG
COL ❦ IVLIA
CASTRONO
Vo DEVOTANV
MINI EIVS

Occo, Hemelarius, aliique eruditi viri Corneliam Saloninam, perperam cum Pipa, aut Pipara confundunt. At Pipara, Marcomannorum, seu Juthungorum Regis filia, Gallieni fuit *concubina*: Salonina *uxor*. Confer Vict. *in Cæsar.*, Tristanum, Bonarotam, Altorfinum, Schuarzium, Bandurium. Nummi Græci hanc modo ΧΡΥΣΟΓΟΝΗΝ appellant, modo VENEREM GENETRICEM, uti apud Patinum videre est.

Hanc, Lapidibus, Statuis, Numis, certatim celebrarunt Romani, Ephesii, Sardiani: moribus enim fuit sanctis; ideoque hic *Sanctissima Augusta*. Erga eruditos voluntate propensam asserit Porphyrius: formosissimam vero testantur Historici, ac sequens ex Ebermayero numisma



Hame-

Hemelarius item observat, Saloninam Veneri ipsi ob venustatem, & formam fuisse comparatam. Itaque rursus hic dico, quod jam in opusculo de Ornatricibus §.XXVI., Protomam scilicet Musei Capitolini, quam Saloninæ communiter assignant Antiquarii, cum sit omnino deformis, nullo modo hanc Gallieni uxorem repræsentare. Cæterum hæc trium liberorum mater facta est; *Publii Licinii Cornelii Salonini Valeriani*, qui Posthumi scelere in Germania a militibus necatus est, indeque a Patre inter Divos relatus: *Julii Salonini*, cum quo, & Marito, innocentissima hæc Fœmina, prope Mediolanum, est interfecta: *Juliæ* demum, quæ in inscriptione Gruteriana vocatur *Nobilissima puella*.

SANCTISSIMAE. Nimirum *castissimæ*; nam *Sanctitas* antiquitus pro *castitate* usurpabatur, quam præcipue viri laudant in mulieribus. Plinius *in Panegyr.*, Plotinam Trajani sanctissimam fœminam nuncupavit: *Tibi Uxor*, inquit, *in decus, & gloriam cedit; quid enim illa sanctius? quid antiquius?* Tranquillina etiam, Misithei filia, Gordiani uxor, vocatur in Lapidibus *Sanctissima*.

CASTRONOVo. De colonia Julia Castronovanorum vid. inf. in sequenti.

105.

PVBLIO CORNE
LIo LICINIO
VALERIANO
NOBILISSIMO
CAES ⁎ 7 COL
IVLIA CASTRO
NOVO DEVO
TA NVMINI AEIVS

Ad juniorem Valerianum Gallieni filium pertinere hunc lapidem opinor: 1° quia Valerianus senior, ille scilicet quo Sapor Persarum Rex pro scabello usus est, nunquam *Cornelius* appellatur, neque ab Historicis, neque in nummis; sed *Publius Licinius Valerianus*; & in numismate apud Panvinium in Fastis, *Publius Aurelius Licinius Valerianus*; demum a Sex. Aur. Victore *Colobius*. 2° quia titulum NOBILISSIMI (qui non equidem Cæsaribus jam ad imperium evectis, sed candidatis, ac Imperatorum liberis tantum tradebatur) Valerianus, inopinate ac præter expectationem, ab exercitu, Æmiliano interfecto, Imperator factus, nunquam obtinuit.

NOBILISSIMO CAESARI. *Nobilissimi* titulum a Constantio excogitatum tradit, ex Zosimo, Samuel Pitiscus: ac paulo post hoc titulo decoratum fuisse docet Licinium Valerianum, qui tamen Constantium, LIII. circiter annis, imperio antecessit. Spanhemius a Philippis inventum asserit. Baronius originem Constantini parentibus tribuere minimê dubitavit. Verum omnes errasse clarè probatur; nam præter Britannicum, qui teste Tacito NOBILIS titulum est adeptus, hunc Antoninorum ætate emersisse liquet ex Lapidibus. Gruterus p.272.

IMP. CAES. M. ANTONINI
PII. GERM. SAR. FIL. DIVI
PII. NEP. DIVI. HADR. PRO
NEP. DIVI. TRAIANI. PARTH
ABNEP. DIVI. NER. ABNEP
M. AVR. COMMODO
ANTONINO. PIO. FEL. AVG.
SARM. GERM. MAX. BRIT
P. M. TRIB. POT. XIIII
IMP. VIII. COS. V. P. P
NOBILISSIMO. PRINCIPI

Ita

Ita Getam apud Lipſium p.23., & Maximinum ap.Gruterum Calaritani, & Bracarenſes, NOBILISSIMOS CAESARES vocarunt. Aliam eidem Cornelio Valeriano inſcriptionem retulit Muratorius

P. CORNELIO
LICINIO VALERIANO
CAESARI PISAVRENSES

In noſtra, inter CAES. & COL. notæ quædam inconditæ extant, quæ aut nihil ſignificant, aut interpretari nequeunt. Muratorius tamen confidentiſſimè in binas SS. tranſformavit, explicavitque SPLENDIDISSIMA. At cum in Saxo illæ SS. non videantur, ego interpretor potius *Somnia* Muratorii Amanuenſium.

COL IVLIA CASTRONOVO. Ubi nunc S.Severæ oppidum, ibi Caſtrumnovum ponit doctiſſimus Muratorius in *Theſ.* p.MCV., parum a Centumcellis diſtans: at Plinius littoris Adriatici oppidum fuiſſe docet lib.III. cap.V. non ergo Tyrrheni maris, ad quod ſita eſt S.Severæ villa. Alterum extat in Piceno vulgo *Flaviano*, ad Truentum amnem. Tertium (ut me expediam) nobiliſſimum, cujus meminit Caſſiodorus in Dertonenſi diœceſi, ad Seripiæ torrentem, nunc *Caſtelnovo di Scrivia*. Cui vero tribuendum ſit Coloniæ Juliæ nomen, mihi incompertum: Muratorius, S.Severæ, quibus argumentis, ignoro.

AEIVS. Ejus.

106.

IMP
FL VALERIO
SEVERO
NOBILISSI
MO CAESARE
CASTRONO
VANORVM

Cum in ſaxo Flavius Valerius Severus *nobiliſſimus Cæſar* dicatur, credendum eſt inſcriptionem poſitam fuiſse a Caſtronovanis anno quo Severus ab Impp. Conſtantio Chloro, & Galerio Maximiano, addito conlega Maximino, Cæſar dictus eſt, nempe A.C. 306. Galliam, Italiam, & Africam rexit: contra Maxentium Romæ profectus, viribus impar, deſertuſque ab exercitu, in fugam ſe dedit, Ravennæque captus, juſsu Maximiani Herculei interficitur. Ravennæ occiſum docet Eutropius; in agro Spoletino, Zoſimus: at Aur.Victor, & Paulus Diaconus, quos ſequuti ſunt Hemelarius, Patinus, & recenter accuratiſſimi Romanæ Hiſtoriæ Britannici ſcriptores, interemptum affirmant ad *tres Tabernas*, via Appia, hoc eſt XXII. ab urbe lapide; *funuſque ejus*, inquit Victor, *Gallieni ſepulchro infertur, quod ab Urbe abeſt per Appiam millibus novem*. Trium harum Tabernarum mentio eſt in Act.Apoſt.28. *Venimus Romam, & inde cum audiſſent, fratres occurrerunt nobis uſque ad Appii forum, & tres Tabernas*. Epiſcopos trium Tabernarum nominat Ughellius.

Inſcriptionem alteram, quæ ad ſolum Fl. Val. Severum pertineat, hactenus non vidimus; illa enim, quam refert Muratorius, nomina etiam reliquorum Auguſtorum ea ætate imperantium continet.

107.

DEDICATAE
KAL. IAN
DD.NN.DIOCLETIANO.III.ET
MAXIMIANO.COSS
CVRANTE [I]HESSIO.SECVNDO.P.C
CORARIORVM

Fragmentum istud in sinistro Basis Constantino dicatæ latere extare, confidenter asserit Gruterus; quod falsissimum est. Idem censuit Panvinius, ideoque Inscriptionem simul jungit, & fragmentum, hoc est dedicationem immediate post verba MAIESTATIQ. EIVS, ita ut de duabus una tantum fiat inscriptio. Verum, licet in eadem Basi titulus, & dedicatio viserentur, hæc tamen, quo pacto possit Constantino accommodari, non video. Tertium enim Diocletiani consulatum incidisse in annum C. 287., Constantinum vero (qui *Imperator* in titulo est appellatus) regnare cæpisse A.C.306. ideſt viginti circiter annos a Diocletiano tertium, & Maximiano Consulibus, perspicuè ex Historicis, & Chronologis liquet.

KAL. IAN. Die prima Januarii.

DIOCLETIANO III. ET MAXIMIANO. COSS. Primus Consulatus numero non signabatur. Itaque errasse puto Panvinium, & Almelovenium, qui secundum Maximiani Herculei consulatum, & tertium Diocletiani connectunt. Cum enim absit a Lapide nota, Maximiani consulatus indicans numerum, manifestum est Maximianum nunquam antea fuisse Consulem, sed hic primo cum Diocletiano III., Anno C., ut supra, 287. Vide Norisium Diss. I. *de Dioclet. & Licin. numm.* ubi Mediceum Numisma refert cum hac epigraphe

IMP.DIOCLETIANO III.MAXIMIANO COSS

Diocletianus, Christiani nominis sævissimus hostis, Salone natus est, utroque parente ignobili. Interempto Carino, Imperator salutatur, & Augustus, atque a Senatu magno honore excipitur. Tyrannis undique insurgentibus, prudentissime legit Maximianum consortem Imperii, mox Galerium & Constantium Chlorum Cæsares creavit, adoptavitque. Senior factus se se imperio abdicavit Nicomediæ, vixitque privatus Salone annis decem agriculturam exercens. Cum a Conlegis ad recipiendum imperium rogaretur, hæc respondit: *Utinam Salone possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum judicaretis.* Nec em. ignominiosam pertimescens, venenum sumpsisse fertur, ac sic occubuisse ætatis anno 68. Atrocissime una cum Maximiano in Christianos, tamquam Imperii eversores, sævisse testatur (præter Historicos) columna hoc pacto inscripta Cluniæ Hispaniæ urbe, utrisque ab Ethnicis erecta

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIANVS. HERCVLEVS
CAES. AVGG
AMPLIFICATO PER ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM
ET
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO QVI REMP. EVER
TEBANT

Maximianus e Sirmio in Pannonia, vir natura ferus, & immitis, Tyrannos Amandum, & Ælianum vicit, Gallias pacavit, cum Carausio pacem firmavit. Eodem die quo Diocletianus Nicomediæ, Mediolani Imperii fasces, consulente conlega, ægerrime tamen deposuit. Tandem Maxentio filio favens, ac gene-

genero Constantio insidias struens profugit Massiliam, ubi captus, fractisque laqueo cervicibus interiit æt. anno 60. Vide Lactant. *de mort. Persecut.*

HESSIO. SECVNDO. P. C. Panvinius, *de Civit. Rom.* THESIO SECVNDO. R. C. sed legendum procul dubio P. C. videlicet *Præfecto*, aut *Patrono corporis* Corariorum, de quibus agendum inferius in not. ad Inscript. 110.

108.

Pars superior	*Pars inferior, sic inversa*
DONINO NOSIRO MAXENTIO PIO FELICI INVICIO AVGVSTO VII	FVERANT PRAE DIA CAIVS.HAEC LVMEN DOMVS HIRODIS.VXOR ANNIA.Γ.REGILLA ΤΑΤΑΧωΡΙΑΓΕΓΟΝΑΝ ΤΗCΟΙΚΙΑCΤΙΝΟCΤΑΥ ΗΡωΔΟΥΓΥΝΗΤΟΦωC ANNIA PHΓIΛΛA

DONINO. *Domino*. INVICIO. *invicto*.

VII. Marmor Columnam exhibet. Numerus indicat Columnam inter Cippos Miliarios esse recensendam, quod per extensum in sequenti Milliario lapide ad eumdem Maxentium spectanti legi apud Fabrettum p. 412.

D. N. IMP.
MARCO. AVRE
LIO. VALERIO
MAXENTIO
AVG
MILIARIVS

Jam Fabrettus in Inscript. quam Ficoronius in *Vestig.* R. A. repertam fuisse asseruit in Hortis Cœlestinorum S. Eusebii, sed ille recte horum illustrium Monachorum Cœnobium ad viam Prænestinam posuit, iste perperam ad Labicanam: quod non miror. Cum enim Ficoronius præsumeret vetustissimum Labici oppidum extitisse ubi nunc *Lugnano*, in quo ortum habuerat, cumque ad suam firmandam opinionem plurimum valeret, quod crederetur Maxentii Miliarium jacuisse via Labicana (quæ parum profecto a Prænestina distat) S. Eusebii Templum a Prænestina in Labicanam transtulit. Binæ insunt in hoc Cippo inscriptiones. Superior ad Maxentium tyrannum pertinet, Eutropia Matre, incerto Patre natum, cujus uxor Magnia Urbica Galerii Maximiani filia. Is a Costantino M. tandem ad Pontem Milvium superatus, Tiberi absorptus est anno ætatis suæ xxx. Imperii VI. *Suberat adhuc ei sævitia, ac horrendæ frontis minas mors ipsa non vicerat*, inquit Sex. Aur. Victor; quæ verba de extincto, faciei viventis Tyranni apprime respondent, ut ex hoc laudati Patini numismate liquet.



Inferior vero spectat ad Anniam Faustinam Regillam, uxorem celeberrimi Tiberii Claudii

dii Attici Herodis (minus recte Casaubonus opinatus est, hunc esse illum, qui in Judea regnavit) eruditissimi viri, qui Phavorini philosophi discipulus fuit, & heres, quique imperante Antonino Pio Consulatum gessit una cum C.Bellicio Torquato Ann.v.c. 896.juxta Petavium post C,N.143,Marathone in Attica natum Herodem nostrum facit græcus Lapis apud Sponium *Sect.*x. ATTIKON ΗΡΩΔΗΝ. ΜΑΡΑΘΩΝΟΝ, Hunc Præceptorem habuit M. Aur. Antoninus, uti docet Capitolinus, De eo audiendus Gellius N. A. lib.1. cap.II.
„ Herodes Atticus, vir, & græca facundia,
„ & Consulari honore præditus, accersebat
„ sæpe nos, cum apud Magistros Athenis es-
„ semus, in Villas ei urbi proximas, me, &
„ clarissimum virum Servilianum, complu-
„ resque alios nostrates, qui Roma in Græ-
„ ciam ad capiendum ingenii cultum conces-
„ serant; atque ibi tunc cum essemus apud
„ eum in Villa, cui nomen est Cephisia &c. „
ejusdem Herodis Consulatum memorat Muratorianus Lapis, sic

D. M.
PHOEBVS
QVI . ET . TORMOGVS
HISPANVS
NATVS SEGISAMO
NE III. K MARTIAS
C. BELLICIO TORQVA
TO . TI . CLAVDIO
ATTICO HERODE COS.
&c.

Binæ extant, sed nimiæ prolixitatis Inscriptiones in Burghesiorum Villa ad Herodem simul, & Regillam spectantes. Prima incipit

ΠΟΤΝΙΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΠΙΗΡΑΝΕ TRITOΓΕΝΕΙΑ

h. e. *veneranda Athenarum præses* Minerva e Jovis capite nata. Secunda

ΜΑΡΚΕΛΛΥ
ΔΕΥRITE ΘΥΒΡΙΑΔΕΣ Ν ΗΟΝ ΠΟΤΙ
ΤΟΝ ΔΕ ΓΥΝΑΙΚΕΣ
ΡΗΓΙΛΛΗΣ ΕΔΟΣ

Marcelli
Huc adeste Tiberis accolæ ad templum mulieres
Regillæ ad ædem

In secunda, hæc de Herode ex Arcudii versione

Herses operum distributorem, & Mercurii...
Præco Herodis est progenitor Theseo nati
Propterea honoratus, & Consularis nominis, ut Regium
Ad Senatum accederet, ubi prima ordinis subsellia.
In Græcia porro neque genere nobilior, neque eloquentia
Quisquam Herode.

At credere nequeo (quod Petrus Arcudius nimis confidenter asserit) Herodem ipsum, secundam hanc inscriptionem exarasse: nimia enim impudentia, se ipsum, suumque genus, & doctrinam collaudasset, quod profecto non decebat Philosophum sophistam. Amicum utique, aut Herodem posuisse illam censeo. Uxorem habuit Regillam, Matronam Romanam, quam adeo dilexit, ut ei jam mortuæ Theatrum Athenis dicaverit: muliebrem quoque ejus ornatum sacravit & ædes suas Lapide Lesbio, nigro videlicet colore, & atris deformavit, ut atra omnia, & pulla essent tristitiæ suæ testandæ gratia. Demum in agri Romani pago Triopeo Ædem exstruxit, ejusque memoriæ, secundum quod memoravimus, Epigramma incidi curavit, ex quo hæc pauca accipe

Neque enim mortalis, at neque Dea est;
Idcirco neque templum sacrum sortita est, neque Sepulchrum,
Neque honores mortalibus, at neque Diis similes.
Monumentum quidem ipsi Templo simile est apud Athenas;
Anima vero circa Sceptrum Rhadamanti versatur.
Hæc autem Faustinæ grata locata est statua
In pago Triopeo &c.

& inferius.

Illa vero (Regilla) *& ipsa pulchripes Æneæ proles*
Et Ganimedæa, & Dardanium genus erat
Trois Erichtonio nati, cui liberet etiam sacra facere,
Et hostias mactare.

Petrus autem Cardinalis Corradinus, qui de Anniæ gentis origine scripsit *in vet. Latio*.

C.XXII,

C. XXII. putat Anniam Regillam, ex Annia *Vera*, vel *Verissima* gente sanguinem traxisse. Ulpiam Regillam Æmilii Ptolemæi uxorem nominat Muratorianus græce inscriptus Lapis. De illo igitur Pago Triopeo, via Appia, III. ab Urbe lap. Columnam hanc, post 150. circiter annos, contra Herodis votum, in viam Prænestinam transvehi mandarunt Viarum Curatores, licet admoniti Columnas agri illius sacras esse Cereri: eamque aut negligenter, aut inurbane, aut forsan avare in Cippum miliarium transfigurare, nomenque tam illustrium Conjugum in terræ sinum condendo perpetuæ oblivioni dare non erubuerunt. Contra Herodis votum, inquam, aliæ etenim conspiciebantur in eodem agro Columnæ græcè inscriptæ, in quibus juxta latinam paraphrasim Anonymi apud Stuetium, a Grutero laudatum, hæc habebantur.

Quæ sacræ surgunt Cereri natæque columnæ
Exiguo in Templo, manibus, atque Deis,
Terno ubi dividitur Saxo via nobilis Appi
Pinguia qua Herodis jugera dives erat,
Has movisse nefas: nec tantum teste carebit
Crimen, quod grave post efferat exitium.
Hoc oculis Dea Persephone nam viderit æquis
Imperio cujus subdita quæque via est.

Revera Sacellum Plutoni, ac Proserpinæ in Prædiis Herodianis constitutum refert Ligorius his verbis „ Nella via Appia vi era il „ Sacello di Proserpina, e Plutone, e della „ Dea Presidente delle strade, posto a tre mi„ glia discosto dalla Città nel terreno di Ero„ de fatto con le Colonne di marmo Augu„ stale „ Hæc profecto inconsiderata Lapidum remotio, atque translatio me certiorem facit, nonnulla monumenta ad locum, in quo inveniuntur, non pertinuisse.

LVMEN DOMVS. Domus Lumen appellatur quoque a Viro suo quædam Theodora, cujus meminit inscriptio apud Sponium in *Miscell. Sect.* IV.

109.

PIISSIMO . AC . FORTISSIMO
FVNDATORI . PACIS
ET . RESTITVTORI . PVBLICAE
LIBERTATIS . VICTORIOSISSIMO
D . N . FL . VAL.
CONSTANTINO MAXIMO
PIO FELICI INVICTO AVG
VAL . RVSTICVS . VP . RATSR.
D . N . M . Q . EIVS
CVRANTE VAL . PELAGIOVE PROC.
S.MVVNACVM PP ET OFFICINATORIBVS

Inscriptionem hanc, (disjunctis syllabis, quæ conjunctæ extant in archetypo, omissis interdum interpunctionibus, suppressa littera N. in nona linea; littera N. in decima in locum V. subrogata; SMV posito pro S. MV, refert Muratorius, omnia perperam.

FVNDATORI . PACIS. Tiberi jam absorpto Maxentio, extincto a militibus Licinio, superatis fugatisque Barbaris, monumentum istud Constantino erectum fuisse demonstrat ipse *Fundatoris pacis* titulus.

VP. Uti *Vir clarissimus* litteris VC., ita *Vir Perfectissimus* siglis VP. indicabatur. De *Perfectissimis* jam satis alias. Titulus *Perfectissimi* dabatur Rationalibus.

RAT. SR. *Rationalis summæ rei*, aut *summarum rerum*. De hoc Officio confer Bulen-

gerum I. R. lib. III. cap. 21., & Marcellum Donatum *Schol. in lat. Script.* cap. 101. *Rationales*, inquit Lampridius in Alexandro Sev., *citò mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret, eosque si boni essent, oderat*, malum necessarium *vocans*. Cujusdam Coccei Rationalis mentio fit in lapide, adhuc parieti domus Guerengorum, prope D. Stephani Silvestrinorum, affixo

M. AVRELIO
COCCEIVS . MINIC:::
RATIONALIS EI:::::

S.MV. Forte S.MO. *Procuratore sacræ monetæ*, qui sub Comite largitionum, pecuniam Romæ, aut Aquilejæ (ubi erant, Pancirolo docente, Officinæ monetariæ) cudi curabat: vel si mavis cum Muratorio, *Procuratore Summarum*. At si lapidem emendare aliquomodo licet, videant Eruditi, an legi posit PROC. NVM. aut NVMM. h.e. *Procuratore*, seu *Curatore Nummorum*, vel Officinarum *Nummulariorum*. Monetæ quippe Procuratores habemus apud Bulengerum, Pancirolum, & Gutherium *in Offic.* D.A. lib. III. Nummulariorum crebram mentionem faciunt Marmora, in quibus P. Lollius Maximus NVMMVLARIVS *primus* OFFIC.MONET.ARGENTAR., & M. Ulpius *secundus* NVMMVLARIVS. OFFIC. MONETAE. Ego vero non affirmo, cum id apud nullum idoneum Auctorem offenderim.

PELAGIOVE. *Pelagione*.

VNA CVM PP. *Procuratoribus*, aut *Præpositis* Officinarum monetariarum; ex quibus, *Officinatores*, seu *Monetarii*, monetæ percussores; alias *Nummorum opifices*. Inscriptio de his apud Gutherium

FORTVNAE . AVG.
SACRVM
OFFICINATORES . MONETAE
AVRARIAE . ET . ARGENTARIAE
CAESARIS
&c.

110.

MAGNO . ET . INVICTO
IMP. CAES. C. VALAVREL
CONSTANTINO . PIO . FEL
INVICTO . AVG . PONTIF . MAX
TRIB. POTEST. COS . III . P.P. PROC
D N . CORPVS . CORARIORVM
MAGNARIORVM SOLAIARIORVM
DEVOTI NVMINI MAIESTATIQ
EIVS

Ipsissimis verbis contextum, eamdemque adamussim sententiam exprimens, hoc saxum retulit Panvinius in Fastis p. 384., sed gravi, inexcusabilique mendo adulteratum: DIOCLETIANO scilicet pro CONSTANTINO. Se tamen asserit, Lapidem oculariter legisse Romæ, in Basi, cui impositum Diocletiani signum. *Diocletiani*, inquit, *hanc Basim* (eam videlicet quam retulimus supra sub Num. 107.) *statuæ Romæ vidi*. Censendum igitur, aut Diocletiani statuam inconsideratè, nostræ Constantini, impositam fuisse basi (quæ deformissima sociatio, non semel, in simulacris ordinandis, obvenit), aut statuam Constantinum, non Diocletianum, repræsentasse, aut denique Panvinii amanuensem, in transcribendo Lapide desipuisse. Huic idem Panvinius, alteram addidit inscriptionem in Fastorum commentariis quæ omnino ab ista disiuncta extat in Museo nostro Capitolino; quamque, nec Lapidi in Fastis vulgato, Constantino restituendo, neque

que Constantino, cum in illa Diocletiani III. consulatus sit sermo, aptare licet. Reprehendendus profectò (ægre dicam) Panvinius, quod non animadverterit Diocletiano, nunquam traditum *Aurelii* nomen, nec in Lapidibus, nec ab Historicis, nec in Nummis, neque tandem in Fastis.

CORARIORUM. *Coriariorum*. Coriarii, qui coria, præsertim crassiora concinnant, diversi ab iis, qui coria emolliunt, & perpoliunt: hi enim *Coriarii Subactarii* dicuntur. Cleomenis Coriarii subactarii extat scriptio in *Mus. Veron.* p. 273. *Simonem* Coriarium, apud quem hospitabatur D. Petrus commemorat Lucas *Actor.* cap. x. unde D. Chrysostomus Homil. 35. *Apud Purpurariam manet Paulus, apud Coriarium Petrus, ubi fastus?* Eusebius nominat Theodotum, qui primus, ob insanam doctrinam, qua docebat Christum merum esse hominem, a Victore I. ab Ecclesiæ communione remotus est.

MAGNARIORVM. Magnarii; negociatores, qui trans mare ad se devehi rerum genera curant: nos *Mercanti all' ingrosso*. Hinc Magnarii Palatini, Magnarii castrenses, Pistores magnarii in saxis.

SOLAIARIORVM. AI. pro E. recte enim Alciatus emendavit soleariorum, a *soleis*, quas aut conficiebant, aut vendebant Solearii, quorum meminit Plaut. in Aulul. act. 3.

Sedentarii sutores, diabathrarii
Solearii adstant

Horatius Sat. lib. I.

———Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit: sutor tamen est sapiens.

Soliarios quoque dictos testatur Lapis apud Kippingium *in Not.* ad Ovid. *Fast.* lib. VI.

DIIS MANIBVS
M. CAECILIO . SP . F
SVO RVFO
SOLIARIO
AB LVCO SEMELES

Soleæ sunt sandalia sine obstragulis, his similia, quibus utuntur *Capuccini*, quibusque usos esse Apostolos tradunt Beda, Alcuinus, & interpretes. Nos vero Soleam vocamus inferiorem crepidæ partem, qua pedis planta obtegitur. At quonam differant soleæ a calceis, a caligis, a crepidis, ab hipodemis, a socculis, docent Jul. Nigronus *de Caliga vet.*, Claudius Salmasius in *not. ad Tertull. de Pall.* Alb. Rubenius *Elect.* T. II., Sertorius Ursatus *Marmi eruditi* Ep. 4.

III.

.:.
INLVSTRI . ET . DIVINAE PROSA::
GENITAE VENERABILI SOROR:::
D . N . CONSTANTINI . AVG . ET
AMITAE
:::D . NN . BEATISSIMORVM . CA:::
DNFIIVICONSTANTI

Titulorum, & cognomentorum redundantiam atque jactantiam Constantini ævo ad impudentiam usque, & ultra pervenisse compertum est: hinc in isto Lapide *Prosapiam* DIVINAM, *Sororem* VENERABILEM, *Cæsares* BEATISSIMOS legimus; ita in aliis ejusdem ævi NOBILISSIMI, PROTONOBILISSIMI, INDVLGENTISSIMI, SPLENDIDISSIMI, FLORENTISSIMI, OMNIVM VIRTVTVM *Viri*, RERVM HVMANARVM Domini, BONO REI PVBLICAE *nati*, & similia, submorosæ quidem

dem aſſentationis fœtus, paſſim reperiuntur.

SOROR. *Sorori.* Quænam fuerit iſta venerabilis Conſtantini M. ſoror, facile aſſequimur. Nam duas Conſtantius Chlorus uxores duxit; ideſt HELENAM, atque hac, Diocletiano jubente, repudiata, THEODORAM. Ab illa ſolius Conſtantini M., ab iſta Delmatii, Conſtantii, Anniballiani, Conſtantiæ, Eutropiæ, atque Anaſtaſiæ pater eſt factus. Illi ergo ex Patre fratres, iſtæ Conſtantini M. ſorores fuerunt. *Conſtantia* Licinio Imp. nupſit, *Eutropia* Nepotiani mater, *Anaſtaſia* uxor fuit Baſſiani Cæſaris. Verum cum Hiſtoria de his duabus profunde ſileat, ideo ad Conſtantiam Auguſtam noſtrum ſpectare Marmor opinor. Hanc ſummopere dilexit Conſtantinus, honoravitque, orbatam conjuge in Palatium recepit, conſiliorumque ſuorum participem habuit; felix ſi numquam vulpinum illum Euſebium Nicomediæ Epiſcopum agnoviſset, a quo faſcinata Arianos fovit, Arianam in hæreſim incidit, eamque pertinaciter ad noviſſimum uſque vitæ ſuæ diem tenuit. Vide Cervier Tom.III. propterea miror quam maxime cl. Muratorium Fœminam hanc *conſtantiſſimam Chriſtianæ fidei ſectatricem, & tutricem* ullo abſque temporis diſcrimine, appellaſſe.

AMITAE. Nimirum *Conſtantini* II. *Conſtantii* II., & *Conſtantis*, *Dominorum noſtrorum beatiſſimorum Cæſarum* ..... filiorum *Domini noſtri Flavii Conſtantini*. Exoritur tamen ambages ex illo *Dominorum noſtrorum* titulo, qui non niſi Imperatoribus tradebatur. Neque dicendum Conſtantinum ſuos ſibi Filios in Imperio ſociaſſe; id enim ex Hiſtoricis, quod ſciam, minime conſtat. At quorum Amita *Conſtantia*, niſi Fratris filiorum? Muratorius non argumentis, ſed ipſius Inſcriptionis teſtimonio, Lapidem adſignat Conſtantiæ huic Conſtantini M. ſorori. Legit enim

D.N.FLAVIAE CONSTANTIAE

verum in Saxo

D N FIIVI CONSTANTI

quod fragmentum virum potius quam Fœminam indicare mihi videtur. Adde *Dominæ noſtræ* titulum, Conſtantiæ, jam marito filiiſque Imperatoribus viduatæ, omnino non conveniſſe. Porro nomen Flaviæ Valeriæ Conſtantiæ extabat in prima linea, nunc penitus deleta.

112.

D.N.CONSTANTIO
AVGVSTO
F.L.LEONTIVS V.C
PRAEF.VRB.ITER.
VICE.SACRAIVDIC
D s N s MQ ℈ EIVS

Flavius Julius Conſtantius, ſecundus (non tertius ut apud Occonem) Magni Conſtantini filius, Orientem, diviſo inter Fratres imperio, ſortitus eſt: Conſtantis fratris necem vindicavit, Magnentium memorabili prælio ad Murciam fudit, Gallum Cæſarem interemit, Tyrannos ubique oppreſſit, febre tandem ardente contracta Mopſueſtiæ deceſſit anno ætatis 41. Imperii 25.

F. L. LEONTIVS. *Flavius Leontius vir clariſſimus*, non *Conſularis*; Leontius enim ille qui Conſul fuit anno C. 344. *Domitius* vocabatur non *Flavius*. Cum Conſtantius Imp. Conſtantium Gallum Cæſarem morti deſtinaviſſet, eum Fl. Leontio cuſtodiendum tradidit: hæc docet Ammianus Marcellinus, qui hunc Urbis Præfectum nominat. Ex eodem Hiſtorico liquet Leontium Urbanam Præ-

Præfecturam gessisse A. C. 355. Bis vero eumdem obtinuisse Magistratum, ex nostra Inscriptione colligitur. Attamen circa hujusce Præfecturæ annum adi doctissimum Eduardum Corsinium *de Præf.* V. p.214.

VICE SACRA IVDIC. *Vice sacra judicans* ut inf. N.116. idest *vice* seu *loco* Imperatoris, aut *pro* Imperatore. Bulengerio, & Gutherio aliud est *sacra judicare*, aliud *sacra cognoscere*: hinc *vice sacra judicant*, ait iste *de Off. D.A.* lib.1., *jure Magistratus*, *Præfectus Urbi*, *Vicarius Præfecti Prætorio*, *Proconsul Africæ*; explicatque illud VICE SACRA, *Qui quasi vicissim, & secundo loco post Principem imperat.* Sic *vice sacra Provinciam gubernare*, est Principis personam sustinere, vices gerere. In vetusto Lapide

IVL . NEMESIVS . NOMENTANVS . M . AVREL
IMP . SACRA . VICE . BETICAM . GVBERN

D s N s MQ. *Devotus Numini Majestatique ejus*.

113.

DOMINORERVMHVMANARVM VALENTI

Sic in vetusto columnæ Constantini fragmento a Panvinio Parmæ inspecto D. N. *Imp. Cæs. Fl. Constantino. P. F. Victori. Aug. Pontifici Maximo Tribun. Potestat.* XXIII. *Imp.* XXII. *Cos.*VII. P.P. *Pro. Cos. Rerum* sic *umanarum optimo Principi Divi Constanti* sic *filio B.R.P. nato*.

114.

DD. NN. VALENTINIANVS
ET VALENS AVGVSTI
ORNATVI PVBLICO
CONSTITVI LOCARIQVE
IVSSERVNT

ADMINISTRANTE RVFIO
VOLVSIANO VC EX PRAEF
PRAET . PRAEF . VRBI IVD
ITERVM . SCM . COG

Valentinianus Imperator, & Valens Augustus fratres, & simul Consules I. fuere A. C.365. Flavius Valentinianus post Joviani mortem ab exercitu Imperator est salutatus. Vir sane magnanimus, ingenio solertissimus, reique militaris peritus. Christianus fuit, sed *Tolerantiæ* legibus obtemperans, vim nemini faciebat, qui in Religione dissentiret. Thracia is Gothos expulit, Saxones ad officium redegit, Germaniam Theodosii auspiciis pacavit; subita ira incensus in morbum incidit obiitque ætatis anno 55. Imperii XI. Frater vero Flavius Valens bella in Oriente prospere gessit, ac Procopium vicit, & occidit: Christianum primo pariter fuisse, mox Conjugis suasu Arianum, ac contra Orthodoxos persequutionem excitasse ferunt: flamma tandem absumptus est vili in tugurio non procul ab Hadrianopoli anno ætatis 50, tertio Imperii anno a die quo solus regnare cæperat.

ADMINISTRANTE. h. e. *Curante* Ru-

ſio Voluſiano *viro clariſſimo Expræfecto Prætorio*, *Præfecto Urbis*, *Judice iterum ſacrarum Cognitionum*. Nepotem hunc fuiſse cenſeo C. Ceionii Rufii Voluſiani qui an.C.314. conſulatum inierat; altera enim extat apud Panvinium Inſcriptio, in qua idem Voluſianus, de quo hic ſermo, C. *Ceionius* Rufius Voluſianus, ut ille, dictus eſt

VICTORIS . D . D . N . N
C . CEIONIVS . RVFIVS
VOLVSIANVS
V . C . PRAEF . VRBI . ITERVM
IVDEX . SACRARVM
COGNITIONVM

115.

D . N . CONSTANTIO
AVGVSTO
MEMMIVS VITRASIVS
ORFITVS . V . C . PRAEF . VRB
IVD . SAC . COGN . ITER.
D . N . M . Q . EIVS
CVRANTE PVBLILIO
CAEIONIO IVLIANO . C . V.

Eidem Imperatori eamdem fere Inſcriptionem poſuit Memmius Vitraſius Orfitus, quem ter Urbanæ Præfecturæ munus ſuſcepiſſe aſſerunt Tillemontius *in Valentin.* Art.10. & Eduardus Corſinius *op. cit.* p. 211. 213. 220. annis ſcilicet C.353. 354. 355. uſque ad 359. Ad annum 357, ſecundæ nimirum Orfiti Præfecturæ referendum marmor iſtud Corſinius opinatur, Orfiti autem mentionem faciunt uberrime vetuſti Lapides, & Hiſtorici, ex quibus Ammianus Marcellinus, *inter hæc*, inquit lib. 14. cap.6., *Orfitus Præfecti poteſtate regebat Urbem æternam ultra modum delatæ dignitatis ſe ſe efferens inſolenter: quo adminiſtrante ſeditiones ſunt excitatæ graves ob inopiam vini*; exilio proinde mulctatus. Eum tandem Vulcatius Rufinus Prætorii Præfectus, *patrimonii integrata jactura remitti fecit in lares*.

IVD . SAC . COGN. Judex ſacrarum Cognitionum. Urbis Præfectus, uti diximus, ſacra *judicabat* jure Magiſtratus: *cognoſcebat* vero ex delegatione Principis: dicebatur etiam *cognoſcere cognitiones*; ſic apud Gruterum pag. 381.

L . CAESONIVS . PRAEF . VRBI . AD
COGNOSCENDAS . VICE CAESARIS
COGNITIONES

Hoc anno 357. Obeliſcum Romæ in Circo Maximo erectum tradit laudatus Hiſtoricus lib.17. cap. 4. Tillemontius vero initio ſequentis 358.

C . V. *Clariſſimo Viro*. Notandum Cejonii nomen cum diphtongo, quod alias nunquam me vidiſſe memini.

Inſcri-

116.

FLORENTEIMPERIO,DDD.AAA,CCC.Q.NNNCRATIANI
VALENTINIANIETTHEODOSI::PRINCIPVM.MAXIMORVM
THERMARVMSPECIEMRVINAEDEFORMITATEMSORDENTEM
ETPERICVLOSISPONDERIBVSINMINENTEMQVAELABANTEM
POPVLVMMETVSOLLICITVDINISDETERREBATEXCLVSATOTIVS
SCABIEVETVSTATISADFIRMAMSTABILITAEVSVQS TECTORVM
ANICIVSEVCHENIVS.BASSVS.VC.PROCVNSVLECAMPANIAE
VICESACRAIVDICANSREPARAVIINMELIoREMCIVITATISEFFIGIEM

Inſcriptionem hanc barbaris deformatiſque characteribus ſculptam ſic lego.

Florente Imperio, Dominorum Auguſtorum. Cæſarumque Noſtrorum. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Principum Maximorum Thermarum ſpeciem ruinæ deformitate ſordentem, & periculoſis ponderibus imminentem, quæ labantem populum metu ſollicitudinis deterrebat, excluſa totius ſcabie vetuſtatis, ad firmam ſtabilitatem, uſumque tectorum, Anicius Euchenius Baſſus vir clariſſimus Proconſul Campaniæ vice ſacra judicans reparavit & in meliorem Civitatis effigiem redegit.

De Thermis publicis ab aliquo Imperatore trium horum Auguſtorum prædeceſſore ædificatis hic agitur. Gratianum enim, Valentinianum, aut Theodoſium Thermas unquam fabricaſſe nullo ab Hiſtorico enarratur. Præterea cum Thermæ quarum hic ſermo *vetuſtate labantes* dicantur, perſpicuum eſt eas ab ipſis Reſtitutoribus non fuiſse ædificatas. At quæ fuerint Thermæ florente imperio Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii inſtauratæ perquirere, deſperati laboris autumo. Interea ex hoc Lapide (quem unicum cenſeo) diſcimus tres iſtos Imperatores crebris licet bellis diſtentos, publicis tamen ædificiis reſtituendis animum intendiſſe.

CRATIANI. Flavius Gratianus hic eſt Valentiniani & Severæ filius, Sirmii natus, Princeps religioſus, & pius, quem D. Ambroſius ſummis laudibus exornavit. Imperatorum primus *Pontificis Max.* titulum, veſtimenta, inſigniaque recuſavit, uti notavimus ad Inſcript. 7. Admodum juvenis Alemannorum triginta millia in Gallias erumpentium circa Argentoratum profligavit. Maximi inſidiis circumventus periit non procul a Lugduno ad Rhodanum.

VALENTINIANI. Valentiniani I. ſive ſenioris ex Juſtina filium Valentinianum juniorem hic habemus, conſortem Imperii a Gratiano fratre factum. S.Ambroſio conſtanter adhæſit licet Matre repugnante, a qua ſanctiſſimus ille Eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopus indigna perpeſſus eſt. Anno ætatis 26. fraude Arbogaſtis Alanorum Præfecti in cubiculo ſtrangulatur.

THEODOSII. Annos natus 33., Theodoſius, ob egregie geſta *Magnus* cognominatus, Orientis Imperator eſt creatus. Hujus virtute, pietate magnanimitateque redundat Hiſtoria. Divi Ambroſii pœnitentiæ ob necem Theſſalonicenſem præſcripto ſedulo ſatisfecit, mirum Chriſtianæ humilitatis præbens Principibus viris exemplum. Mediolani obiit anno C. 395. Cadaver, Conſtantinopolim translatum, ibi cum cæteris Auguſtis ſepultum eſt.

ANICIVS AVCHENIVS BASSVS. ita apud Fabrettum.

ANICIO AVCHENIO BASSO
V. C. QVAESTORI CANDIDATO

Apud Symmachum lib.x.ep.33. modo *Anthenius*, modo *Anthemius*. Ceterum Baſſi ſæpius me-

meminit laudatus Symmachus. *Vir illuſtris*, inquit loc.cit., *pr ædeceſſor meus Anthenius Baſſus*, item V.C. *& probatiſſimo Anicio Baſſo*, *& Aventio viro ſpectabili frequentata cognitio*.

PROCONSVL CAMPANIAE. Inter Lirim fluvium, nunc *Garilianum*, & *Sarnum* continetur Campania, cujus Metropolis Neapolis. Campanos ſemper ſuperbos bonitate agrorum vocat Cicero, magnitudine fructuum, ſalubritate aeris, & regionis pulchritudine, unde *Felix* cognominata eſt. Omnium, non modo Italiæ ſed pene totius Orbis terrarum pulcherrimam Campaniæ plagam dixit Jornandes *de Regn. & temp. ſucceſſ.*

Inſcriptio ſane poſterior non eſt anno Chriſti 383. quo (die vero 25. Auguſti) Gratianus interiit. Eamdem retulit etiam Eduardus Corſinius; verum lineis omiſſis (brevitatis gratia ut puto) tertia, quarta, quinta, & ſexta.

117.

MAXIMO VIC
TORIACTRIVMF:::
TORI.SEMPER AVG
FABIVSTITIANVSVCCONS
ORDINARIVS.PRAEF.VRBIS
ITERVMIVDEXCOGNITIONVM
SACRARVM.MAIESTATIEIVS
DICATISSIMVS

Tyrannus potius quam Imperator *Fl. Magnus Maximus* hic enunciatur, qui interfecto per Andragatium Gratiano optimo Principe, imperii titulos, majeſtatemque uſurpavit. *Victor*, & *triumphator*, *ſemperque Auguſtus* dicitur; at a Theodoſio bis ſuperatus, & tandem Aquilejæ obſeſſus, a propriis militibus atrociter necatus eſt.

FABIVS TITIANVS. Apud Gruterum p.193. TIB. *Fabius Tatianus*, qui, docente cl. Corſinio *de Præf. Vrb.* p.191., Turcio Aproniano in Præfecti munere ſucceſſit.

VCCONS. *Vir clariſſimus Conſul ordinarius*. De Conſulibus ordinariis jam ſupra dictum eſt num.66. Muratorius pro VC. ſcribit AVG. *In quarta linea* (ait in Nota) *eſt* AVG. proinde Tatianum ex *Viro Clariſſimo* in *Augurem* transformavit. Præterea ſuſpicatus eſt Vir doctus, ex Marmore aliquam in principio lineam excidiſse; quamobrem illud ad Conſtantinum Magnum pertinere aſserit. Atqui Marmor, quod egomet ſæpe ac perattente inſpexi, integrum eſse teſtor, ideoque Fl. Magno Maximo tyranno reſtituendum opinor, licet Romæ repertum.



CAPUT

CAPUT III.

Consules, Præfecti Urbani, aliique Magistratus.

118.

CENTVM.VIRI.MVNICIPII.AVGVSTI.VEIENTIS
RÓMAE.IN AEDEM.VENERIS.GENETRICIS.CVM.
CONVENISSENT.PLACVIT.V́NIVERSIS.DVM.
DECRETVM.CONSCRIBERETVR.INTERIM.EX
AVCTÓRITATE.OMNIVM.PERMITTI

C.IVLIO.DIVI.AVGVSTI.L.GELOTI.QVI.OMNI.TEM
PORE.MV́NICIP.VEIOS.NON.SOLVM.CONSILIO
ET.GRÁTIÁ.ADIVVERIT.SED.ETIAM.INPEN
SIS.SVIS.ET.PER.FILIVM.SVVM.CELEBRÁRI
VOLVERIT.HONOREM.ET.IVSTISSIMVM.DE
CERNI.VT.AVGVSTÁLIVM.NVMERÓ.HABEÁTVR
AEQVE.AC.SI.EO.HONÓRE.V́SVS.SIT.LICEAT
QVE.EI.OMNIBVS.SPECTÁCVLIS.MV́NICIPIO
NOSTRO.BISELLIO.PROPRIO.INTER.AVGVS
TÁLES.CONSIDERE.CENISQVE.OMNIBVS.PV
BLICIS.INTER.CENTVM.VIROS.INTERESSE
ITEMQVE.PLACERE.NÉQVOD.AB.EO.LIBERIS
QVE.EIVS-VECTIGAL.MV́NICI.·.I
AVGVSTI.VEIENTIS.EXIGERETVR

ADFVÉRVNT

C.SCAEVIVS	CVRIATIVS	II.VIR	CN.OCTAVIVS.SABINVS
L.PERPERNA	PRISCVS		T.SEMPRONIVS.GRACCHVS
M.FLAVIVS	RVFVS.Q		P.ACVVIVS.P.F.TRO.:.:
T.VETTIVS	RVFVS.Q		C.VEIANIVS.MAXIMVS
M.TARQVITIVS	SATVRNIN		T.TARQVITIVS.RVFVS
L.MAECILLVS	SCRVPVS		C.IVLIVS.MERVLA
L.FAVONIVS	LVCANVS		

ÁCTVM

GAETVLICO.ET.CALVISIO.SABINO. CoS.

Prænomina iſtorum Conſulum in Marmore omiſsa recitat Tacitus *Ann.* lib. IV. a quo *Getulicus* dicitur *Lentulus Getulicus* abſque diphtongo: attamen a Caſſiodoro idem Getulicus CNEVS tantum vocatur; a Petavio Cn. Cornelius Lentulus; ab Almelovenio GNEVS Lentulus. Ita, quem Tacitus CAIVM CALVISIVM vocat, Petavius LVCIVM appellat. Porro hi Conſules fuere anno V. C. 779. Chriſti vero 26. quo Centumviri Vejentes C. *Julio Geloti* Auguſti liberto vectigalium ſolutionis onus remittere ſtatuerunt, eique Pſephiſma hoc jure meritoque dedere, quo fretus, Auguſtalitatis honorem conſequeretur, inter Auguſtales conſideret, atque ſpectaculis, cenisque publicis intereſset. Notandum hic adverſus Valerium Chimentellum, per hanc Tabulam firmari conjecturam, quod honor Biſellii communis ſingulis Auguſtalibus fuerit.

VEIENTIS. De Vejentibus Etruriæ potius, quam de Vejentibus antiquæ Provinciæ Valeriæ, quorum Municipium hodie *Civita-Caſtellana*, loquitur ſaxum: ita quippe opinor, eo magis quia ibi Vejentanum decretum iſtud repertum eſt, uti teſtatur Fabrettus, ſcilicet in meditullio ambitus rupium, & mœniorum, prope Junonis Argivæ templum inter Cremeram fluviolum, vulgo *la Valca*, & *Caſtrum Inſulæ* ad ipſam viam Vejentanam, quam aperte a Caſſia deducunt tabulæ Peutingerianæ.

VENERIS GENETRICIS. Non *Genitricis*, uti plerique ſcribunt. Ædem, ſeu Templum Veneri Genetrici in Foro ſuo ante bellum Pharſalicum, teſtibus Dione, atque Appiano, dicavit Julius Cæſar, qui a Venere ſe prognatum ferebat: in eo ſpolia de hoſtibus dedicavit, ſtatuamque poſuit nondum ab Artifice abſolutam, quia ædem dedicare feſtinabat. Mox ſtatuam æneam ipſi Divo Cæſari cum ſtella crinita ſupra caput ejuſdem fulgente collocavit Auguſtus, quia ejuſmodi poſt Julii mortem ſtella viſa eſt.

BISELLIO PROPRIO. Ubi in ejuſmodi ſella, duo ſedent, quieſcunt, capiuntur; vel duo ſedere, capi, quieſcere poſſunt; vel ubi in ejuſmodi (nempe ſubſellio) duo capiuntur, & conſident, *Biſellium* dictum, inquit Chimentellus. Cum igitur illuſtribus viris, qui ad ludos cæteraque ſpectacula conveniebant, una tantum ſella concederetur, Vejentes, grati animi argumento, *Julio Geloti* duabus uti poteſtatem fecerunt. Qui Biſelliatus honorem adepti erant *Biſellarii* vocabantur, quod ex ſequenti Abellinorum inſcriptione apud Gruterum liquet

CN. PLAETORIO . VIVIRO
AVGVSTALI
BISELLARIO
HONORATO ORNAMENTIS
DVCVRIONAL
POPVLVS ABELLINVS
&c.

Biſel-

Bisellarii quoque dicebantur Bisselliorum artifices. Honor ipse, seu privilegium Bisellii, *Bisselliatus* vocabulo exprimebatur, uti colligitur ex hoc Casinatium lapide, quem ex cl. Erasmo Gattola *descript. dition. Casin.* at mendose tamen, transcripsit Muratorius, quemque hic emendatum habebis.

M . SENLIO CRISPINO
C . V . , ... OMNIBVS . . .
. . . . ORDO · ET . V
NIVERSVS POPVLVS OB
MERITA ET LABORES EIVS
HONOREM BISELLIATVS
ET ORNAMENTA DECVRIO
NATVS GRATVITA OBTVLERVNT
QVOD OPERA THERMARVM AES
TIVALIVM VETVSTATE CORRVP
TA S . P . RESTITVIT . EXORNAVIT
CVS *sic* PORTICOS ETIAM CIRCVM
CINGERE ESCOLIMBOMACOLO
CONSTITVIT STATVAM AMICI
DICANDAM MEMORIAM EIVS
PONENDAM CENSVERVNT
L . D . D . D

At prolixius de Bisselliatus honore differere supervacaneum est, præsertim cum nemini vulgatum Chimentelli opusculum non innotescat, cui titulus *Marmor Pisanum de Honore Bisellii*, in quo sellarum, subselliorum, Bisselliorumque formam, ex antiquis Cimeliis delineatam invenies. Adi etiam Fresnæi *Glossarium*, & Raph. Fabretti *domest. Inscript.* cap. uI.

CENISQVE OMNIBVS PVBLICIS. *Scænisque* fortasse legendum; nempe spectaculis omnibus Scænicis. Nam quæ de *Cenariis*, deque Primicerio *Cenariorum*, qui inter Monetarios sunt recensendi, prodit Gutherius *de Off.* D.A. *lib.* uI. nihil ad rem nostram facere patet ex ipsius Vejentium psephismatis contextu. Sunt qui legant *Cænisque*; nimirum *Epulis publicis*, quam profecto lectionem haud omnino respuendam autumo. Jus enim accedendi ad publica convivia, atque ad mensam accumbendi præmium antiquitus fuisse virtutis, docet Homerus. Audiantur Nestoris verba *Illiad.* 10.275, doctissimo Raymundo Cunich interprete

Nec vero eximio Grajorum in gente carebit
Munere: Nam reduci, qui præsunt navibus, omnes
Pro se quisque dabunt pinguem atri velleris agnum
Lanigera cum matre, viro quibus utilis æque
Non ulla est rerum, in censu quas possidet omni.
Omnibus ille choris aderit, spectabilis omni
Ille epulo in Regum semper conviva sedebit.

Romæ similiter Militibus frequentissime populoque epulas publicas, & viscerationes, pauperibus vero sportulas datas fuisse in triumphis, in sacrificiis, in funeribus, in Templorum dedicationibus, passim testantur inscripti Lapides, sæpiusque narrant R. H. Scriptores. Licebat ergo nostro huic *Julio Geloti* cænis publicis, hoc est dapsilibus, rectis, novendialibus, & acromaticis (V. Lazium in R. R. *comm.* lib. uI. & Bulenger. *de Conviviis*) quæ cum festivis recitationibus ac ludricis narrationibus celebrabantur, ex C̄ *virorum* Decreto interesse.

Quæ sequuntur nomina recitant tredecim ex C̄ *virorum* cætu, qui decretum subscipsere, inter quos C. Scævius Curiatius, & L. Perpenna IIVIRI, & M. Flavius Rufus, Titusque Vettius Rufus Quæstores. Lapis extabat olim in Museo Ciampinio: notatu quoque in eo est apicum frequentia, quorum primus usus in Inscriptionibus a Fabretto, ad Augusti ætatem refertur, & vox illa CENIS (dummodo de re convivali sit intelligendum) absque diphtongo cum Manutio, adversus Dausquejum.

Literæ T . N . G . Q . in autographo sic

T·N.G.Q.

M.VA-

119.

M . VALERIVS . MESSALLA . CORVINVS
P . RVTILIVS LVPVS . L . IVNIVS . SILANVS
L . PONTIVS . MELA . D . MARIVS
NIGER . HEREDES . C . CESTI . ET
L . CESTIVS . QVAE . EXPARTE . AD
EVM . FRATRIS . HEREDITAS .
M . AGRIPPAE . MVNERE . PER
VENIT . EXEA . PECVNIA . QVAM
PRO . SVIS . PARTIBVS . RECEPER:::
EX VENDITIONE . ATTALICOR
QVAE . EIS . PER . EDICTVM . AEDIL
INSEPVLCRVM . C . CESTI EX
TESTAMENTO . EIVS . INFERRE
NON LICVIT

MESSALLA . Aliqui hoc Valeriorum cognomen cum unica L. ſcribere malunt . Verum ſi nos antiquiores , emendatioreſque Lapides non fallunt (potiſſimum hic emendatiſſimus , primum circa C. Ceſtii ſepulchrum , deinde in Quirinali , tandem in Muſeo Capitolino ſitus) littera L. geminari debet . Corrigendus eſt igitur Oct.Falconerius, de quo infra , qui Manutium veluti alterius ſententiæ vindicem laudat , cum noſtræ aſſertorem fuiſſe conſtet ex ipſius verbis . *Meſsalla* , inquit *in Ortograph.* p.250., *gemina* LL. *cognomen Valeriorum a Meſsana urbe capta* , *Macrobius Saturn. lib.*1., *Lapides Capitolini* , *& alii* . Damnandi ſunt Gryphius , & Scotus ac præ cunctis Reineſius aliique , qui in Macrobii , Tibulli , & hujuſce inſcriptionis editione ſcripſere *Meſſala*, licet in accuratiſſimis Macrobii *Saturnalium* , ac *Carminum* Tibulli codicibus , atque in noſtri Lapidis autographo *Meſſalla* legatur . Nec plurimi facienda Glandorpii (quem laudat Falconerius) in contrarium opinio . Is enim literam L. in Romanorum nominibus pro arbitrio duplicabat . Nonne ſcribebat *C. Junius Sullanus* (quaſi ex *Sylla* originem duxiſſet *Junius*) pro *Silanus* , cujus nomen a *ſilo* provenisſe aſserit Ant. Auguſtinus ? Ceterum M.Valerius Meſsalla Corvinus oratoris filius hic forte nominatur , ad quem tertiam lib.1. elegiam miſit Tibullus ,

Ibitis Ægeas ſine me Meſſalla per undas
O utinam memores ipſe , cohorſque mei .

At is eodem prænomine filium habuit , qui Conſul fuit cum G. Lentulo Getulico ; ideoque Patrem , (qui ſexto die ut Taciti ſimul , & Euſebii verbis utar *neſcius exercendi* , *Urbis Præfectura ſe abdicavit*) an filium enunciet Inſcriptio , incertum .

P. RVTILIVS . Rutilia gens duplex fuit , *Patricia* ſcilicet , & *Plebeja* . Hic de eo mentionem fieri putat Falconerius , qui orto jam bello civili Prætor erat cum C. Cœponio , uti ex Cæſaris , de B. C. *lib.* I. , colligitur . Eundem nominant , Pompejus in Epiſtola ad Lentulum , & Marcellum conſules , & Quintilianus *Inſtitut. lib.*I. *cap.*II.

L . IVNIVS SILANVS . Non is equidem , cujus meminit vetus apud Mazzochium Inſcriptio Aquæductus , D. Thomæ *in Formis* templo , proximi : hic etenim non *Lucius* , ſed *Caius* prænominabatur . Neque is , quem cl. Falconerius , ex Plinio *lib.* 2. *cap.*35. Proconſulem laudat , C. Octavio , C. Scribonio

Coſs,

Cofs.: nam Plinius hunc, *Licinium Syllanum* non fane L.Junium Silanum appellat, immo vero in vetuftis codicibus habetur: *vidit hoc Syllanus Proconful cum comitatu fuo*, nulla Licinii facta, nulla C. Junii mentione. V. *ed. Lugdun.* 1553. curante doctiffimo viro Jo. Nicolao Victorio. Ego igitur Mefsallæ, & Rutilii coheredem illum fuifse cenfeo L. Silanum, qui mortem fibi inferre, imperante Claudio, coactus eft, tefte Svetonio. *L.Silanus abdicare fe Prætura ante quartum Kalendas Januarias, morique initio anni coactus eft, die ipfo Claudii, & Agrippinæ nuptiarum.*

L. PONTIVS MELA. Sepulchri curator, nedum C. Ceftii heres fuit Pontius Mela una cum Potho liberto, quod conftat ex ejufdem fepulchri, feu Pyramidis Ceftianæ infcriptione. OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCC XXX. ARBITRATV. PONTI. P.F. CLA. MELAE. (Mazzocchius *Clamella*; de Choul *Clomelæ*; perperam uterque) HEREDIS. ET. POTHI. L.

D. MARIVS NIGER. Hujus, nec monumentum aliquod extat, nec mentionem faciunt Hiftorici.

L. CESTIVS. Defuncti frater. Hunc Prætorem fuifse declarat Fulvius Urfinus, hujufque Numos hic ex Patino delineavi.









M. AGRIPPAE MVNERE. Octavius Falconerius, qui egregiè Ceftianæ Pyramidis titulos, atque picturas illuftravit, ad hæc verba notavit, C. Ceftium, cum potentem aliquem gentis fuæ Patronum relinquere exoptaret, partis quam Fratri deftinaverat, M. Agrippam heredem teftamento inftituifse, non equidem ab hereditate Fratrem excludendi animo, fed ut ea liberalitate, Agrippæ benevolentiam, atque patrocinium in familiam fuam conciliaret. Pro certo enim habebat (quod confirmavit eventus) M. Agrippam, qui & munificus, & opulentiffimus erat, bonorum partem, quam ex dono acquififfet, Fratri pariter donaturum fore. L.Ceftius igitur, ut animum erga M. Agrippam, ftudiumque fuum publico probaret argumento, verba M.AGRIPPAE MVNERE, hac in Bafi fcribi curavit.

ATTALICORVM. Attalicæ fupellectiles, ab Attalo Rege, eo, ni fallor, qui cum libe-

liberis careret, Populum Romanum patrimonii ſui heredem fecit; quique, apud Plinium, auro veſtes intexere primus invenit. Propertius lib. 2.

... umbroſis ſordet Pompeja columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis.

At de Attalicorum luxu, & uſu in conviviis, atque in funeribus, eumdem adi perſæpe laudatum eruditiſſimumque Ceſtianæ pyramidis Interpretem. Ex his patet C.Ceſtium juſſiſse ſecum Attalica ſepeliri, & per Ædilis (Plebis ſcilicet) edictum, eam teſtamenti partem fuiſſe irritam. Cum enim crebrò Teſtatorum voluntas juſtum funeris ſumptum excederet, lex, pretioſas ſupellectiles ſepulchris includi vetuit, impenſamque ſepulchro prefiniendi facultatem, Ædili plebis tradidit. Id meminit Cicero ad Atticum lib.12.Ep.35. in qua, ejus legis pœnam ſe effugere poſſe putat, ſi memoriæ, manibuſque Tulliolæ, (quam non abſque graviorum Virorum improbatione præter modum dilexerat, ne dicam adamaverat) Fanum, non tumulum extruat. Laudanda hic obiter eſt Heredum liberalitas, qui venditis Attalicis, ex ea pecunia duas C. Ceſtio ſtatuas Pyramidi proximas exſtruxerunt. Hinc duæ Baſes, totidemque exſtant in Muſeo noſtro Inſcriptiones, in quibus eadem omnino ſententia continetur. Ultimarum tamen literarum διάταξις varietatem aliquam exhibet, quam, ad omnem tollendam ambiguitatem, hic adnotamus.

QVAE . EIS . PER . EDICTVM . AEDIL.
IN SEPVLCRVM . C . CESTI . EX
TESTAMENTO . EIVS . INFERRE
NON LICVIT

QVAE . EIS . PER . EDICTVM
AEDILIS . IN SEPVLCRVM
C . CESTI . EX TESTAMENTO
EIVS . INFERRE . NON . LICVIT

IN SEPVLCRVM. Pyramidis Ceſtianæ typum vulgatiſſimum eſſe haud ignoro; itaque ad Operis ornatum potius, quam ad Lectoris notitiam hic apponam.



Moles quadrata, quæ flammæ more è lato ad ſublimitatem acuminando gracileſcit, a qua figura nomen traxiſſe autumant nonnulli; alii a genere lapidis Thebaici quem Græci πυροποικίλον vocant. Ceſtii imaginem in ea quondam extitiſſe tradit Boſius *lib.*I.

120.

XI K OCT
Q · TEDIVS ƆL GERMVLLVS.·.·.
XVI · K · NOV
OPPIA · M · F · PARIET · IIII · COL · II.·.·.·.
Q · IVNIO · BLAESO L · ANTISTIO · VI.·.·
X K · IAN
SEX CAMPATIVS · SEX · L · EVTACIV.·.·
PARIETE II · COL · I
C · FVFIO · GEMINO
L · RVBELLIO · GEMINO COS
IIII · IDVS · MAI · OSSA · INLATA
LVRIAE · P · L · APRILIS
PARIETE · II · COL · III

Germana in hoc insigni marmore duorum *Geminorum* nomina habentur, qui Consulatum obierunt A. C. XXIX. uti communis Fastorum Collectorum testatur opinio. Anno inquam CHRISTI 29. in quo completa REDEMPTIONIS nostræ mysteria fuisse asserunt sacri, tum antiqui, tum recentiores, Historici. Mutilus est Lapis, non integer, uti editus est a cl. Muratorio, qui insuper TEOLVS scripsit pro TEDIVS. Effossus est anno 1722. intra Urbem prope Ecclesiam S. Sixti: ab Emo Card. GVALTERIO tunc comparatus, mox in Cimeliarchum Emi Card. Alexandri ALBANI translatus; tandem in Museo Capitolino, ut illustre æræ Pontificiæ caput constitueret, situs. De duorum Geminorum consulatu summa eruditione atque doctrina præstantes Viri pertractarunt: omnium vero fusius celebris Panvinius in Fastis p. 306. ubi de anno, & die Passionis CHRISTI scitè disseruit. Sententiam tamen hic proferam doctissimi Dominici Magnan, qui in ipso egregii sui *de Anno Nativitatis Christi* Operis limine ingenue aperteque hæc vulgare non est veritus: *Cum enim*, inquit, *Christo Domino*, *ab eoque gestis rebus*, *& ipsius Nativitate*, *vita atque morte*, *nihil sit Christianis hominibus notius*; *obscurissima nihilominus illorum omnium tempora sunt*, *neque quibus annis singula contigerint*, *plene fuit hactenus*, *ac liquido compertum*. Revera licet doctissimi Viri hanc solvere atque definire quæstionem sint aggressi, ex eorum scriptis novas obortas esse difficultates, densioresque tenebras reor.

Cetera in hoc Lapide contenta non magni sunt momenti: notati enim in eo sunt dies, quibus Ethnicorum quorumdam Virorum Feminarumque ossa Columbariis inlata, atque composita fuere: Nimirum Q. *Tedii Germulli* die 21. Septembris; *Oppiæ* M. F. die 17. Octobris; *Sex. Campatii* die 23. Decembris; *Luriæ* tandem *Aprilis* die 12. Maii.

PARIET. IIII. Parietum sepulcralium adsignationem in titulis funereis indicatam, perraro inveni. Sciendum ergo est Ethnicos, *Subdivalia* (h. e. aeri exposita) sepulcra crebro erexisse, quod *Viridaria*, vel uti Fabretto placet, *Cepotaphia*, ac juxta Vitruvium *Hypæthra* vocabantur. Aliquando vero sub tecto, quod tunc dicebantur *Hypogæa*; loca scilicet undique parietibus tecta, & tanquam subterraneæ Porticus. CHRISTI *Salvatoris* monumentum *Hypogæum* fuisse arbitratus est eruditissimus Salmasius *in exercitat. Plinian.* Tom. II. Viridarii autem mentio est in quibus-

busdam Lapidibus apud Fabrettum *Cap.* III. His præmissis confidenter asséro, tumulum Q. Tedii *hypogæum* fuisse, non *Viridarium*, neque *Hypæthrum*. Ita *Flavius Charisius* IN HIPOGEO INSTRVXIT &c. ita *Aurelia Primigenia* SE VIVA FECIT... HIC MVNIMENTVS MACERIA CINTVS CVM HYPOGEO: ita Sepulcrum CONCAMERATVM PARIETIBVS *sibi consecraverunt* C. *Cæcilius Felix*, & C. *Cæcilius Urbicus*. Ita demum M. *Vergilius Euphemus* FECIT SIBI &c. CVM PARIETE QVI HABET OLLAS N. XXIIII. apud Fabrettum *loc. cit.* & cap. I., & apud Reinesium cl. x. Quapropter Gorianam illam Inscriptionem P. I, p. 227.

IN
VIRIDARIO PARTIS:::
P. XIX
M. LIVIV. S M. F. CASSIVS
DON

Sic interpretor. M. *Livius donavit* PARIETES (per longitudinem, uti in sepulcrali privilegio a Mazzocchio edito p. 17.) PEDVM XIX. Aliam itidem Fabrettianam *loc. cit.*

IN. VIRIDARIO
PARTIS
TERTIAE

Sic mihi legere liceat PARIETIS TERTIAE: neque ad vindicandum masculinum Parietis sexum insurgant Prisciianistæ: hujusce enim grammaticalis arbitrii exemplum in promptu est apud cl. Maffejum *Mus. Veron.* pag. 295.

C. CLODIVS. C. L. ZETHVS
EX. PARIETE. TERTIA
SIBI. SVISQVE

De sepulcralibus istis Parietibus adeundus Reinesius *loc. cit.* ubi, *paries* inquit *tot ollas habens, paries est, pro quavis olla, peculiare loculamentum, vel riscum exhibens.*

Q. IVNIO BLAESO. Q. Junii Blæsi nulla est in Fastis mentio; idcirco ut Fastorum silentium cum certo Marmoris nostri testimonio componatur, censendum est hunc ex suffectis fuisse, atque subrogatum C. Asinio Pollioni, quem hoc anno, nimirum V.C. 776. Consulem cum Antistio Vetere omnes laudant Fastorum restitutores.

L. ANTISTIO. Legatur L. *Antistio Vetere.* Neque corrigendus Blanchinius, inquit Muratorius, quod Antistio Veteri prænomen *Lucii* tribuat. Immo reliqui corrigendi qui *Cajum* illum appellant. Pluris quippe est in hisce rebus auctoritas unius antiqui indubitatique Lapidis, in quo firma semper est Scriptura, quam Codicum, quorum fortuna obnoxia est erroribus Librariorum, ac Typographorum, quibus facile fuit ex vicinitate formæ L & C, unum pro altero accipere, & *Lucium* in *Cajum* immutare. Hactenus doctissimus Vir. At nescio an vere Lapidum scriptura firmior sit scriptura Codicum; nam si de Autographis loquitur Muratorius, sententiæ æque firmæ ac stabiles sunt tam in Codicibus, quam in Marmoribus; si vero de Amanuensibus, hos non minus claudicare videmus in excribendis Marmoribus, quam in exscribendis Codicibus, uti quippe præ cunctis crebro ipse Muratorius expertus est, potissimum in suo congerendo antiquarum Inscriptionum thesauro; in quo ne unum quidem huc usque Lapidem, erroris omnino expertem, inveni.

C. FVFIO. Modo Rufus, modo Ruffius, aliquando Rufinus nominatur, quod notavit Petavius *in Rat. temp.*

LVRIAE. Luriam Helenam, Luriam Pusillam, Luriam Privatam, & Luriam Pæzusam in collectionibus Gruteriana, & Maffejana reperimus.

COL. II::: Legebam *Columnis duabus, tribus...* aut rectius *Columna secunda, tertia...* exemplo ductus Inscriptionis ejusdem Fabretti, apud quem

Q. PESCENN...
COLOMNAS. III
DE SVO DAT

FE-

FERONEAE
ET . CREPIDINEM
ANTE COLOMNAS
EX LAPIDE

Huic alteram adde (ex Tobia Gutberletho in *Inſcript. Smyrn.*) in qua Cæcilius Felix, & Cæcilius Urbicus ſibi conſecraverunt *locum* concameratum parietibus ET . PILA . COMPREHENSIS; ubi *Pila*, quæ ab opponendo dicitur (ait Feſtus) idem eſt Calepino quod Columna ad Parietem ſuſtentandum poſita. Legebam, inquam, COLVMNIS: ſed libentiſſime adſtipulor cl. Ant. Lupo, qui has ſiglas COL interpretatur COLVMBARIO *ſecundo*: Parietes, Concamerationes, & Columbaria ſeu Loculos ad inſtar nidorum, & domiciliorum Columbarum inſtructos, hic perſpecte delineatos ex celeberrimis illis Liviæ Auguſtæ Servorum Libertorumque columbariis, profero.



121.

S V O
M.AQILA
II P.NONIO.ASERLN...
II EPAPHRODITVS.CHR
IVCORFI.F. EROS. CLVTINA
II APHRODISIVS.CLVTINAT
II :::DORVS. ATR
II CAESARE.AVG.GERMANICO
II L.APRONIO CAESIANO (°
II ANTHVS TOP II
II TIRO ATRIS
II ,,,,,, ,,,,,,
::o CoS ONESIMVS MEDIC
EPAPHRODITVS - CHRES. FII.
EPAPHRODITVS TERTIAN
:::PROMAGIEXDD ⋇ ∞ D
SPERATVS. LIBER. MARC
CAESARE AVG.G.F
::::AELPHVS PROCV

Fragmentum istud jam plus quam satis vetustate corruptum, Muratorius iterum deformavit pag. 303. Nam præter nominum *Aphrodisii Clutinat* in quinta, & *Epaphroditi Chres* F II. in decima tertia linea suppressionem, scribit

DVS *pro* SVO
AQIL *pro* AQILA
ASPR *pro* ASERLN
ARTIS *pro* ATRIS
PRO MAGIS.X.DD *pro* PROMAGI EX DD
ADELPHVS *pro* AELPHVS

Sic compositis jure suo nominibus, quosdam imaginatus est etiam Consulatus, quorum in fragmento ne vestigia quidem. Unius igitur tantum mentio certa hic est; scilicet Cæsaris Augusti Germanici, seu Caligulæ II. cum L.Apronio Cæsiano A. C. 39. & forte M. Aquilii Juliani sive *Juniani* cum P. Nonio Asprenate A.C. 38. Caligulam secundum Consulatum post triginta dies abdicasse, tradit Svetonius; eique subrogatus est Sanquinius Maximus.

ATR. *Atriensis*. Is scilicet qui Atrium observabat, illudque custodiebat, ne quid ex Avorum imaginibus, stemmatibus, trophæisque, ac ceteris, quæ in Atrio reponi solebant, deperiret: supellectilem pariter ædium villæque exponebat, simulque Atrium ex omni parte mundum, & nitidum ut esset procurabat. *Tum insistere Atriensibus*, ait Columella lib.XII. *ut supellectilem exponant, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur*. Hujus servorum generis meminit Cicero *in Pison.* meminit & Plautus in Pseudolo, & in Asinaria. *Atrienses* demum ab *Atriariis* recte distinguit Petrus Faber lib.2. apud Tit.Popmam de *Op.Serv.* p.25.

ANTHVSTOP. *Anthus Topiarius*. Topiarii inter prædiorum rusticorum Operarios censebantur, qui arbusculas virgultaque ductilia facili flexu in varias formas figurasque, modo humi, modo per ruris spatia, vario, & solerti ingenio effingerent, & concinnarent:

rent: ita nonnulli apud Pitiſcum, & Popmam, auctores. Hos eleganter deſignat Firmicus lib. VII. cap. 10. ubi *Qui*, inquit, *buxeas arbores tondens in belluas fingat, aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciat*. Moris autem fuit ex buxo, myrto, roſis, hedera, & lauro Deorum ſimulacra, & varias hominum effigies naviumque formas, aut turrium, ædium, vel cubiculorum ſpecies in hortis per ejuſmodi operarios fieri. Cic. *ad Q. Fratr. lib.* III. *laudavit Topiarium, ita omnia conveſtivit hedera, qua baſim Villæ, qua intercolumnia ambulationis, ut denique illi palliati topiariam facere videantur, & hederam vendere*. Vocabulum iſtud non Romanis tantum, ſed uſitatiſſimum eſt etiam Longobardis, apud quos Vites artificioſe in varias formas concinnatæ vocantur vernaculo ſermone *Topie*: ita *Toparii Toparie*.

MEDIC. Oneſimus *Medicus*. Archagathum Lyſaniæ filium, primum e Medicis Romam Peloponneſo veniſſe L. Æmilio, & M. Livio Coſſ. A. V. 535. author eſt Caſſius Hemina apud Plinium lib. 29. cap. 1. Medicorum plerique ſervilis fuere conditionis, diu enim Medicina, ut ingenuo homine indigna, neglecta eſt, & ad Servos & Libertinos ablegata: Magnatibus tamen Romanis fuerunt familiares, atque ab iis maxime honorati. *Quid ergo*, inquit Seneca *de Benef. lib.* VI. *cap.* 26. *quare Medico, & Præceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? quia ex Medico, & Præceptore in amicum tranſeunt; & nos non arte quam vendunt, obligant, ſed benigna, & familiari voluntate*. Qua de re Procerum amici dicuntur a nonnullis Hiſtoricis, ex quibus de Eudemo hæc Tacitus *Ann.* lib. IV. *Sumitur in conſcientiam Eudemus Amicus, ac Medicus Liviæ ſpecie artis frequens ſecretis*. Multum profecto Medicorum ordo debuit egregio illi Antonio Muſæ, cujus opera Auguſtus gravi morbo afflictam valetudinem recuperavit. Auguſtus enim in beneficii præmium, laboriſque eximii mercedem ipſi Muſæ, præter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum jus, univerſo vero Medicorum ordini a muneribus civilibus immunitatem dedit. His Senatus, ære collato, ſtatuam adjecit, quam juxta Æſculapii ſignum collocatam tradit Svetonius. Fuerunt & Medicæ tum apud Græcos, tum Romanos, quarum nomina in Opuſculo *de Ornatricibus* recenſui.

PROMAGI:::: *Promagiſter* forte *libellorum*, ut in quodam fragmento apud Pitiſcum.

. . . .

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBENTIVS
CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSI

Vel *Scriniorum*, ideſt *Proximus* ſacrorum Scriniorum, qui Magiſtri, ſi abeſſet, aut valetudine impeditus ſuo officio fungi non poſſet, vices agebat: vide Guther. *de Offic.* D.A.

EXDD. *Ex decreto Decurionum*. HS *Seſtertia*. ∞. *Mille*. D. *Dedit*.

122.

::::PONTIVS · M · F · COL · PLAC:::
::::P · SVILLIO · RVFO · COS

PONTIVS. Pontiæ gentis (ex qua forte iniquus prodiit Pontius ille Pilatus, qui IESVM CHRISTVM cruci affigendum Judæis tradidit) monumentum via Appia inter III. & IV. lapidem repertum legimus apud Corradinium *in Lat. vet.* lib. II. cap. XX. hujuſmodi

PONTIA PRIMA M - PONTIVS M . F . PAPIA RVFVS
M . PONTIVS M . F . PAPIA POTVS
A . PONTIVS A . F . CALVENTVS
A . PONTIVS A . F . GALANVS
SEX . PONTIVS . SEX . FIL . PAPIA . VERVS
HOC MONVMENTVM
FECERVNT XII *sic*. NONAS MARTII CN POMPEIO
STRABONE . ET L . PORCIO CATONE COSS

Cum

Cum igitur *Pontius* in nostro Lapide enunciatus, *Marcus*, ut in Monumento, dicatur, nostrum æque *Marci* prænomen tulisse conjiciebam, eumdemque esse cum illo, qui in Monumento nominatur. Verum cum nulla in Marmore Capitolino adsit cognominis mentio, ideo ab hac temperare assertione cogor.

COL. PLAC. Puto heic *Coloniæ Placentinæ* mentionem fieri, nisi illud PLAC interpretemur *Placidus* h. e. M. *Pontius* M.F. ex tribu *Collina Placidus* seu *Placcius* &c. Verum familiam Pontiam non tribui *Collinæ* sed *Papiæ* adscriptam, ex relato Epitaphio constat, aut *Scaptiæ*, uti in alio Cap. IV. referendo legitur.

P. SVILLIO RVFO. Publii Suillii Rufi collegam C. *Antistium Veterem* faciunt Panvinius, Petavius, atque Almelovenius: Lipsius vero C. *Cestium Gallium*; consulatusque munus suscepisse asserunt Ann. V. C. 802., post C. N. 50. At *Suillium* discriminatim nominant. Panvinius scilicet M.SVILLIVM RVFVM SERVILIANVM. Almelovenius, M. SVILLIVM RVFVM NERVLINVM. Petavius, M. SVILLIVM RVFVM NERVILIANVM. Verum Auctores isti Suillium nostrum cum Nerviliano Publii filio confundunt, qui floruit regnante Vespasiano, uti tradunt Historici.

123.

D M
M. VLPIO. AVG. LIB
MENOPHILO. ADIVTORI
PROC. ABORNAMENTIS
VIXIT. ANN. XXXV. MENS. V.
POSVERVNT
P.AELIVS.AVG.LIB.MENOPHILVS
PATER.ET.CAMINIA.FORTVNATA
MATER.INFELICISSIMA.ET.IVLIA
PASSERILLA.CONIVX.PIENTISSIMA.EX.DECRETV *sic*
SOCIORVM.ANNIO.VERO.III.ET.EGGIO.AMBIBVLO CoS

Hunc circa Consulatum diu decertarunt in Chronologia facile principes, Panvinius, Petavius, Norisius, Almelovenius, Ricciolius, Pagius, apud quos Ambibuli nomen diversimode corruptum invenies: nam modo *Ambigulus*, modo *Ambigolus*, aut *Ambibolus*, modo tandem *Ambiguus Bibulus* ab iis vocatur. Attamen circa annum Veri III. & Ambibuli consulatus inter se convenisse, ex eorum lucubrationibus conjicitur (scilicet C. 126.) præter Petavium, & Ricciolium, qui hoc anno Consules pro arbitrio crearunt M. *Lollium Pædium Verum*, & Q. *Junium Lepidum*, cui insuper Petavius *Bibuli* cognomen affinxit. Quod autem Ambibuli prænomen, vel nomen EGGII attinet, Norisium ceterosque latuisse existimo; nullam enim de hoc apud eos mentionem reperio, quod tamen ab isto Saxo (nondum ut puto Norisio superstite invento) liquido declaratur. Porro binæ exstant Gruterianæ inscriptiones, in quibus *Ambibulus*, L. VARIVS nominatur: verum an iste Consulares fasces unquam obtinuerit, mihi prorsus ignotum. Transeo ad Annium Verum, circa quem nulla superest ambiguitas: nam licet istius prænomen in Saxo desideretur, M. *Annium Verum* fuisse vocatum testantur Historici, qui eumdem M. Aurelii Imperatoris avum dicunt. Hujusce ac *tertiò* Consulis sermo est in antiquo Gruteri lapide p.637. ubi *Ursus* quidam *Togatus*, *qui primus vitrea pila lusit* &c. hæc profert.

NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TER CONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SAEPIVS
CVIVS LIBENTER DICOR EXORDIARIVS

His

His ergo Consulibus M. *Ulpio Menophilo* parentes P. Ælius, & Caminia Fortunata, ac Julia Passerilla coniux, urnam posuerunt. Is heic *Adjutor Procuratoris ab Ornamentis* dicitur, qui scilicet ei inserviebat, a quo Augustorum supellectiles custodiebantur. T.Fl. Parthenopeum Eunuchum, Augusti *ab ornamentis* nominat Epitaphium, olim in ædibus Julii Porcarii, nunc vero in ambulacro Palatii Vaticani collocatum.

T . FL . AVG . LIB
PARTHENOPEI
POPPEIANI . EVNVCHI
AB ORNAMENTIS
VIX . ANN . LXXXV

Servos autem *ab Ornamentis* dictos, diversos ab iis fuisse, qui *Ornatores Augustorum* vocabantur, non dubito: isti enim quicquid ad familiæ Augustæ ornamentum, vestimentorumque cultum requirebatur, conficiebant. Porro Ornatores habuisse Augustos liquet ex Saxis, quæ in meo *de Ornatricibus* opusculo retuli *pag.5.* quorum unum sic.

DIONANTHVS . TI . CAESARIS
ORNATOR . GLABR . VIXIT . ANN . XXV

Fuerunt & *Vestispici*, & *Vestiarii*, de quibus non est hic sermocinandi locus. Addam tantum alterum eodem M.Ulpii nomine, atque servum A VESTE PRIVATA AVGVSTI, laudari in pulcherrima illa Inscriptione quæ parieti affixa visitur juxta ecclesiam Divæ MARIAE vulgò *della Quercia*. Hanc, quamvis in eodem loco repetitam, a prætereuntibus assidue permінctam, atque immunditiis quotidie fœdatam, mihi, in Museum Capitolinum transferendam, rudis ad modum & verveceus ædium Herus denegavit: Eam, a nemine diligenter exscriptam, heic mendis depurgatam Lectoribus trado.

DIS MANIBVS
COELIAE DYNATAE
M . VLPIVS . AVG . LIB
VALENS A VESTE
PRIVATA . CONIVGI KARISS
SANCTISSIMAE CVM
QVA VIXIT SINE CRIMINE
ET SIBI ET SVIS LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERIS
QVE EORVM

AVG. Nempe Hadriani, qui hoc anno C.126. imperabat.

124.

:::::::::::::::::::::::::::::::::::::::
∴ARGAEVS . LIB . EIVS . CVR . SVA
∴IETIS . CAES . N . SERVI . VILICI
∴HECA . IMPENSA . SVA . FECIT . DEDICA
∴KOCT . VERO . III . ET . AMBIBVLO . COS

Via Labicana in vinea vulgo *del Castratino*, ad arcus Aquæ Claudiæ, inscriptionem repertam esse tradit Norisius, qui eam minus mutilam vidit, retulitque in *Ep. Conf.* pag. 79. hoc pacto, scilicet pro ut in Schedis egregii Viri Raph. Fabretti:

:::VM . ET . POPVLI . EIVSDEM . COLLEGI
::::::S . ARGAEVS . LIB . EIVS . CVR . SVA
:::HETIS . CAES . N . SERVI . VILICI
:::THECA . IMPENSA . SVA . FECIT . DEDICA
::::V . K . OCT . VERO . III . ET AMBIBVLO . COS

Saxi possessorem fuisse olim Raph. Fabrettum perspicuè colligitur ex quadam postilla marginali, quam idem Vir clarissimus in ipso Norisianæ Epistolæ exemplari ad eum spectante (nunc mei juris) exaravit. Ubi enim (h. e. p.79.) Norisius locum indicat, quo effossus est Lapis, Fabrettus manu propria scripsit *modo apud me*. De Veri III. & Ambibuli consulatu nuperrime egimus. Idacius, VERO III. & *Ambigulo*.

125.

P. COELIO APOLLINARE COS
::::R C. A. DCCCCXXII
Q. CLODIVS. MARCELLINV
COOPTATVS
FABIO. CILONE. II. FLABIO LIBONE.·.·
P. R. C. ANN. DCCCCL·.·.·
M. VALERIVS. PAETVS. AQVI·.·.
COOPTATVS
C. IVLIO. ASPRO. II. C. IVLIO AS·.·
P. R. C. ANN. DCCCCLI·.·.·.·
IIVLIVS FAVSTINIANVS
COOPTATVS.·.·.
.·.·.·.·.·.AVG. III. ET COMA
DCCCCLXX
·.·.·.ANVS.·.·

Celeberrima, ceterisque in Museo Capitolino adservatis pretiosior Inscriptio hæc est, Eruditis omnibus, præsertim Chronologis utilissima, in qua annorum series sumitur ab anno *Vrbis conditæ*, uti siglæ (quarum prima in effracto Marmore desideratur) P. R. C. A. DCCCCXXII. hoc est *Post Romam Conditam anno* 922. æræ Christianæ 169. perspicue indicant. Hoc igitur anno Consulatum gerebat *Publius* (non *Quintus* uti apud Petavium) *Cælius Apollinaris*, cum Q. *Sosio Prisco*, juxta Panvinii, Norisii, atque Almelovenii sententiam. Ad hunc Cœlium Apollinarem sequentem pertinere Inscriptionem censuit Panvinius in Fastis p. 346.

Q. COELIO. APOLLINARI
FANATICO. DE. AEDE
BELLONAE. PVLVIN
CVIVS. MERITO. HASTA. IN
AEDE. BELLONAE. IN
LVCO. DEDICATA. EST. PRIMA
TYCHE. CONIVGI. SVO
B. M. F

At primo, Cœlium hunc nostrum *Publii* prænomen habuisse, non *Quinti*, jam diximus. Secundo, quis unquam sibi persuasum habebit (nisi gravissimorum Scriptorum auctoritate permotus) Fanatico, Bellonæ Sacerdoti, Romanos insignem nobilissimamque Consulatus dignitatem tradidisse, aut Virum Consularem Fanaticorum collegio adscribi voluisse? Compertum enim est Fanaticos seu Bellonarios, sic fuisse vocatos, quod furentes obscæneque gesticulantes baccharentur, atque vaticinarentur, quodque etiam cultris se ipsos cruentarent, ut iratam, sanguine suo, placarent Deam; quæ omnia nimis Consule indigna forent.

COOPTATVS. In collegium (puta) Fratrum Arvalium.

FABIO CILONE II. Emendandus quippe est Muratorius, qui hunc T. AELIVM appellat, licet ei *nuntiatum esset in Marmore legi revera* FABIO CILONE, uti ipse asserit p. 350. In prænomine vero discordant Auctores: a quibusdam enim *Lucius*, ab aliis *Marcus* dicitur. *Cilo* autem noster in hoc Lapide prænomine caret; sed cum Muratorio *Lucium Fabium Cilonem* præscribendum opinor, & cum Corsinio L. Fabium Septimium sive Septimianum Cilonem. Porro eumdem esse qui semel, & iterum Urbanam obtinuit Præfecturam autumo; attento potissimum sequenti Gruteriano Lapide p. 406.

L. FA-

L . FABIO . M . F . GAL
SEPTIMINO CILONI
PRAEF . VRB . C . V . COS . II

Id confirmant Dio, atque Spartianus, ex quorum narratione Cilonem nostrum Pertinacis occisi cadaver, jussu Commodi, clam noctu humasse discimus. Hunc insuper Caracalla educatorem habuit, quem ingratus Imperator vita privare voluit; tumultu vero populari servatum, laudati tradunt Historici. Honorificentissima extat apud eumdem Gruterum Græca inscriptio, in qua clarissimus Vir iste Ancyræ Patronus dicitur

Λ · ΦΑΒΙΟΝ
ΧΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ
ΥΠΑΤΟΝ ΤΟ Β
Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΗΣ
ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ

Lucium Fabium Cilonem Clarissimum Præfectum Romæ, Consulem secundo Metropolis Galatæ, Ancyra Patronum suum honorat. Insignem denique Cilonis domum in Regione Piscinæ publicæ (nunc *in Piscivola*) h. e. duodecima collocat Pancirolus *in Descript. Urbis*. Istos ergo Consules fuisse anno 957. *post Romam* conditam, C. 204. idem Marmor (in cujus fractura addendum VII) aperte testatur: ideoque removendi sunt ab hujusce anni laterculo Consules a Damaso in vita Victoris Papæ, a Fastis Græcis, a Cassiodoro, atque a Cuspiniani codice enunciati, scilicet Lateranus, & Rufinus; subrogandique Fabius Cilo II, & Flabius (*Flavius*) Libo, perperam ab Almelovenio, & a Petavio M. *Annius* vocatus, nostrum cum M. *Annio* Libone (quem Capitolinus commendat) Antonini Philosophi patruo, confundentibus.

C . IVLIO . ASPRO . II . C.IVLIO . AS:::: Licet nona Marmoris lineola sit temporis injuria semiexesa, ex Fastis tamen conjicitur in ea sculptum fuisse Ann. DCCCCLXV. qui fuit Christi 212. Conjicitur id, inquam, ex Fastis, in quibus Consules dicti anni signantur duo Aspri, uterque nomine Julius, ac Cn. Julii Aspri filius; sed alter, ut Pater, *Cneus*; alter vero *Cajus* prænominatus. Apud Henricum Valesium (in *excerptis Dionis* p. 743.) *Asper* ille, in quem Caracallam eximios honores congessisse fertur, Julianus appellatur: sed Norisius *in Epoch. Syromaced.* Diss. III. *Julium* scribendum esse contendit. Ego vero nihil in Dionis textu cum doctissimo Corsinio *de Præf. Urb.* p. 112. mutandum censeo, verumque unius ex *Aspris* nomen fuisse Cn. Julium Julianum, uti deduci posse videtur ex alio Lapide Muratorii prope Monasterium *Cryptæferratæ* eruto, in quo

:::::IVLIAE . IVLIANAE
SORORI . ASPRI

Si ergo soror *Julia Juliana*, quare non & Frater (id potissimum gravissimo testante Historico) *Julius Julianus*? Attamen Muratorius primum horum Consulum nec *Julium*, nec *Julianum*, sed *Junium* pro arbitrio, in suo ejusdem Marmoris exemplari, appellavit. Miror quippe cl. virum, in nota, hæc confidentissime adfirmasse; nempe, *advertendum etiam velim primum è Consulibus ann. Chr. 212. appellari heic* (h. e. in Saxo Capitolino) C. IVNIVM. At in saxo certissime legitur

C.IVLIO.ASPRO.II.C.IVLIO.AS::::

Muratorius insuper in Lapide signavit DCCCCLX; in margine vero hæc; *nempe ann. Chr.* 212, quod falsum est; nam primo, in Saxo extat DCCCCLI.·.·.· Secundo, annus V. C. 960, annus erat æræ Christianæ 207. Notandi demum Panvinius, Petavius, & Almelovenius, qui *Aspros* istos denominavere, alterum scilicet M. POMPEIVM, alterum PVBLIVM. Panvinius tamen atque Petavius excusandi, quod eorum ætate Lapis Capitolinus nondum in lucem prodiisset: at Almelovenius nonne præ oculis Norisianas, quas laudat, Dissertationes habebat, in quibus, (non semel) *Julii* denominantur? Ceterum, unum ex his Fratribus Viæ Appiæ curatorem fuisse testatur vetus Inscriptio effossa anno 1687. via Latina, undecimo ab Urbe lapide.

C.IV-

C . IVLIO ASPRO
COS . PRAETORI
CVRATORI . VIAE
APPIAE . SODALI
AVGVSTALI . TRIB
PL . PR . QVAESTORI
PROV . AFRICAE . CV
RATORI . AEDIVM . SACR
SEX . VMIDIVS
ARTHEMIDORVS
AMICO
INCOMPARABILI

Huic altera addenda eſt Inſcriptio, ex qua primum iſtorum Conſulum Urbanam Præfecturam quoque adminiſtraſse colligitur

ASPER
BIS CONSVL
PRAEFECTVS
VRBI

Lapis erutus eſt eodem loco, in quo ille *Juliæ Julianæ*. Hoc tandem anno, *Geta*, teſte Dione, a fratre Antonino occiſus eſt, atque in Septizonio ſepultus.

AVG . III . ET . COMA:::: Nimirum M. *Aurelio Antonino Elagabalo*. AVGVSTO.III. & M. *Aurelio Eutichiano* COMAZONTE (quondam Elagabali liberto) II.*Coss.* poſt Romam conditam ann. DCCCCLXXIII. nam pro certo habeo in Marmore tres excidiſſe unitates, quibus annus componebatur 973. Ch. 220. quo ineunte M. Aur. Antoninus Elagabalus Aug. III. & Comazon conſulatum ſuſceperunt, uti unanimiter a Faſtorum Collectoribus aſſeritur. Quod attinet ad Comazontem, colligitur ex Dionis lib. 79. cap. 4. hunc, præter Conſulatum, Urbanam quoque Præfecturam adminiſtraſſe non ſemel tantum, ſed & iterum, & tertio; atque primum L. Mario Maximo, deinde vero Leoni, moxque Fulvio Urbis Præfectis ſucceſſiſſe. Itaque in ſuperiori Dionis loco non ὑπάτευσεν *Conſul fuit*, ſed ἐπολιάρχησεν *Præfectus urbis fuit* reſcribi debet; ſive potius ὑπάτευσεν, ἢ ὑπολιάρχησεν h. e. *Conſul*, & *urbis Præfectus fuit*, uti Reimarus, ab Eduardo Corſinio laudatus, obſervavit. Conſulum autem ſeriem ab hoc inſigni Saxo indicatam, hic compendioſe ordinatam accipe.

APOLLINARIS, & PRISCVS *coss.* ann. P.R.C. 922. Chr. 169. Imperii M. Aurelii ann. IX. quo Verus Imperator moritur.

CILO & LIBO *coss.* ann. P.R.C. 957. Chr. 204. imperii Sept. Severi ann. XII.

ASPRI fratres *coss.* ann. P.R.C. 965. Chr. 212. imperii Caracallæ ab obitu Severi patris ann. II. quo Geta in ſinu Matris interficitur.

Elagabalus AVG. III. & COMAZON *coss.* ann. P.RC. 973. Chr. 220. ejuſdem Elagabali imperii anno III.

In poſtrema Autographi Muſei Capitolini linea legitur ::::::::ANVS; *Cooptati* Viri, ut puto, nominis fragmentum, a cl. Muratorio (cui *renuntiatum non fuerat*) in ſuo *Theſauro*, pag. ut ſupra 350., omiſſum.

Ceterum, falſum omnino eſt, quod aſſerunt nonnulli, iſtum ſcilicet unicum eſſe Lapidem, in quo anni conditæ Urbis ſignati reperiantur. Inſignem enim Gruterus p. 300. retulit Inſcriptionem, in qua perſpicue legimus eaſdem ſiglas P.R.C.

P. R. C. ANN. DCCCIIII.
. . . . . . DCCCXXI.
. . . . . . DCCCXLIIII.
. . . . . . DCCCLXVII.
. . . . . . DCCCCVI.
. . . . . . DCCCCXIII.
. . . . . . DCCCCXXII.
. . . . . . DCCCCLIIII.
. . . . . . DCCCCLXII.
. . . . . . DCCCCLXXXVI.

Demum, cum ſuam (in qua ejuſdem P.Cœlii Apollinaris eſt mentio, & anni pariter P. R. C. ſignati notantur) Gruterus repertam dicat *in nova æde S.Petri in Vaticano*, ibidem & noſtram inventam fuiſſe conjicio.

M.AQVI-

126.

M . AQVILIO . M . I
FABIA . FELICI
ACENSVS · EQVIT · ROMAN
PRAEF · CL · PR · RAVENNAT
PROC · PATRIM · BIS · PROC · HERED
PATRIM · PRIVAT · PROC · OPER · PVB
PRAEP. VEXILLAT · P · P · LEG · XI · CL ·
FR · PATRON · COL · OB MER · EIVS
ANTIAT · PVBL

Sic, omnibus expreſsis verborum elementis, lego'.

M. Aquilio. Marci. Filio
Fabia. Felici
Acenſus. Equitum. Romanorum
Præfecto. Claſſis. Prætoriæ. Ravennatis
Procuratori. Patrimonii. Bis
Procuratori. Hereditatum
Patrimonii. Privati. Procuratori
Operum. Publicorum
Præpoſito. Vexillationibus
Præpoſito. Legioni. Undecimæ
Claudiæ. Fretenſi. Patrono
Coloniæ. Ob. Merita. Ejus
Antiates. Publice

Tabulam hanc quam Antiatinam vocant, illuſtravit Philippus a Turre in Opuſculo, cui titulus *Monumenta veteris Antii*: eo duce, Inſcriptionis ſententiam elucidare pariter aggrediar; quæque Vir doctiſsimus fuſe nimis præter neceſsitatem exaravit, hic omiſsis nonnullis, pauciſque ad rem facientibus adjectis, compendioſe dabo. Itaque nec merus Turræorum ſcriniorum expilator evadam, nec me quiſquam aliena ex arbore fructus immodice legiſse accuſabit.

M. AQVILIO. Præclariſsimum iſtud apud Romanos nomen modo unica, modo duplici litera L. ſcriptum reperio. AQVILLIVS apud Gudium, & Patinum, atque in Numis ab iſto editis. AQVILIVS apud Reineſium, noſtrumque Saxum. AQVILLIVS tandem, & AQVILIVS in Gruterianis, Muratorianis, & Gorianis. De Aquilia gente, quæ familias habuit Patricias, & plebejas, diverſis tamen cognomentis diſtinctas, mentionem fecere ex priſcis Florus, Livius, Cicero, Tacitus, Plinius, Spartianus, Nummi, & Lapides, & ex recentioribus Patinus, Sigonius, Auguſtinus, Morellius, apud quos AQVILIVS *Regulus-Orfitus-Gallus-Juſtus-Florus-Corvus*, & *Julia* Aquilia *Severa* Elagabali Antonini uxor. Aquiliorum vero prænomina *Marcus-Manius-Julius-Cajus-Lucius*. Quo ævo iſte floruerit, adhuc ſub judice: certe ſub Imperatoribus, nam dignitates in Saxo deſcriptæ, omnes fere poſt Auguſtum inſtitutæ ſunt. Inſcriptionis quippe characteres affabre ſcalpti, Auguſti ſeculum, cultiſsimamque ætatem indicant. Verum, cum Aquilius noſter *Procurator* dicatur *patrimonii privati*, cenſendum eſt vixiſse imperante Severo. Privati enim patrimonii procurationem a Septimio Severo conſtitutam Spartianus (cui immerito, nimiaque aſperitate contradicit Salmaſius) his monet verbis: *tuncque* PRIMVM *privatarum rerum procuratio conſtituta eſt*. Vide Bulengerum de I. R. lib. III. Pancirolum in *Notitia*, alioſque.

FABIA. *Tribus Fabia*, ex ruſticis una, cui illuſtre fecit nomen gens Fabia. Nominatur a Svetonio *in Auguſto* cap. 40. *Multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis, & Scaptienſibus tribulibus ſuis, die comitiorum ſingula millia Nummûm dividebat*. Horatius *Epiſt*. lib. I.

—— *hic multum in Fabia valet; ille Velina*,

ACENSVS EQVIT. ROM. Locutio grammaticalis dativum poſcebat, h. e. *Aquilio* M. F. *Felici Acenſo*; ortographia vero geminatam literam C. ſcilicet *Accenſo*. Utrumque Quadratarii mendum dici nequit; nam quamvis ſculptores paſsim voces corruptiſsime in Lapidibus efformaverint, a noſtro eam ſuſpicionem amovendam aſserit Turræus, cum *publico decreto*, in Colonia Urbi proxima, & *ſub oculis Curatorum*, a Magiſtratu delectorum fuerit conſcriptus. Verum Antii proximitas Romæ, Magiſtratuumque, ad hoc lapideum curandum veluti pſephiſma, delectus, leve argumentum, leviſque nimis mihi videtur Marmorariorum ſcriptorum diligentiæ præſumptio, potiſsimum cum Marmora, in ipſa Urbe ſculpta, curantibus ſimiliter Magiſtratibus, mendis tamen ſcatentia, quamplurima inveniantur. *Scribtura*, *ſcribſi* pro SCRIPTVRA, & SCRIPSI. *Pidatura* pro PEDATVRA. *Inſerit* pro INIERIT. *Zamamæ* pro ZAMAE. *Piacere* pro PLACERE. *Picini* pro PICENI. *Judæci* pro IVDAICI. *Partinere*, *Salutem ſuam*, *Aput*, *Patrie*, *Noſtre*, *Potet* pro PERTINERE, SALVTE SVA, APVD, PATRIAE, NOSTRAE, POTEST &c. Hæc omnia hiſque ſimilia immo graviora, quæ brevitatis gratia omittuntur, errata, in Saxis recenſui, licet Romæ, licet modo PRAECEPTO PRINCIPVM, modo IMPERATORIS AVCTORITATE, modo a FORONOVANORVM MAGISTRATIBVS, modo demum a LEGATIS EPHESIORVM poſitis: immo ipſius Curatoris cognomen depravatum videmus in lapide, Romæ dicato, TRAIANI AVCTORITATE, atque *Curante* A. *Pletorio Calpurniano*, in quo CALPHVRN pro CALPVRN. *Acenſus* igitur pro *Accenſo* exaratum ab Antiate illo ſculptore fuiſſe non mihi profecto incredibile. Inſuper Turræus ipſe (uti mox dicemus) opinatur, a Quadratario, ACENSVS poſitum, pro A CENSIBVS: ſi ergo errare potuit binas omittendo litteras, nonne errare pariter potuit nominativum ſcribendo pro dativo? Cæterum *Accenſorum* munus erat Populum ad concionem vocare tum in Foro, tum in Caſtris, immo in Templis: hi populum ad ſacrificium ciebant, horam deſignabant, ſilentium indicebant. Attamen Aquilium noſtrum inter Accenſos militares recenſendum autumo. Munus iſtud, dicet aliquis, vulgare fuit, ideoque nobiliſſimum Virum, tot dignitatibus decoratum minime decebat. Sed animadvertendum officia, dignitateſque in Marmore enunciatas non eodem fuiſſe tempore ab Aquilio acquiſitas, ſed gradatim; ita ut opinari liceat primo inter Accenſos equeſtris militiæ locum obtinuiſſe, dein Claſſis Ravenn. præfecturam, poſtmodum Patrimonii procurationem &c. Sunt qui τὸ *Accenſum*, nomen adjectivum, ſeu participans faciant eo ſenſu, ut dici debeat Aquilium *Accenſum* h e. *Accenſitum*, ſeu *Adſcriptum* fuiſſe Romanis Equitibus. Aquilius igitur (juxta horum ſententiam) fuit inter Romanos Equites ſupernumerarius. At Turræus attentis abbreviaturis, quibus veteres Inſcriptiones ſcatere aſſerit, ACENSVS vertit in A CENSIBVS, concluditque Aquilium hunc A CENSIBVS EQVITVM ROMANORVM fuiſſe, ipſis videlicet cenſendis Equitibus Præfectum. Inſcriptio extat profecto apud Gruterum pag. 599. ubi quidam Zoſimianus A CENSIBVS dictus eſt, ſingulis tamen expreſſis iſtud indicantibus Officium elementis: quapropter neſciò an magis Turræo, in voce ACENSVS abbreviaturam (ad ſuam comprobandam ſententiam) imaginari, quam mihi mendum in eadem voce Quadratario adſcribere liceat. De Accenſis rurſus in notis ad Statilii Apri epitaphium inferius *Cap.* V.

PRAEF. CL. PR. RAVENNAT. Romanorum Claſſes plures nominantur ab Hiſtoricis, nempe Veneta, Danubii, Britannica, Comenſis, Rhodani, Ararica, Riparienſis, ſeu Ripenſis; has primo toto diſperſas Imperio, *Miſeni*, & *Ravennæ*, inquit Svetonius, *ad tutelam ſuperi*, & *inferi maris Auguſtus collocavit*. Tacitus *Annal.* lib. IV. *Italiam utroque mari duæ claſſes*, *Miſenum apud*, & *Ravennam* .... *præſidebant*. Miſenatium claſſis Gallias, Hiſpaniam, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo: Claſſis autem Ravennatium Epiron, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, & Cyprum petere directa navigatione conſueverat; adi Ve-

Vegetium *de R.M.* lib.v. Hujuſce igitur claſſis Prætoriæ Ravennæ ab Auguſto collocatæ Præfecturam gerebat Aquilius.

Portum Ravennatem (in quo Pharus) celebrant Auctores nonnulli. Procopius tamen *rer. Gothic.* lib. I. ſic ſcribit. *Eſt Ravenna* (verſio Meltreti) *plano in campo poſita, ad extremum ſinum Jonium, a quo ſtadiis duobus diſtat: neque enim maritima eſt, nec videtur adiri claſſibus facile poſſe, imo nec pedeſtribus copiis... Pedeſtrem vero excludunt aquæ Padi aliorumque fluviorum navigabilium, & lacuum, urbem illam undique ambientium.* Claudianus de VI. Honor. Conſulatu

Dixit, & antiquæ muros egreſſa Ravennæ
Signa movet; jamque ora Padi, portuſque relinquit
Fulmineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æſtuat, & pronas puppes nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte vehit; nudataque littora fluctu
Deſerit, Oceani lunaribus æmula damnis.

Ita Jornandes, *Ravenna urbs inter paludes, interque Padi fluenta, uni tantum patet acceſſui.* Audiendus demum Sidonius Apollinaris lib. I. in jocoſa illa ad Candidianum epiſtola VIII. *Ita tamen*, ait, *quod te Ravennæ felicius exulantem, auribus Padano culice perfoſſis, municipalium ranarum loquax turba circumſilit; in qua palude indeſinenter rerum omnium lege perverſa, muri cadunt, aquæ ſtant, turres fluunt, naves ſedent, ægri deambulant, medici jacent, algent balnea, domicilia conflagrant, ſitiunt vivi, natant ſepulti, vigilant fures, dormiunt poteſtates, fœnerantur clerici, Syri pſallunt, negotiatores militant, milites negotiantur, ſtudent pilæ ſenes, aleæ juvenes, armis Eunuchi, literis fœderati. Tu vide qualis ſit Civitas; ubi tibi Lar familiaris incolitur, quæ facilius territorium potuit habere quam terram.* Horum tamen ſcriptorum ævo plurimum ab antiqua amplitudine defeciſſe portum recte cenſet Turræus. Claſſis hæc Romanorum Ravennæ collocata, nomen fecit oppido Æmiliæ, quod hodie *Claſſe* nuncupatur, celebre S. Romualdi domicilium, ubi nunc ſupereſt tantum Cœnobium Camaldulenſium, templumque S. Apollinari dicatum.

PROCVRATORI PATRIMONII BIS &c. De hoc adverbio BIS prolixe diſſerit Turræus, diſcrimenque inter adverbia BIS, & ITERVM oſtendit: brevioribus ego me expediam verbis. Nemo neſcit τὸ BIS *duas vices*; ITERVM vero idem ſignificare ac *denuo*, ſeu *rurſus*; ideoque falſo a Fabretto doceri Veteres ITERVM conſules dixiſſe, nunquam BIS. Cicero ipſe, recte locutionis præceptor in lib. de Amic. *Vidimus* inquit *Papum* (ſeu Paullum) *Æmilium* C. *Luſcino familiarem fuiſſe* BIS *conſulem*: de Flaminio *in Quæſt. Accad.* BIS *Conſul factus eſt.* Svetonius in Nerone *Meſſalinam Tauri* BIS *conſulis abneptem*: ita de Claudio, *Equeſtris ordo* BIS *Patronum elegit.* In lapidibus Gruterianis C. *Octavius*.. BIS *Ædilis*; L. *Betilienus* BIS *Cenſor*. In Inſcriptione tandem Capitolina ſuperius relata C. *Julium* habemus *Magiſtrum* SEMEL. Q. *Nonium magiſtrum* BIS, & L. *Sellium magiſtrum* TER. Aquilius ergo noſter ſemel, & iterum Patrimonium Cæſaris adminiſtravit, dein vero *Procurationi hereditatis patrimonii privati* admotus eſt.

PROC. OPER. PVB. *Procurator Operum publicorum*, ſub quorum nomine intelliguntur Aquæductus, Viæ Conſulares, Templa, Thermæ, fluminum Alvei, Statuæ ſignaque erigenda, Balnea, Porticus &c. Horum Operum curam clariſſimis Viris impoſitam teſtantur Lapides, & Hiſtorici. *Aulus Vitellius* qui poſtea Imperator; *Flavius Sabinus* Veſpaſiani frater, uti quidam aſſerunt; P. *Metilius* ſub Hadriano, C. *Popilius Carus Pædo* ſub Antonino; T. *Arrius Baſſianus* C. V. ſub Septimio Severo; M. *Sulpitius Lepidus*, Cn. *Octavius Celſus*, omnes equeſtris ordinis, genere, & gradu commendati Cives, operum publicorum Curatores fuere; ita Veſpaſianus initio Imperii curam reſtituendi Capitolii in L. *Veſtinum* nobiliſſimum Virum contulit.

PRAEP. VEXILLAT. Duplicis generis fuiſſe in Romanorum militia Vexillarios, monet Lipſius ad Tacit. *Hiſt. lib. 2.* cap. 10. nempe è Veteranis aliquos; aliquos ex Legionibus, quique ſub Vexillo in Provincias mittebantur. Has, aperte, *nugas* appellat Salmaſius *in comm.* ad Vopiſcum in vita Probi, Vexil-

xillariosque dicit eos, quos *Triarios* Veteres vocabant. nullam absque hoc Veteranorum vexillo fuisse Legionem docet Livius. At idem Salmasius in posthumo *de* R.M. opusculo *cap.* 19. longe diversam sententiam sequutus est. Eos enim apud Tacitum *Vexillarios* legionum esse ait, qui in antiquiori militia *Velites*, postea sub Cæsare *Antesignani*: opinio hæc verior videtur ipsi Turræo. Primum Vexillationes pedestris militiæ fuere: dein equestris: unde *in Notitia* Vexillationes enumerantur quinque, Palatinæ Comitatenses septem, militia equestri constantes. Apud Reinesium p. 513. Sex. Attius Senecio dicitur *in expeditione Judaica* AD VEXILLA, quod *Præposito Vexillationum* respondere censeo. De Vexillis in Inscript. Trajani Cap. II. num. 83.

P. P. LEG. XI. CL. FR. *Pro-Præfecto* (uti legit Muratorius qui Inscriptionem hanc, lineis vero arbitrarié dispositis, edidit p. 1100) vel *Præposito* legionis XI. Claudiæ Fretensis. *Claudiam* Legionem undecimam fuisse ex hoc Marmore liquet, quo emendari possunt Lazii commentaria, ubi septima dicitur, & Reinesianus lapis pag. 521. ubi *Fretensis* duodecima notatur

L. MAGIO. L. F. CAMPANO
ALIGERO. XII. LEGIONIS. FRETENSIS

Fretensis dicta est apud Lipsium, vel quia *Freto assita*, vel *a Freto aliquo, unde extructa est*: idem suspicantur Pancirolus in *Not. Imp.* & Turnebus *Adverf.* lib. 18. Turræus noster de Freto Gaditano agi credidit. Verum, posteriori ætate ab Ammiano lib. 18. ab ejusdem *Not. Imp.* auctore, & in quadam Inscriptione a Reinesio indicata, Legio ista non *Fretensis*, sed FORTENSIS appellata est; quare laudatorum Virorum etimologiam respuere, vel saltem haud certam declarare cogimur.

PATRON. COL. *Patrono Coloniæ* Antiatum. Ex ipsa Inscriptione patet Antiates Statuam Aquilio Patrono ob ejus merita publice collocasse. Civitates, & Populi sibi Patronos apud Principem eligere consueverunt, quod antiquissimum est. Ita in clientela Antoniorum fuisse *Bononienses* prodit Svetonius: *Puteolanos* in Cassiorum, tradit Cicero. M. Barbum Patronum Coloniæ *Prænestinorum*, & C. Julium Vestrum Coloniæ *Piæ Gabiniæ* laudant Merula, & Ligorius; *Forojuliensium* L. Marium Maximum, *Venetorum* vero Petronium Probum, inscriptiones nostræ Capitolinæ. Antiquus hic Coloniarum, Populorumque Patronatus adhuc viget apud S.R.E. Cardinales, quorum plerique diversarum Civitatum, & Oppidorum Status Ecclesiastici nec non Religiosorum Ordinum Patronatum suscipiunt.

ANTIATES. Antium ad Tyrrhenum mare situm, Neronis atque Caligulæ ortu, Poppeæ puerperio, Domitiani, atque Hadriani in deliciis vacatione, sortilegæ Fortunæ templo, Veneris virilis, & armatæ ædibus, Ulyssis, & Antiæ sacrificiis, insigne æque ac infame fuisse colligitur potissimum ex Corradino, & Vulpio, qui fusè de Antiatibus scripsere. Nos Portus Antiatum ectypon superius exhibuimus. Volscorum sane Urbs fuit teste Dionysio lib. 8. quæ exinde sub Tarquinio Superbo in commune veteris Latii nomen concesserat; diutissimis bellis pro libertate confectis tandem in Romanorum potestatem devenit, Civiumque Coloniam semel iterumque recepit: hodie *Porto d' Anzo*.

L. MA-

127.

L. MARIO MAXIMO
PERPETVO AVRELIANO
C. V. PRAEF. VRBIS
PROCONSVLI PROVINC
ASIAE . ITERVM
PROCONSVLI . PROVINC
AFRICAE
M. IVLIVS - CVRIALIS
MATERNVS . EX . CIVITAT
FORO . IVLIENS . IAM 7
PATRONO OPTIMO

L. MARIO. Lucius Marius Maximus Perpetuus Aurelianus, Urbis Præfecturam geſſit primis Severi temporibus, anno ſcilicet a C. N. (juxta cl. Eduardi Corſinii ſupputationem) 200. Hunc Præſidem Germaniæ inferioris, Sacerdotem Fecialem, Legatum Auguſtorum, Pro Prætorem Syriæ, Germaniæ, Belgii, Exercitus Myſiaci Ducem, primæ Legionis Italicæ Legatum, Curatorem Viæ Latinæ, item Reip. Faventinorum, Allectum in Prætorios, Tribunum Plebis, Quæſtorem Urbanum, Tribunum laticlavum, nominant antiqua marmora apud laudatum Corſinium, in ſerie Præfectorum Urbis; Quibus, dignitas Proconſulis Aſiæ, & Africæ addenda eſt, ex noſtri Muſei Lapide.

C. V. *Clariſſimo viro*. Clariſſimi titulum frequenter non legimus niſi poſt Alexandrum Severum: antiquiſſimum tamen fuiſſe probarunt Pancirolus *in Notitia* cap. 11. & Bulengerus *de* I. R. lib. 11. cap. 19., a quibus laudantur Caſſius Longinus, qui imperante Tiberio *claras perſonas* Senatorias uxores, & Filios vocavit; & Ælius Marcianus, qui ſub Antonino Pio Senatores *clariſſimos viros* appellavit. Verum tamen ab Alexandro Severo, ut innui, renovatum tradit his verbis Lampridius: *Præfectis prætorio ſuis Senatoriam addidit dignitatem, ut* Viri clariſſimi *& eſſent, & dicerentur, quod antea vel rarò fuerat, vel omnino non fuerat*. Ex ea ergo ætate *Clariſſimorum*, *Clariſſimatuſque* dignitatis mentio eſt tum in Saxis, tum penes Hiſtoricos.

PRAEF. VRBIS. Ampliſſimam Præfecti Urbis dignitatem inſtituit Romulus, reſtituit Auguſtus. Qui ea fungebatur, iiſdem utebatur inſignibus, quibus Prætorii Præfectus: creabatur, quoties Conſules, belli cauſſa, ab urbe diſcedebant, ne Reſpublica ſine Magiſtratu foret. Auguſtus, conſulente Mæcenate, Urbis Præfectum delegit, qui omnes civiles, & criminales cauſas in Urbe, & extra, intra D L. ſtadia, judicaret, & ad eum ex Provinciis appellaretur; quod poſtea, Teſte Dione lib. 25. emendatum fuit, & actum, ut a Regionibus dumtaxat, huic Magiſtratui ſubjectis, ad ipſum provocaretur. Primus Urbis Præfectus, Romulius Denter, ab ipſo Romulo creatus. Vid. Tacit. *Ann.* lib. v.

PROCONSVLI. *Proconſul* an *Pro-Conſule* legendum ſit, diſſident inter ſe Scriptores. Ego quidem Svetonio, Plinio, Gellio, atque Manutio aſſentior, qui unico verbo *Proconſul* & *Proprætor* ſcripſere. Proconſules ergo, antequam Cæſares rerum potirentur, ii erant qui vel e Conſulatu, vel prorogato imperio, vel e privatis extra ordinem in Provincias, ut iis præeſſent, mitti ſolebant. Nec obſtat quod Cæſar de B. G. lib. vi. ſcripſerit Cn. Pompejum *Proconſulem in Urbe fuiſſe*, quod extra ordinem factum, nempe Reipublicæ

caussa, ex eodem loco clare patet. In Regiones mittebantur ab Italia sejunctas, quæ Populi dominio subiiciebantur, ut Festus docet. Qui vero Cæsarum Provincias regebant, *Præsides* vocabantur, & aliquando *Procuratores*, ut pro Tiberio in Judæa infamis ille Pontius Pilatus. Quanta, qualisque fuerit Proconsulum potestas, & imperium, quodque inter imperium, & potestatem discrimen, habetur ex Joannis Rosini A. R. lib. VII., ubi istud præ cunctis accuratissime pertractavit argumentum. Insignia Proconsulis erant sex fasces, totidem secures, & toga purpurea, præferebatque Principum imagines, quemadmodum Præfectus Prætorii, & abacum alba mappa instratum, librum mandatorum sustinentem: denique cum ad Provinciam suam pergeret eum comitabantur Legati, Tribuni militum, Centuriones, Præfecti, Scribæ, Lictores duodecim, Haruspices, Medici, & Contubernales, quibus stipendia, vestes, vasa, vehicula, tabernacula dari, impensa publica moris erat.

EX CIVITATE. Quam M. Julius Curialis *Civitatem* appellat, *Oppidum* est apud Tacitum Ann. lib. IV. *Proximum Galliæ littus rostratæ naves præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in Oppidum Forojuliense miserat*, at hic Civitas sumitur pro incolarum cœtu.

FOROIVLIENSIVM. *Forum Julii*, cui nomen, Cæsar dedisse fertur. Nunc *Frejus* urbs maritima Galliæ Narbonensis, Nicæam inter, & Tolonem. *Forum Julii*, ait Plinius Lib. III. Cap. IV. *Octovanorum colonia, quæ Paccensis appellatur, & Classica.*

128.

Ad Basis dexteram

DEDICATA
VI. IDVS. AVG.
DD. NN ℌ
VALENTE. VI. ET
VALENTINIANO II
AVGG. CONS

NOBILITATIS CVLMINI
LITTERARVMETELOQVENTIAELVMINI
AVCTORITATISEXEMPLO
PROVISIONVMACDISPOSITIONVMMAGISTRO
HVMANITATISAVCTORI
MODERATIONISPATRONO
DEVOTIoNISANTISTITI
PETRONIO
PROBO* V.C* PROCONSVLI AFRICAE
PRAEFECTOPRAETORIO
PERILLYRICVMITALIAMETAFRICAM
CONSVLIORDINARIO
OBINSIGNIAERGASEREMEDIORVMGENERA
VENETIADQVEHISTRIPECVLIARES EIVS
PATRONO PRAESTANTISSIMO

NOBILITATIS CVLMINI. Ita in alia Capitolina (vide num. seq.) *Sexto Petronio Probo*. ANICIANAE. DOMVS. CVLMINI. & apud Grut. p. 450. Num. I. *Petronio Probo* TOTIVS. ADMIRATIONIS. VIRO. & in fine. CIVI. EXIMIAE. BONITATIS. DISERTISSIM. ATQVE. OMNIBVS. REBVS. ERVDITISSIM.

PROVISIONVM. *Magistro*. Provisionum Magister hic primum occurrit; addendus ideo cæteris Magistris domus Augustæ, a Bulengero, Pancirolo, Guthero, atque Calvino laudatis. PROVISIONES, inquit Ducangius, *apud Ammianum* lib. 17. *pro annonis necessariis ad victum*. *Provisio annonaria apud Pollionem*. Corippus lib. 3.

———— *gratisque dari provisa jubemus.*

DISPOSITIONVM. Magistro. *Dispositionum Referendario*, aut *Comiti*, qui etiam *Magister*, & *Promagister* dicebatur. *Frustra*, ait Gutherus, *Magistri nomen Dispositionum Comiti denegatur: ut frustra Proximum Scriniorum, mutato nomine, fuisse Scriniorum Principem asseritur; cum ubique Scriniorum Proximi, a Co-*

a Comitibus, *vel Magistris Dispositionum distinguantur*. Hi Scrinium dispositionum tractabant, supplicum desideria, aut judicum consultationes Principi insinuabant, & responsa data consulentibus mittebant. At confer Bulengerum de I. R. *lib.*4. *part.*2. p.459. 460.

PETRONIO PROBO. E gente Petronia, ex Sabinis oriunda, quam Aniciæ inserunt Reinesius, Baronius, & Lapides, Filium Probini Præfecti urbis A. C. 346.; nepotem vero Probiani Cos. A. C. 322. fuisse censeo. Hic, Patronus dicitur Venetorum, *atque* Histrorum; alias, *Præfectus Veronensium.*

ADQVE. *Atque*; utrumque in Lapidibus, sed prævaluit primum: in Bibliotheca Monast. D. Gregorii: AMANTISSIMAE ADQVE FIDEIIS QVAE &c.

OBINSIGNIA &c. *Ob insignia erga se remediorum genera*. Quis intelliget hæc, donec reviviscant ipsi Inscriptionis Auctores?

PECVLIARES. *Peculiares* servos monetæ, publicisque vectigalibus præposuisse Cæsarem, Svetonius tradit. At hic Venetos, atque Histros, pro veteri clientela Petronio Probo *peculiariter* addictos intelligo.

DEDICATA. VI. IDVS. AVG. Die 8. Augusti.

VALENTE &c. *Valente Aug.* VI. & *Valentiniano* (juniore) II. A. C. 378. Inscriptio effossa est in Hortis Pinciis PP. Minimorum anno 1742., extatque in Basi marmorea.

129.

SEXTO PETRONIO PROBO
ANICIANAE DOMVS
CVLMINI PROCONSVLI
AFRICAE PRAEFECTO
PRAETORI QVATER
ITALIAE ILLYRICI AFRI
CAE GALLIARVM CON
SVLI ORDINARIO CON
SVLVM PATRI ANICIVS
HERMOGENIANVS
OLYBRIVS V̄ C̄ CONSVL
ORDINARIVS ET ANI
CIA IVLIA . C̄ F̄. EIVS
DEVOTISSIMI FILII
DEDICARVNT

Ad eumdem Petronium Probum in superiori commendatum fortasse spectat Inscriptio hæc: easdem enim Dignitates & titulos hic habemus, quos in superiori, idemque nomen, & cognomen, nisi quod in illa *Sexti* prænomen tacetur: illam uti vidimus Clientes *Patrono*; istam vero Patri, *devotissimi Filii* posuerunt, sive *dedicarunt*.

CONSVLVM PATRI. Cognomen honoris, non dignitatis: sic alias PATREM SENATVS legimus.

ANICIVS HERMOGENIANVS OLYBRIVS. Ex aliis, ad hunc, ut puto, spectantibus Inscriptionibus, constat Anicium juniorem CLODII quoque nomen prætulisse: ita apud Donium in Inscript.

CLO-

CLODIO . HERMOGENIANO
OLYBRIO . V . C . FRATRI
ADMIRANDAE . PIETATIS
FALTONIVS PROBVS
ALYPIVS V. C

idem in lamina ærea apud Fabrettum cap.VII. & Maffejum p.311.

ANICIA IVLIANA C F. *Clarissima Fœmina*, quam *Tyranniam* vocatam reperio in sequenti apud Gruterum epigraphe

TYRANNIAE ANICIAE
IVLIANAE CF . CONIVGI
Q CLODII HERMOGENIANI
OLYBRI . V . C

Ex eadem perspicuum est *Aniciam* hanc nostram, quæ in Saxo Capitolino Sexti Petronii Probi sese Filiam dicit, revera non *Filiam*, sed *Nurum* fuisse; seseque *Filiam* ob affectum vocari, quod *Hermogeniani*, Petronii Probi filii, esset Uxor. Ceterum Aniciam gentem (quam Theodatus Gothorum Rex *toto Orbe prædicatam* dixit ap. Cassiodorum) præclarissimam fuisse atque nobilissimam unanimiter declarant tum Ethnici, tum Christiani scriptores. *Illustre Aniciorum genus*, inquit Divus Hieronymus *ad Demetr.* ep. 8., *in quo aut nullus, aut rarus non meruit Consulatum*. Idem asseri potest de Præfectura urbis, ad quam nonnulli hujusce Familiæ evecti fuere, inter quos Magnus ille Gregorius Romanæ Sedis ornamentum: *Vir in Divinis Scripturis eruditissimus* inquit Trithemius de Script. Eccl. *& in sæcularibus litteris utique doctissimus; Theologorum princeps, splendor Philosophorum, & Rhetorum lumen; vita, & conversatione integer, atque sanctissimus, cui divinas Scripturas explananti, Spiritus sanctus aliquoties visibili specie apparuit, eique arcana mysteriorum earumdem invisibili magisterio reseravit*. Hunc ergo Præfecturam, aut saltem Urbanam Præturam suscepisse A. C. 572. opinatur Corsinius. *Hic de Senatoribus primis*, inquit Gregorius Turonensis, *qui ante serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per Urbem procedere trabeatus, nunc vili contextus vestitu ad Dominici altaris ministerium consecratur*. Porro ex Ethnicis familiis hæc ante alias Christi fidem amplexata est; unde Prudentius contra Symmachum *lib.*1.

Fertur enim ante alias generosus Anicius, urbis
Illustrasse caput; sic se Roma inclita jactat.

itaque Zosimus Christianæ religionis acerrimus hostis, de Aniciis veluti Ethnicorum moribus æque adversantibus, hæc profert: *solum illorum Familiam, qui* Anicii *dicuntur, mordebant ea quæ publice universis conducere videbantur; quod soli omnium prope dixerim divitias possidentes felicitatem permoleste ferrent*. Pietas revera illustrissimæ ejusdem stirpis ex eo maxime commendatur, quod beatis Martyribus, Confessoribus, ac Sacris Virginibus, qui ex eadem originem traxere, Dei Ecclesiam mirifice illustrari contigerit. Sepulcra in Cryptis Vaticanis, Anicios habuisse nemini non innotescit, testaturque Anastasius Bibliotec. qui in vita Xisti, *Corpus*, inquit, *Anicii Bassi, Xistus Episcopus cum linteaminibus, & aromatibus, manibus suis tractans recondidit, & sepelivit ad B.Petrum in cubiculo parentum ejus*. At de sepulchris ad Aniciam gentem pertinentibus, subque Nicolao V. in Basilica Vatic. detectis confer Bosium, Boldettum, Aringhium, Battellum Archiep. Amasenum; vide tandem recentissimam eruditissimi Laurentii Dionysi cryptarum Vaticanarum descriptionem. Advertendum tamen non omnes Anicios in Vaticano fuisse tumulatos: nam Epitaphium Petronii Probi in Hortis Pinciis repertum diximus; tumulus vero Petrileonis (quem ex Aniciis fuisse tradunt plerique) Petri pseudopapæ parentis adhuc extat in porticu Basilicæ quæ D. Paulli *extra mœnia* vocatur, via Ostiensi.

PROV.

130.

. . . .
PROV.AFRICAE.ET::S.IVDICANTI
PRAEF.VRBIS.ET.V.S.IVDICANTI.ITE
RVMCOMITIORD.PRIMI.INTRA PA
LATIVM.PRAEF.PRAET.CONSVLIORD
PLACIDVS.SEVERVS.V.C.FILIVS.PATRI.RELIGIOSO
ET.ANTONIA.MARCIANILLA.C.F.NVRVS.
SOCERO SANCTISSIMO

Una cum superioribus lineis, hujus urbis Præfecti *vice sacra judicantis*, nomen quoque evasisse existimo: ex Filii tamen nomine, nomen Patris conjici posse reor. Filius ergo *Placidus Severus*, cujus Pater *urbis Præfectus*. Cum autem inter urbanos Præfectos quidam reperiatur nomine *Placidus*, qui Magistratum hunc administravit A. C. 260., de hoc in nostro Lapide agi opinor; eo magis cum Lapis ad hæc tempora pertineat, uti tum ex Inscriptionis stylo, tum ex Dignitatibus ibidem regestis liquido patet. Istius Placidi mentio fit in Martyrologio Rom. his verbis: *Interamnæ S. Valentini Episcopi, & Martyris, qui decollatus est jussu PLACIDI Urbis Præfecti*. Attamen conjecturam hanc meam judicio Eruditorum subjicio.

COMITI ORD. PRIMI . INTRA . PALATIVM. Nimirum *Comiti Ordinis primi*. Comites primi ordinis a Constantino institutos, alios intra Palatium & Consistorium, alios in Palatio, & Consistorio recenset Gutherius *de Off.* D. A. *lib.* 1. Utrisque consiliis Principis adsidere, atque epulis interesse, illiusque purpuram adorare (quod pro summo honore habebatur) licebat. De Comitibus *primi*, *secundi*, & *tertii* ordinis, vide Eusebium lib. 4. cap. 1. aliosque. Reliquas in marmore enumeratas dignitates silens prætereo, cum de iis jam satis alias disseruerim.

131.

TANAVCIVS
IS FALANGIVS
V C PRAEFECTVS
VRBI ITERVM

Hunc natione Gothum credidit Muratorius p. 748. 6., sed eum perperam TANVCIVM vocavit. Eduardus Corsinius vero eumdem inter Præfectos Urbanos incertæ ætatis recensuit in fine Oper. de *Præfect. Urb.* pag. 392.

132.

FONTEIVS . LIToRIVS
AVXENTIVS VCPRAE
vRBI cvRAVIT

Incertæ pariter ætatis idem Corsinius autumat Fontejum istum Litorium p. 391. Cognomen autem, quod ex Muratoriano exemplari mutilum edidit, integrum extat in autographo, videlicet AVXENTIVS *vir clarissimus*.

133.

SINGVLARIS INTEGRITATIS.
ET.BONITATIS.EXSIMIAE.
M.AVR.CONSIO.QVARTO
IVNIORI.C.V.CORRECTORI
FLAMINIE.ET.PICENI.
PONTIFICI.MAIORI.
PROMAGISTRO.ITERVM
DVODECIM.VIRO.
ANCONITANI.ET.
FANESTRES.CLIENTES
PATRONO

CORRECTORI. Provinciarum Correctores (quos Cassiodorus lib.6. form.21. *Rectores* vocat) dicebantur Magistratus Provinciales, quibus pars aliqua Provinciæ regenda tradebatur. Deinceps tamen, non unius tantum Provinciæ, sed plurimarum Correctores fuere, quorum unus M. Aurelius iste Flaminiæ atque Piceni Corrector. Immo totius Italiæ, uti Tetricus, qui ab Aureliano, teste Trebellio, Corrector creatus est Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Etruriæ, Umbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omnisque annonariæ Regionis. His mixtum imperium tribuisse videtur Isidorus Pelusiota lib.III. ep.263. *Pulcre*, inquit, *o prudentissime Corrector, magistratum gesseris, si justi custos incorruptus fueris, & abstineas ex æquo odio injusto, & gratia; ensem autem immaculatum, quam fieri potest, serves; minitando peccata prohibens, & differens*. Quo primum tempore in Italia instituti, dubitatur. Scio vulgatum fuisse Lapidem, in quo Acteius V.C. dictus est *Arimini Corrector* sub Augusto Cæsare; at cum in illo quidam nominetur L.Turnus Apronianus Urbis Præfectus, notumque sit neminem Aproniani cognomine urbanam Præfecturam, imperante Augusto, administrasse, ideo Lapis ipse inter fictitios, & spurios ab Eruditis reponitur. Nostrum profecto Marmor, attento Inscriptionis stylo, Antoninorum ætati adjudicarem.

PONTIFICI MAIORI. Qui Pontificis Maximi titulum solis Imperatoribus constanter traditum affirmant, heic privatum virum, eodem titulo decoratum videant. *Majorem* enim *Pontificem* idem esse ac *Maximum* haud dubito.

DVODECIM. VIRO. Scite Muratorius XIIVIRUM Magistratum inter ignotos recenset. Fanestrium sane Magistratus, sexumviralis tantum fuit, uti ex sequenti patet

C. VIRGINIVS. C. F
PAMPHILVS
SEX VIR FANESTRIVM
ET *sic* TESTAMENTO

FLAMINIAE ET PICENI. De Consularibus, deque Correctoribus Flaminiæ & Piceni vide Pancirolum, atque Bulengerum.

ANCONITANI. Anconæ nobilissimæ Piceni urbis incolæ: Hanc ad maris Adriatici littus sitam, magnifico Portu, ingenti ære conlato nuper decoravere Romani Pontifices BENEDICTUS XIV. & CLEMENS XIII.

FANESTRES. *Fani Fortunæ* cives; quorum patriam in Piceni provincia numeratam, monet Norisius *in Diss. de* v. *Syn.*

Ex tot Inscriptionibus Musei Capitol. a Muratorio editis unam tandem aliquando (hanc scilicet) emendatam reperio, in qua tamen (rectè quidem, sed contra Autographi ortographiam) FLAMINIAE cum diphtongo, & DVODECIMVIRO pro *Duodecim. Viro*.

CI-

134.

::::CILIVS . M . F . COL.
...LVS V̄. VIR

:::CILIVS . *Lucilius*, seu *Acilius*, COL. forte COLLINA; id est ex tribu Collina, a Collibus Quirinali, & Viminali nuncupata. Hæc Tribus in lapide Q. Plotii Maximi apud Panvinium C. R. p. 199. inscribitur *Coll.*, sed alii habentur apud eumdem in quibus legimus COL.

Q. HORTENSIO
Q. F. COL

ADVOCATO . FISCI
&c.

& iterum

C. VETTIO . C. F.
COL. NIGRO
DOMO . ANTIOCHIA &c.

Porta *Collina*, hodie *Salaria*.

V. VIR. *Quinquemvir*. Cujus Classis, ignoramus.

135.

DIS . MANIBVS
MYRINI . DOMITIANI
PVBLICI . ACOMMEN
TARIS . XVVIR . S . F.
ARRVNTIA . DOLICHE
FECIT . CONIVGI . CARIS
SIMO . ET . LIBERTIS . LIBER
TABVSQ . SVIS . POSTERISQ
EORVM

A COMMENTARIS . *A Commentariis*, etiam *Commentarienses* appellati. Plures fuere: Carceris Custodes, Ministri Tribunorum Militarium, Curatores rationis Patrimonii, Operum publicorum, Beneficiorum, Vehiculorum, Aquarum, vel, quod Grutero placuit, Equorum, hi omnes *Commentarienses* dicebantur. Servos præterea a Commentariis, quos *diuturnos* vocabant, indicant Latini Rerum Romanarum Scriptores; quorum munus, privatæ domus Augustæ Ephemerides curare. At nullum ex his officiis Myrino Domitiano, quem commemorat Lapis noster, tribuendum censeo. Non enim Quindecimvirum Sacrorum decebat munera Libertorum obire, qui tamen ad Sacra ministeria aliquando admittebantur. Quapropter opinor, Myrinum ex iis fuisse, qui a Commentariis erant Fisci Asiatici, vel Alpium Maritimarum, quorum mentio est in antiquis Inscriptionibus, nec non apud Historicos.

XVVIR . S . F. *Quindecimviri Sacris faciundis*. Hi, Sullæ temporibus creati sunt, post latam legem Domitiam; qua Sacerdotum subrogandorum jus, a Collegiis ad Populum translatum est. Numerum, teste Svetonio, confirmavit J. Cæsar, Sullæ æmulator. Horum titulum habemus in nummo apud Gutherium *de Jure Pontif.* lib. I.



De his denique meminit Horatius

Quindecim Diana preces virorum
Curet.

Ex-

Extatque inter Gruterianas inscriptio Brixiana

M . NONNIO . M . F .
FABIO . ARRIO
PAVLINO . APRO . CL
XV.VIRO . SAC . FAC.
CVLTORES
LARVM . EIVS .

136.

D ₲ M
M . VLPIVS . AVG . LIB
HERMA . A CVRA . AMICOR
FECIT . SIBI . ET . VLPIIS
PYTHE . AGATHOPO . SVCCESSO
ET . NICANDRO. CAES . N̄ . SER . ET
LIB . LIBERTAB . POSTER . Q . EOR . ET
AERARIO . SOTERIET SETRIAE
IVLIANE . AMICIS . BENE
MERENTIBVS

A CVRA AMICORVM, T. Claudius Fortunatus apud Thomasinum *de Donar.*, T. Flavius Victor, & Libanus apud Lipsium, servi pariter *a cura Amicorum* fuere - Alium, præter nostrum, M. Ulpium Aug. L. nominat Lipsiana basis p.105,

M . VLPIVS
AVG . L
A CVRA . AMICORVM
FECIT . SIBI . ET
AMICIS . B . M

id est *a cura Amicorum Principis*. In aula enim Palatina Liberti erant, qui curam gererent Amicorum Principis: eorum puto qui præ cæteris domestica fruebantur Augustorum familiaritate, eorumque solatiorum consortes erant, atque participes. In aula Gallorum Regis *Menins* dicti sunt. *Amici, & comites Augusti* (ait Salmasius in not.ad Svet.) *dicebantur qui a consiliis Augusti erant, & Amici quidem, quod in interiorem familiaritatem Principis admissi, & in contubernium adsciti, omnibus ejusdem consiliis interessent*. Tiberii amici fuere Pomponius Flaccus, & L. Piso, qui potando Principis beneficia meruerunt; hic nempe, Urbis præfecturam; ille, Syriæ Provinciam: eos Tiberium vocasse *jucundissimos*, *& omnium horarum Amicos*, Svetonius narrat. At de Amicis Cæsarum, qui Trajanum antecesserant, optimè Plinius in Paneg. *In Principum domo, nomen tantum amicitiæ, inane scilicet irrisumque remanebat; nam quæ poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi, alii Domini, alii Servi videbantur?* Seneca *de Benef.* lib.6. *Non sunt isti Amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas, & secundas admissiones digeruntur: consuetudo ista vetus est Regibus Regesque simulantibus, populum Amicorum describere*. Titum Vespasianum tamen, qui Trajano in imperio præcesserat, non nomine tantum, sed factis, omnique commendatione dignos elegisse Amicos conjicitur ex Svetonii verbis: *Amicos*, inquit, *elegit, quibus etiam post eum Principes, ut & sibi, & Reip. necessariis acquieverunt, præcipueque sunt usi*. At id magis magisque ex illa memorabili, aureaque, quam his adstantibus edidit voce: *Amici, diem perdidi*. Quænam fuerit Amicorum Principis cura, in qua versarentur Liberti, a nemine hactenus declaratum est. Anne de eorum salute cum solicitudine esse, iisque in periculis opitulari, eos ab insidiis tueri, ægtotantes visitare, consolari in ærumnis?

CAES . N̄ . SER. *Cæsaris nostri Servis*.

AERARIO. Non equidem Officium, neque Ars Ærariorum, ex qua *Ærarii Vascularii*, *Ærarii Sodales* &c. sed nomen, mihi quidem novum.

IVLIANE. *Julianæ*.

HYM-

137.

HYMNVS∴∵
PAEDAGOGVS
⁝ VLIAE GERMANICI∴
FILIAE AN∴

IVLIAE. Juliæ *Germanici*, & Agrippinæ *filiæ*, Caij Caligulæ *fororis*. Cæfares, domufquæ Auguftorum Principes, fuos Pædagogorum curæ pueros tradidiffe conftat, tam ex Hiftoria, quam ex Lapidibus, uti ex fequenti a Vignolio *in Selectis* tranfcripto.

D. M
TI. CLAVDIO. AVG. L. EVTICHO
PAEDAG. PVERORVM
TI. CLAVDIVS. AVG. L. EVNETES
FRATRI. SVO. ET. T. FLAVIVS. AVG. L
VENVSTVS. AB. AVRO. POTORIO
PAEDAGOGO. SVO. FECERVNT

& ex Alberto Pighio

FLAVI. STEPHANI
PAEDAG. PVEROR
IMP. TITI. CAESARIS

Puellas verò Pædagogis traditas, hactenus in Lapidibus non reperi; ita ut hunc noftrum unicum effe cenfeam: licet eadem Infcriptio extet in Servorum, Libertorumque Liviæ Columbario, fic

HYMNVS A...
PAEDAGOGVS AN....
IVLIAE GERMANICI
FILIAE

Neque magni facienda Xiphilini verba, qui de ludis Juvenalibus differens, hæc habet. *Cæteri qui propter fenectutem nihil poterant facere, canebant; fe enim exercebat unufquifque ut poterat, erantque ob eas res Scholæ conftitutæ quas frequentabant clariffimi Viri, Mulieres, Puellæ, Adolefcentuli, Vetulæ, Senes*: Nam nec de morum inftitutione, nec de Puellis Auguftorum filiabus, neque demum de Scholis *Palatinis*, hic fermo eft; fed de *Publicis*, quas nobiles pariter, & ignobiles Puellæ frequentabant.

Ceterum hujufmodi Infcriptionum repetitionis publicum exhibent exemplum Lapides illi M. VLPII PHAEDIMI, & CAELIAE DYNATAE. Vide fup. pag. 213.

De pueris *Pedagogianis*, qui in minifterio erant non modo Imperatoris, verum & Virorum illuftrium confer Bulenger. *de Imp. R.* lib. I. cap. 35. ubi Capitolinum laudat fcribentem, *Donatos pueros decoros, qui miniftrabant fingulis*. De Pædagogo demum loquitur Julianus in Antiocheno his verbis, οὐ κρεῖττον ἦν ὁ δωδέναι μῦρον τὴν ἀγορὰν βαδίζοντες σοῦ, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς ἀποβλέπουσιν οἱ πολίτας. *Quo melius erat forum te procedente redolere unguentum, & Pueros duci pulcros, in quos Cives intuentur*. De deligendo Pædagogo plura habet perutilia Plutarcus in Opufculo *de Liberis educ.* ubi fui ævi in hoc negligentiam reprehendit. *Si quod inveniunt*, inquit, *mancipium ebriofum, ac gulæ deditum, & ad omnia inutile negocia, id Liberis præficiunt. Oportet autem bonum pædagogum eo effe ingenio, quo fuit Phœnix Achillis pædagogus*. At Pædagogi, pueros docentis, imaginem vide fuperius p. 182.

138.

D ⁄::
M . VLPIO . AVG
EROTI
AB . EPISTVLIS . GRAEC::
EPAPHRODITVS
ET STACHYS
CAESAR . N̄ . SER
FRATRII . KARISSIMO . ET
CLAVDIA FORMIANA
FECERVNT

AB EPISTVLIS GRAEC:: Passim in marmoribus memorantur Servi *a studiis*, *a manu*, *amanuenses*, *Scribæ*, *a memoria*, *a Diplomatibus*, *ab ephemeride*, *ab epistulis latinis*, *ab epistulis Græcis*, quorum unus fuit M.Ulpius Eros Epaphroditus Aug. L. Hi, quorum officium erat Principis Epistulas curare, *Proximos* habuisse constat ex Gutheriana Inscriptione.

BASSO . AVG . LIB . PROX .
AB . EPISTVL GRAECIS
TRACTVS . CARTHAGINIENSIS

Officium tamen istud exequebantur aliquando nobilissimi Viri, uti notavimus superius in inscriptione Titinii Capitonis, qui ab Epistulis fuit D. Nervæ.

CAESAR . N̄ . SER. *Cæsaris nostri Servi*.

FRATRII. *Fratri*

KARISSIMO. *Carissimo*. K. pro C. sæpissime in Inscriptionibus, præsertim in Christianis, licet Literæ huic ex Alphabeto demigrare jusserit festivè Lucianus in Dialogis. Ita *Kalendæ*, & *Calendæ*; *Kanna*, & *Canna*; *Karthago*, & *Carthago*.

139.

D . M . S
L . SINICIO . REGINO
PRAETORI . TRIBVNO . PLEBI *sic*
QVAESTORI
PROVINCIAE . MACEDONIAE

Repertus est Lapis iste (quem ad me in Museo Capit. collocandum misit D. Nicolaus *la Piccola*) in Agro Romano XII. ab V.L. extra Portam *Majorem* hoc Jubilæi anno 1775.

SINICIO. Forte *Silicio*; ita *Silicius Verus*, Silicius Medicus, Silicia Zosime apud Lipsium, Gruterum, Reinesium, aliosque.

REGINO. Reginus alter nominatur in lapide, quem superius retuli Cap. I. num. 36. De Magistratibus vero hic enunciatis, jam satis alias. Notatu tamen dignum reor L. Sinicium Reginum, Plebis Tribunatum, eodem tempore quo Præturæ, & Quæsturæ dignitatibus fungebatur, exercuisse.

OBLA-

140.

P·CORNELIO SAECVLARE IIETIVNI°DONAT°II
KAL IVLIS C^{OS}

SENTINI CVM IN SCOLA SVA FREQVES NVMERVS COLL FABR
SENTINATIVM CONVENISSENT NVMERVM ABENTIBVS
C.IVLIO MARTIALE.ET.C.CASIDIO RVFINO.QQ.ET REFERENTIB :::::
IPSIS SEMPER ET IN PRAETERITVM ITA SPLENDIDISSIMVM N̄ N̄
CONISVM ESSE VT ADFECTIONE SPLENDORIS SVI IN SINGVLOS
QVOSQVAE CONDIGNOS MERENTES EXIBEANT VEL MAXIME
IN HONORE ADQVE DIGNITATE MEMMIAE VICTORIAE QVON
DAM INDOLES MAMORIAE FEMINE MATRIS NVMERI NOSTRI
PRO°RSVS VSQVAE QVE ESSE PROVECTVM NOMEN DOMVS
EIVS VT PER ORDINEM GENERIS SVI OMNES IN NVMERVM N̄
PATRONI IN COLLEGIVM NOSTRVM APPELLARENTVR OPTAN
DA OVFERANT VT OMNES VNIVERSISQVAE INCOLVMES IN
NVMERVM NOSDRVM VIDERENTVR ET QVONIAM VIR SPLEN
DIDVS CORETIVS FVSCVS PATRONVS NVMERI DEBEAT EX
EMPLO PIETATIS PARENTIVM ET MATRIS HONORIFICIENTIA
ITAQVE SI OMNIBVS VIDERETVR TABVLA AEREAM EI OFFER
RI

Q · F · P · D · E R I C C

CLORIOSAM ESSE RELATIONEM . B.B.V.V.QO COLLEGI . N̄
ET IDEO CVM SIT CORETIVS FVSCVS SPLENDIDE NATVS VT
POTIVS HONORIFICIENTIAE NOSTRAE MODVM INTEL
LEGAT NECESSAQVE SIT EI TABVLAM AEREAM TITVLIS
ORNATAM SCRIPTAM OFFERI PETIQVE AB EO HANC
OBLATIONEM NOSTRAM LIBENTI ANIMO SVSCIPE O
REDIGNETVR LEGATOSQVE IN EAM REM FIERI QVI
QVI DIGNE PROSEQVANTVR T:TRATIVM AMPLIATVM ORPIVM VERI
TATEM AEMILIVM VICTOREM BEBIDIVM IVSTVM CASIDIVM MARTA
LEM IVLIVM MARTIALEM CASIDIVM RVFINVM BEBIDIVM LENVA
RIVM MIMAETRIVM ROMANVM CASIDIVM CLEMENTINVM AETRIVM
VERNAM VASSIDENVM FAVOREM CASIDIVM IVSTISSIMVM SA
TRIVM VERECVNDVM STATIVM VELOCEM VETVRI CELERINV::::::

Specimen characterum.

PCORNELIO SAECVLARE II ETIVNI°
DONATO KAL IVLIS
SENTINI CVM IN SCOLA SVA FREQVES NVMERVS COLL FABR

Oblatio heic habetur Tabulæ æreæ titulis ornatæ a Fabrorum Sentinatium Collegio cuidam Coretio Fusco patrono, & Memmiæ Victoriæ facta die 1. Julii. Verum ex inordinata nimis ipsius Inscriptionis sintaxi sensusque reclamatione atque obscuritate, seculi barbaries æquè ac Scalptoris imperitia dignoscitur: qua propter ea dumtaxat quæ mihi Lectoribus digna videntur, breviter illustrabo.

P. CORNELIO &c. COS. Nempe Ann. V.C. 1013, ut in Fastis Cuspinianæis; Christi vero 260; juxta Petavium 261. Valeriani, & Gallieni ejus filii Imperii anno, ni fallor, sexto; anno scilicet quo Valerianus a Sapore Persarum Rege, acie victus, captus est. Neque solum Consulatus, verum etiam Præfecturæ Urbanæ uterque perfunctus est munere. Nimirum *Donatus* semel, A.C. 257. *Sæcularis* vero (cujus prænomen non *Lucius* uti in Codice Gregoriano, sed *Publius*) ter, annis nempe 258. 259. 260. Sub Donato Urbis Præfecto passæ sunt pro Christi fide Rufina, & Secunda virgines; quas, *cum fervor persequutionis* (vid. Corsinium de *Præf. Urb.* p. 139.) *jussu Valeriani, & Gallieni in Urbe sæviret, sceleratissimus Comes Archesilaus revocavit ad Urbem Romam obtulitque Junio Donato Præfecto.*

SENTINI. Populi qui *Sentinum* incolebant. Plura eodem fere nomine appellata extant penes Geographos oppida. *Senta* in Dalmatia, *Sentica* in Macedonia, *Sentica* in Hispania Tarraconensi, *Sentianum* in Calabria, *Sentia* seu *Setia* in Latio juxta Ortelium, *Sentina* nunc italice *Centeno*: verum de *Sentino* in Umbriæ, & Piceni finibus oppido, apud *Sassoferrato*, a Fabriano 6000. p. distanti hic agi crediderim, cujus Populos *Sentinates* vocat Polybius. Istius enim Historici verba ἐν τῇ τῶν Σεντινατῶν χώρᾳ, Livius vertit *in Sentinati Agro*. Dio quoque Cassius lib. 48. Sentinates populos, & Sentinatium urbem commendat.

IN SCOLA. h. e. *In Schola*. Diversas præbet vox ista significationes: heic locum designat, seu domum *Corporibus*, sive Cœtibus, Collegiis, vel Ordinibus destinatam. Ad id his versiculis allusisse Corippum *in laud. Justin. min.* non ambigo

Protinus officii summam tutantibus aulam
Ordinibus propriis, & prisco more notatis
Per Scholas, turmasque vocat.

Sic Scholæ Quæstorum, & Capulatorum in Reg. XI. sunt loca, seu Atria, in quæ Capulatores, & Quæstores stato tempore convenire solebant; uti etiam nunc cœtus Artificum solent. Schola *Cassia* collocatur a Victore in Regione urbis XIII. *Xanta* ab eodem, & a Sexto Rufo in VIII. quam ætate sua inventam asserit Lucius Faunus *lib.* XI. *cap.* 10.
„ Quì presso a questo Tempio (*Concordiæ*)
„ cavandosi profondamente, non è gran tem-
„ po, si trovò come un Portico, o come
„ tre Botteghe, dove stavano li Scrittori
„ degli Atti publici, o Notai che diciamo,
„ come dalle Iscrizioni che vi erano, si po-
„ teva congetturare; perciocchè nella fascia,
„ o architrave di marmo, che cingeva quest'
„ opera, la quale è stata a tempi nostri ro-
„ vinata tutta affatto, e portatene via le pie-
„ tre, si leggevano nella parte di dentro
„ sull' entrare queste parole

C . AVILIVS . LICINIVS . TROSIVS
CVRATOR . SCHOLAM . DE
SVO . FECIT . BEBRIX . AVG . L . DRV
SIANVS . A . FABIVS . XANTHVS
CVR . SCRIBIS . LIBRARIIS . ET
PRAECONIBVS . AED . CVR
SCHOLAM . AB . INCHOATO . REFE
CERVNT . MARMORIBVS
ORNAVERVNT . VICTORIAM . AV
GVSTAM . ET . SEDES . AENEAS
ET . COETERA . ORNAMENTA . DE
SVA . PECVNIA . FECERVNT

„ Nel

„ Nel medesimo fregio dalla parte di fuori „ che era di opera Dorica, lavorata però „ schiettamente, si leggevano queste al- „ tre parole:

BEBRIX . AVG . L . DRVSIANVS
A . FABIVS . XANTHVS . CVR
IMAGINES . ARGENTEAS . DEORVM
SEPTEM . POST . DEDICATIONEM
SCHOLAE . ET . MVTVLOS . CVM
TABELLA . AENEA . DE . SVA
PECVNIA . DEDERVNT

quæ Fauni verba ideo hic esse transcribenda sum arbitratus, quia ex iis, quid hoc vocabulo a Romanis intelligeretur, quæque *Scholarum* fuerit magnificentia, conjicitur. Vide Valesium in Ammian. XIV. 7.

FREQVES NVMERVS. *Frequens*, NVMERVS, hic multitudinem membrorum Collegii indicat: ita NVMERVM MILITVM. CALIGATORVM in Inscriptione quadam Fabrettiana, AGMEN *militare* interpretatur. *Frequens* igitur *Numerus* idem est ac si diceretur *adstante legitimo Sociorum numero*, quo deficiente, irritum omnino fuisset hoc Fabrorum Collegii decretum. Hinc formula illa *Numera Senatum*, de qua Brissonius lib. I I. Cum autem aliquis ex Senatoribus impedimento esse volebat, quo minus Senatusconsultum fieret, ajebat, SINGVLI CONSVLANTVR. *Numera Senatum, ait quivis Senator Consuli* (scribit Festus) *cum impedimento esse vult, quo minus faciat Senatusconsultum, postulatque*, VT AVT RES, QVAE REFERVNTVR, DIVIDANTVR, AVT SINGVLI CONSVLANTVR, *aut si tot non sint Senatores, quo numero liceat perscribi Senatusconsultum*. Sic Plinius *in Panegyr.* cap. 76. *Consulti omnes*, inquit, *atque* DINVMERATI SVMVS, *vicitque sententia, non prima, sed melior*. Vid. Casaub. in Not.

SPLENDIDISSIMVM N̄ N̄. Muratorius legit M. N̄. *Municipium nostrum*. Ego vero ut in Tabula NN. h. e. *Numerum nostrum*: sic inferius linea X. *Matris* NVMERI NOSTRI, & linea XV. *incolumes in* NVMERVM NOSTRVM. Recte, ut puto, Vir doctissimus Siglas vicesimæ lineæ Q. F. P. D. E. R. I. C. C hoc pacto explicavit *Quid. Fieri Placeret. De. Ea. Re. Ita. Censuere*. Advertendum tamen interpunctiones, quas ipse arbitrarie singulis literis apposuit, post sequentes ERICC, in authographo prorsus desiderari: itaque tutius Muratorium sequar in Siglarum BB. VV. QQ. elucidatione, quam subdit in adnotationibus p. 364., videlicet *Bonorum Virorum Quinquennalium*; tametsi perperam puncta collocarit post secundam B. & post secundam V., scripseritque QQ. pro QQ. uti habetur in lamina Capitolina. Alia præter ista irrepsere in ejusdem Auctoris exemplari sphalmata. Scribit enim SENTINIS pro SENTINI. Æ pro AE in *Sæcularis* cognomine; ita QVOQVAE, HONORIFICENTIA, VERTATEM, IENVRIVIVM pro *Quosque, Honorificientia, Veritatem, Lenuarivium*.

Rudium denique atque informium elementorum, quæ inscriptam Tabulam ordiuntur, specimen exhibui superius. Porro ex paucis illis ceterorum deformitatem facile dignosces: notabis tandem in nona linea illud ADQVE pro *Atque*, quod jam alias vidimus, illudque MAMORIAE pro *Memoriæ*.

Tomus Primus explicit.

VIRO CLARISSIMO

DN. HENRICO SANCLEMENTIO

Abbati Monasterii SS. Andreæ, & Gregorii in Monte Cœlio.

FRANCISCUS EUGENIUS GUASCUS

PRimo vix hujuſce Operis edito Volumine, Epiſtolam, ſumma quippe humanitate, multoque officio refertam, a TE accepi VIR doctiſſime, qua nonnulla in his Commentariis aſſerta, ſingulari eruditione æquè ac probata urbanitate refellis. Tua igitur argumenta in tertii Voluminis Appendice referam, iiſque ita reſpondere conabor, ut ubi in meas tuendo ſententias infirmi prorſus deſint ingenii vires, animi ſaltem in eas retractando facilitas eniteat. Vale.

Errata in Inſcriptionibus ſic corrigito.

Inſcript.19.	pag.39.	DICIT	DICT
50.	pag.89.	AEDITVS	ADITVS
	pag.96.	VAIERIO	VALERIO

In Commentariis.

Pag. 10.	col.2.	lin.21.	*Baleatrici*	Baleatricis
16.	col.2.	l. 8.	venuto	VENVTO
19.	col.2.	l.10.	Kufo	Rufo
20.	col.2.	l.16.	imrito littera	immerito litteram
22.	col.1.	l.11.	12. ad illuſtrationem. *Eſaiæ*	ad illuſtrationem *Eſaiæ*
	col.2.	l. 7.	cuſtodiebant Plautus	cuſtodiebant. Plautus
23.	col.2.	l. 6.	fuiſſet	fuerit
24.	col.2.	l.14.	referta	refertam
35.	col.2.	l.24.	illæ	illi
36.	col.1.	l.14.	*cerebro*	*crebro*
		l.31.	*ferè*	*feræ*
48.	col.2.	l. 1.	negant	negat
51.	col.2.	l.22.	Gous	Gorius
53.	col.2.	l. 6.	argento	argenteo
		l.40.	ventis	vectus
54.	col.2.	l. 3.	offertur	Silvius quidam offert
58.	col.2.	l. 5.	eaque	eamque
59.	col.1.	t.23.	celle	Cellæ
60.	col.1.	l.17.	αγδοδαίμονας	αγαδοδαίμονας. Stuchius p.21.
62.	col.1.	l.27.	Reineſius	Reineſium
64.	col.1.	l.21.	Martio	Martii
		l.16.	aliò	alibi
67.	col.2.	l.22.	oblatum	ablatum
68.	col.1.	l.22.	quæque Romæ venerabatur	quamque Romani venerabantur
		l.24.	quas	quos
70.	col.1.	l. 7.	repetiſſet	repetiiſſet
		l.27.	28. quæ ab antiquis venerabatur	quam Antiqui venerabantur
73.	col.1.	l. 4.	*dici*	diu
80.	col.1.	l.28.	*γcρ*	*γαρ*

	col.2.	l.28.	*consulationibus*	*consultationibus*
81.	col.2.	l.30.	*babere*	habuere
92.	col.1.	l.26.	omnis	omni
96.	col.2.	l. 1.	imprecatio . nulla	imprecatio , nulla
98.	col.2.	l.ult.	Tulium	Julium
99.	col.2.	l.24.	inquit	inquit ,
100.	col.2.	l.38.	*ipse*	ipsæ
102.	col.2.	l.24.	*Aliam denique refert*	Aliam denique refert
122.	col.2.	l.27.	Statutisque	Statuisque
131.	col.2.	l.12.	*subdat*	subdam
132.	col.2.	l.15.	Dacerius	Daceria
156.	col.1.	l. 2.	Inscriptio quam effossam	Saxum quod effossum
137.	col.1.	l.35.	adversos	adversus
166.	col.2.	l. 3.	a IIII. VI. RIS	a IIIVIRIS
172.	col.1.	l.36.	CAERIMONIAS	CAEREMONIAS
	col.2.	l. 5.	SEPTIMUS	SEPTIMIVS
	col.2.	l.26.	spe , hausta	spe hausta
200.	col.2.	l.23.	Tatianum	Titianum